EZECHIELIS SPANHEMII ... ORBIS ROMANUS, SEU AD CONSTITUTIONEM ANTONINI...

Ezechiel Spanheim



R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE

LIBRI

DONATI DAL

DOTTOR ANNIBALE GIULIONI

GIURISTA

Nato a Firenze il 7 Febbraio 1807
e morto il 1° Dicembre 1895 in Firenze.

16 Maggio 1896

EZECHIELIS SPANHEMII,

Liberi Baronis, & Legati Regii,

ORBIS ROMANUS,

SEU

Ad Constitutionem *ANTONINI IMPERATORIS*, De qua *ULPIANUS* Leg. XVII. Digestis DE STATU HOMINUM.

EXERCITATIONES DUÆ.

Editio Secunda ab Auctore recensita, & altera parte auctior.

LONDINI:

Impensis A. & J. CHURCHILL, ad Insigne Cygni Nigri, in PATER-NOSTER ROW. MDCCIII.

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo

VIRO,

THOMÆ HERBERTO,

Comiti *Pembrocke* & *Montgomery*, Baroni *Herbert Caerdiff*, *Ros-Parr*, *Fits-Hugh*, &c.

Nobiliſſimi Ordinis Periſcelidos Equiti,

ET

Sanctioris Auguſtæ Reginæ Conſilii Præſidi,

S. P. D.

EZECHIEL SPANHEMIUS.

CUR hunc librum, nova cura nec levi acceſſione a me illuſtratum, ac inde in hac Regni hujus metropoli denuo emiſſum, tuo nomini inſcribendum cenſuerim, haud una equidem, ſed multiplex ratio me impulit, VIR ILLUSTRISSIME. Neque vero, ſi vel ſingula conſilii hujus mei ac inſtituti momenta hic reticerem; ideo minus tuis, alio-

rumve, nec in Britannia ſolum veſtra, ſed apud exteros etiam, calculis, probatum illud iri, fidenter poſſem mihi polliceri. Tot enim ſunt & conſpicua, ac in diviſo etiam a vobis orbe nota, quæ te felici conſociatione circumfluunt decora; ac inter ea, quæ ab optimarum artium & doctrinarum cultu ac peritia plane ſingulari commendantur; ut meum hac in re propoſitum quivis inde continuo adſequatur. Quamobrem eo mihi nunc minus laborandum video, ut quod in omnium oculos incurrit, aut in ore verſatur, id multis, & operoſe hic a me prædicetur. Mitto proinde antiqua nobiliſſimæ tuæ gentis ornamenta, & petenda ex Annalium veſtrorum fide ac monumentis, avita HERBERTORUM Procerum in Reges ac in patriam merita; indeque ſplendorem generis, ſummis Regni hujus honoribus ac dignitatibus, teſtatum abunde ac illuſtratum. Juvabit nunc me magis, in iis, quæ ad te demum reſpiciunt; tibi propria ſunt ac divinitus innata; & quæ cæteroquin me propius

pius tangunt & commovent, hic demum conquiescere. Multa equidem, ante novissimam hanc meam, mihique decretam Regiis mandatis, ad invictum Regem GULIELMUM, dein ad AUGUSTAM REGINAM legationem, de præclaris illis, ac in tui ordinis & conditionis viro inusitatis ferme laudibus ac ornamentis, constanti fama acceperam; quæ, tuam mihi conciliandi benevolentiam & consuetudinem, me cupiditate haud levi incenderant. Id vero, singulari quodam meo fato, contigit, ut vix in fortunatam hanc Insulam, nuper cum publicis mandatis quartum appulsus, ea ipsa die primæ meæ, ad cœlo transcriptum nunc Regem, privatæ in Hamptoncourtana Regia admissionis, in tui conspectum, collocutionem, & familiarem jam velut usum, inter viam continuo inciderem. Quæ nata inde mihi, felicibus hisce auspiciis, in tuam amicitiam me insinuandi opportunitas; a te, pro tua illa facilitate insita, est continuo officiose comiterque adjuta & confirmata. Unde etiam accidit, ut quæ jam de te, tuisque summis virtutibus, ex ali-

orum

orum haud vanis ſermonibus perceperam, propius noſſe, colere, ac ſuſpicere mihi licuerit: ſingularem, inquam, naturæ tuæ amabilitatem ac præſtantiam; ingenium rectum & æquabile; pectus firmum ac immotum; mentem candidam, nullo adfectu, niſi ad Regum regnique ſalutem & commoda vergente, ductam; aliarum denique virtutum, quæ te in illuſtri adeo ſtatione poſitum non ornant ſolum, ſed decent mirifice, concentum; temperantiam, continentiam, moderationem, ſapientiam, fidem, publicæ denique, non privatæ, utilitatis ſtudium & adtentionem. Quibus te utique dotibus largiter adfluentem, eaſque abunde in procuratione ampliſſimarum dignitatum, ad quas, nulla ambitionis occupatione, ſed una ſuffragatione virtutis, es adſcitus, conſpicuas & probatas, exultans vidit, ac videt etiamnum Britannia: ſeu, ubi credita tibi fuit privati Regii Sigilli cuſtodia: ſeu, ubi ad noviſſima de Pace Europæ Comitia, ſplendiſſimæ legationis princeps es miſſus: ſeu dum Sanctioris Conſilii, & a quo publica velut pendet ampliſſimi hujus Regni dignitas & ſalus,

lus, cum antea ſub Maximo Rege, tum etiamnum ab Auguſta Regina, caput ac Præſes es conſtitutus : ſeu denique, ubi ſumma oræ maritimæ, & claſſium Britannicarum Præfectura nuper tibi, invito quamquam & deprecanti, eſt commiſſa ; te autem, non annuente ſolum, ſed plaudente, ad Regium Principem Auguſtæque Reginæ conjugio, aliiſque ornamentis merito ſuſpiciendum, eſt illa dein dignitas delata. Quæ ſingula, cum eximia ſint omnino ac præclara, multarumque laudum argumenta capiant vel exhauriant, omniumque civium tuorum ore, & exterorum etiam prædicatione, ſint celebrata ; neque vero aliena, quæ nunc a me, dum publicam hic perſonam teneo, commemorentur : ad id tamen magis impellor, ut ea obiter hic tangam, quæ huic lucubrationi, quam tuo nomini conſecrare jam conſtitui, magis equidem conveniunt. Cui autem tam parum in ea luce, in qua verſaris hactenus, es notus ? ut non continuo intelligat, me de tuo incredibili in præclaras doctrinas, eaſque vel maxime, quæ præceptionum evidentia, uſu, dignitate,

dignitate, aliis diſciplinis vel ancillantur, vel præcellunt, ſtudio, earumve peritia hic loqui; addo, & in optimas artes, ac in eruditæ antiquitatis & elegantiæ reſiduas adhuc opes congerendas ac pertractandas, amore & adtentione plane ſingulari Cujus equidem poſtremæ illius tuæ, qua tuum otium, ubi ei locus eſt, ſoles oblectare, non ſpernendæ utique, vel exilis, aut vero utilitate multiplici vacuæ voluptatis, cujuſque haud vanum omnino laudatorem vel buccinatorem pridem exſtitiſſe noveras, dum me quoque conſcium ac teſtem adhibes; comparatam a te, intenta cura & eximio delectu, locupletem veterum nummorum, te eoſdem mihi ſingulatim, ubi maxime, notatione digni videbantur, monſtrante, ſupellectilem conſpicere, nec ſine ſingulari mea admiratione, mihi licuit. Videbam enim, & quod multis alioquin cimeliorum id genus cupidis ac poſſeſſoribus ſolemne noveram, eadem non ad ſpeciem, aut ad muſei tui ſolum ornamenta, familiaris tibi alicujus litterati vel antiquarii, quos vocant, ope ac induſtria, conquiſita; ſed quod in tui ordinis

ac

ac loci viro, cui tamen in plures dignitate ac natalium ſplendore conſpicuos, priſcæ hujus elegantiæ æſtimatores incidiſſe haud ſemel contigerat, non videram: te nempe de præclaris hiſce & abſtruſis antiquitatibus, non ut ſacris illis initiandum, aut recens forte initiatum, ſed ut myſtagogum jam vel epoptam conſummatum diſſerere. Cujus equidem rei hoc unum liceat mihi, tua cum venia, ſed illuſtre omnino ac ſingulare documentum, quod a te nuper accepi, hic edere: confectam nempe litterarum Punicarum, quæ in priſcis & inſignibus Phœnices vel Africæ aliiſve nummis ſubinde occurrunt, & expoſitam ſimul a te ſeriem. Adeo ut haud vane vel improvide quæſitum a me huic libro (cujus etiam, quem typis in hac urbe commiſſum audieras, videndi deſiderio te teneri, ultro ac blande mihi declaraſti) tui nominis patrocinium, vel me tacente, quivis intelligat. Dum enim in explananda illuſtrandave nobili in primis ac celebrata Romani Imperatoris, ac proinde rerum olim domini, con-

ſtitutione verſatur idem hic liber : hinc non adeo de unius civitatis, eoque per varia temporum ac locorum intervalla paulatim prolato, quam de illo tandem per univerſum orbem Romanum, ac inde per Britanniam quoque veſttam, porrecto olim jure ac beneficio, agitur : eademque opera, de adactis ad Romanorum leges gentibus ; aut quæ ab eo jugo, etſi Populi Romani majeſtatem colere eædem tenerentur, immunes adhuc remanſerint. Quarum pulcherrimarum, nec ignobilium utique rerum tractatio, a me hoc opere ſuſcepta, & paullo adtentius uberiuſve, quam factum hactenus fuerat, e Romani juris fontibus, aliiſve interioribus litteris explanata, haud aliena videbatur, quæ viro in primariis florentiſſimi Regni, quibus jura ejus & majeſtas innituntur, dignitatibus conſtituto hactenus, a me offerretur. Cecidit vero & illud per opportune, quod ex illa ipſa, eaque haud obvia, veterum nummorum, tuis meiſque [ſi id pateris, me in eandem hic tecum conſociationem venire] amoribus, idque bono litterarum fato, reſidua

dua

dua adhuc penu; non ornamenta ſolum huic libro, ſed ſubſidia, præſidia, immo lucem haurire mihi ſubinde licuerit. Inde enim de pluribus, quæ Romana civitate, municipii nempe jure, donata fuerint olim oppida: vel quæ inſigni illa & expetita adeo *autonomia*, ſeu libertate ſuarum legum, adnexiſque eidem aliis juribus ac beneficiis, per orbem Romanum gentes vel urbes, ante vel poſt civitatem omnibus in orbe Romano ingenuis datam, gaviſæ adhuc fuerint, nobis hodie demum conſtat. Neque vero, ut hoc addam, & quod me præterea, vel hoc opus etiam tangit, præpoſteræ ambitioni, ſat ſcio, tribues; quod, cui hactenus in aliis cultioribus Europæ terris, quæ mandatis Principalibus, ut cum priſcis loquar Romani juris antiſtibus, frequenter mihi, a ſat longo annorum decurſu, fuerunt adeundæ, nonnullos ingenii fœtus edere contigerit; jam in hac litterata ferme præ aliis gente, aliquod noviſſimæ hujus meæ in eadem moræ monumentum, quamquam exile illud forte nec ære perennius, relinquerem.

Tu vero, VIR ILLUSTRISSIME, ſed quo nihil melius tibi poſſum adprecari, eundem vitæ curſum, quem inſtituiſti hactenus, in multos annos ſoſpes ac florens indeſinenter teneas. Dabam Londini, XII Kalend. Martii Anno 167 $\frac{2}{3}$.

LECTORI.

LECTORI.

HAVD multis hic te morari necesse est, ut opinor, amice LECTOR. *Qua enim occasione suscepta sit a me hæc commentatio, in ejus limine jam aperui; ut neutiquam opus sit, id hic denuo retractare. Neq; vero cur eadem, quæ haud ita pridem fuerat typis divulgata, hic denuo, etsi nulla etiam nova accessione foret illustrata, in lucem prodeat, ideo interpellandum me a quoquam existimem. Id enim eo jure, quod unicuique in res suas datur, fieri a me confidenter potuit: aut etiam, ut hoc aliorum arbitratui, qui id a me amice flagitabant, haud illibenter concederem. Et quidem eo proclivius, quod ingenti illi ac locupleti Romanarum antiquitatum Thesauro, incredibili litterarum optimorumque studiorum dispendio, novissime terris erepti, Grævii* τȣ̃ μακαρίτȣ *opera, coacervato ac instructo, vix digna tanta luce lucubratio accesserat; a quo seorsim, nulla utique imminutæ tam divitis Gazæ jactura; aliquo autem eorum, qui hujus commentationis versandæ cupiditate tenebantur, compendio, conspici ac tractari posse videbatur. Quibus vero id eo magis indulgendum credidi; quod præceps ferme fuisset, non diu certe meditata ac perpolita, quæ in his Exercitationibus condendis, & confestim procul a conspectu meo ablegandis, posita fuerat a me opera: ut eas proinde non adtentius solum elaboratas, sed altera etiam parte auctiores divulgarem. Id utique mereri videbatur, non adeo Auctoris, quamquam summi olim in orbe fastigii, quam sanctionis ab illo latæ dignitas ac amplitudo:*

eaque

eaque, non ex juris solum Romani latifundiis, sed ex aliis etiam interiorum litterarum ac eruditæ antiquitatis monumentis, iisque haud passim obviis, paullo curatius explananda ac illustranda. Neque enim aliquod duntaxat spicilegium, sed messem etiam uberem relictam hic videbam a præclaris legum vel litterarum, proxima aut superiori ætate, Antistibus : unde, quod jam ad illustrem amicissimumque Cuperum fueram in prima harum Exercitationum editione " præfatus, tota concessæ hujus, inusitato & singulari ex- " emplo, largitionis ratio constaret penitius, & constituta " inde nova velut Romani juris vel imperii facies liqui- " dius agnosceretur. Unde utique haud a me alienum censui, ut horas, a procuratione publici, quod hic jam sustineo, muneris, vacuas in illustri adeo ac late patente argumento, pro virili parte, elucidando collocarem. An autem id quod hoc proposito intendi, sim continuo adsecutus; non meo equidem, sed æqui cordatique lectoris judicio totum est permittenduum. Haud alio certe consilio, vel impulsu, id qualiscunque operæ a me susceptum, quivis, ut opinor, haud difficulter largietur; quam una illa a teneris mihi insita, quæ autem in hac devexa, seu exacta verius ætate, necdum plane est effœta, de præclaris nempe doctrinarum ac eruditæ antiquitatis elegantiæque studiis bene merendi voluntate. Vale, mi Lector, *& quod factum a te hactenus largiter, & gratus equidem, agnosco, benevolum te mihi adhuc, si id mereor, præsta.*

SERIES

SERIES COMPENDIARIA CAPITUM.

EXERCITATIONIS I.

Cap. VIII.

EXERCITATIO II.

LEG. XVII. DIGEST. DE STATU HOMINUM.

ULPIANUS LIB. XIII. AD EDICTUM

IN ORBE ROMANO QUI SUNT, EX CONSTITUTIONE IMPERATORIS ANTONINI, CIVES ROMANI EFFECTI SUNT.

EZECHIELIS SPANHEMII

ORBIS ROMANUS.

Sive ad Conſtitutionem *IMPERATORIS ANTONINI*, de qua *ULPIANUS* Leg. XVII Dig. De STATU HOMINUM,

EXERCITATIONES DUÆ.

EXERCITATIO PRIMA.

De CIVIBUS ROMANIS *ab URBIS Natali ad* IMP. ANTONINUM PIUM.

QUUM nuper ea Imperatoris Juliani verba commentarer, quibus omnes Romano Imperio ſubjecti, Romanæ dicuntur Civitatis participes, poſt memoratam celebrem, & ab Ulpiano traditam ea de re legem, ſeu verius Imperatoris Antonini quam is refert, conſtitutionem, ac nonnulla quæ id argumentum tangerent, a me ibi prolata, hæc continuo ſubdidi: " ſed de his plenius alibi. Dum enim ea quæ de nobili " hac conſtitutione, qua civitas omnibus in Orbe Roma- " no data dicitur, & ad quam reſpicit hoc loco Julia- " nus, ſeu de tempore, vel a quo Antonino Imp: (neque " enim hic veteres aut recentiores, ut obiter paullo ante " monui, ὁμόψηφοι) ſit eadem lata: maxime autem quæ vis

 ejuſdem

“ ejusdem legis, & quis effectus in Orbe Romano deinceps,
“ ac ante Juliani ætatem, vel ejusdem ævo ac deinceps
“ fuerit, ut inde major lux hisce ejusdem ea de re verbis ac-
“ cederet, hic adnotaveram, plures præter constitutum com-
“ pleverint paginas: eadem opportunius, & cum minori
“ lectoris fastidio, ac præterea ob argumenti dignitatem,
“ in peculiarem Diatribam, ad calcem harum in Julianum
“ observationum, αὐτόθι, adnectendam, rejicienda censui.
“ Neque enim pauca sunt forte vel levia, & nec dum eti-
“ am ab iis, qui hæc adtigêre, animadversa, quæ am-
“ biguum forte & perplexum, vel latæ illius constitutionis
“ tempus ac autorem, vel eadem constitutione datum, om-
“ nibus in Orbe Romano ingenuis, jus civitatis reddunt,
“ seu reddere aliquatenus possunt. Quam autem ea de re fidem ibi dederam, nec licuit mihi tum adimplere, eam absque interposita longiori mora, nunc utcunque liberare constitui: tum quod id a me viri graves et eruditi, ac horum aliqui mihi de nomine, vel e libris tantum ab iis editis, hactenus noti, officiose exigerent: tum inde ne vana prorsus, quod fieri sæpenumero contigit, qualiscunque hujus commentationis pollicitatio a me ibi profecta videretur. Cui instituto accessit illud opportune, quod haud aliena utique id genus argumenti tractatio appareret, quam Romanarum Antiquitatum Thesauro, felicibus celeberrimi amicissimique Grævii auspiciis membratim prodeunti, inserendam, & rogatus quidem, concederem. Etsi enim præclari sint omnino & accurati, quos de Romanæ civitatis, aut earum, quæ Romanis parebant, urbium vel provinciarum jure, summo studio & singulari eruditione ac industria elucubravit superiori seculo Sigonius, quique in editis illius Thesauri voluminibus denuo prostant, libri: ii tamen ad eam demum, quæ primis sub Regum dominatione, ac dein liberæ Urbis temporibus, non vero quæ sub Cæsarum imperio obtinuit, hujus juris aut beneficii, eorumve qui illo sunt potiti, conditionem ac amplitudinem respiciunt.
Neque

Neque vero me qualicunque eo labore levatum ab iis videbam, qui hanc traditam ab Ulpiano legem, qua IN ORBE ROMANO QUI SUNT EX CONSTITUTIONE IMPERATORIS ANTONINI CIVES ROMANI EFFECTI SUNT, viri cæteroquin Quiritium publici privatique juris, aut Antiquitatum quoque bene periti, subinde sunt commentati: dum nec eas, in quibus eadem Ulpiani verba incurrunt, difficultates tangunt, aut solvunt: aut vero vim illius constitutionis & effectum, quod obiter ad Julianum monueram, vix adtendunt, vel enarrant. Unde me rem nec plane jam transactam aut protritam facturum censui, si quæ forte eo de argumento a me observata, dum nuper Augustum Scriptorem illustrarem, seposueram, in manus denuo sumerem, & in hac etiam otii mei penuria, cum bona eorum, qui præclaris hisce studiis & antiquitatibus delectantur, gratia, uberius aliquanto & liquidius ordinare & explanare non refugerem.

Antequam vero Ulpiani, de illa memorabili Antonini Imperatoris constitutione, verba paullo intentius expendere adgrediar, de Romana civitate, seu de veteri ejus jure, quale id libera adhuc Republica, ac dein sub Cæsaribus, ad Antoninorum usque tempora exstiterit: quibus illud, præter urbis vel agri Romani incolas, aut post donatam civitate Italiam, subinde fuerit impertitum: quæ diversa etiam ejusdem largitionis, uti ea civitatis concessio a (a) Cicerone alicubi dicitur, ratio seu conditio fuerit; erunt quædam, nec inutiliter, ut opinor, in hac prima exercitatione delibanda.

Liberæ quidem urbis, vel antiquiora ejus tempora quod adtinet, planam eam rem nobis continuo præstat, minusque impeditam, accurata, quod paullo ante jam monui, eo de argumento commentatio viri, quo nullus superiori ævo, non Italorum duntaxat, sed Transalpinorum hominum, Romanas id genus antiquitates, majori judicio, fide ac diligentia

(a) *Largitio ac communicatio Civitatis*; *pro* Balbo, cap. 31.

pertractavit. Quamobrem mihi abunde nunc erit, ea demum repetita e priscis illius urbis institutis, seu juris hujus, quod inde latius dimanavit, primordiis, hic summatim adtingere, ac nova subinde luce perfundere; vel nonnulla etiam controversa, de illo Romanæ civitatis jure, capita, post Sigonium, maxime ubi ab eo discedendum videbitur, aut is ea parcius adnotavit, vel quandoque præteriit, paullo adtentius retractare vel expendere: unde illa Antoniniana constitutio, & qui velut gradus ad eam ferendam exstiterint, possent plenius aliquanto ac dilucidius percipi. Ac primo quidem de Romanis civibus, ab Urbis Natali ad Julium Cæsarem: dein a I. Cæsare ad Antoninorum usque, & quidem primi ex iis, vulgo Pii, tempora, hac prima Exercitatione agendi erit nobis locus.

I.
De CIVIBUS ROMANIS
AB URBIS NATALI
AD
JULIUM CÆSAREM.

CAPUT. I.
De Primis URBIS ROMÆ *CIVIBUS, nec una eorum conditione.*

ILLUD equidem nemo, uti opinor, ambiget, quod qui primi Urbis Romæ, iidem quoque civium Romanorum, quomodo sequutis ætatibus suscepti a Cæsaribus, imperii sunt similiter nuncupati, natales, continuo fuerint. Etsi

Etsi enim, qui sunt primum in civitatem recepti, sub Regum imperio, per (*a*) ducentos & quadraginta quatuor annos, haud eodem prorsus seu optimo civitatis jure, quo parta demum libertate & communicatis plebi honoribus, sint usi; haud minus pro civibus Romanis sunt continuo habiti, qui vel in urbe, vel in ejus agro domicilium, consensu vel ex pacto, constituerant. Quomodo præter collectam primum, eamque sine discrimine, ut ea de re (*b*) Livius e finitimis populis civium turbam, a Romulo præterea mox in civitatem adsciti, & in curias dein adscripti, Camerini Antemnates, Crustumini, ac postremo etiam loco Sabini. Quod consilium quam salubre & gloriosum Romanæ magnitudini fuerit, docet his verbis Cicero: *(c) Illud vero sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit imperium, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille creator hujus urbis Romulus, fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis AUGERI CIVITATEM oportere.* Unde sub aliis dein Regibus, illa communicandi quibus libet, qui Romam vellent commigrare, civitatem, inducta semel ab ejus initiis consuetudo tenuit; ac inde in constitutas sub Servio Tullio varias civium classes ac tribus relati iidem ac censi. Adeo ut quanquam eos optimo jure cives haud immerito statuat *(d)* Aristoteles, qui in populari statu vivunt, magistratuum, ut ille ait, ac judiciorum participes: haud ideo tamen illos civium numero excludit, qui Regibus aut Optimatibus parent. Immo nec sub Regibus, gemino illo beneficio, in quo plenum jus civitatis a Philosopho statuitur, fuerant cives Romani omnino destituti: dum illis, qui inter eos opibus ac genere præstabant, seu Patribus, leguntur commissa jam a Romulo sacerdotia (a quibus novi alioquin cives in *(e)* populari Atheniensium Republica excludebantur), magistratus præterea,

(*a*) Liv. Lib. I. c. 60. Dionys. Halic. L. IV. p. 247.
(b) Lib. 1. cap. 8.
(c) *Pro* Balbo, cap. 31.
(d) Politic. L. III. cap. 1.
*(e)*Demosth. in Neæram p. 741. ed. Græc. Paris.

judicia,

judicia, ac publicis de rebus consultatio: adde, in curiatis ac centuriatis dein post Serv. Tullium comitiis, creandi magistratus, legis ferendæ, bella decernendi constituta potestas.

Idem vero jus civitatis, pulso dein rege seu tyranno, ac regio inde abdicato imperio, haud parum fuit amplificatum: dum supremi & annui quidem Magistratus, civium neque promiscuo tamen adhuc, numero, communibus vero civium suffragiis, seu in populi comitiis, sunt creati: provocatio mox a consulibus ad populum lata: plebeii dein magistratus inducti, iique sacrata lege inviolabiles: ubi omnes denique, ut ait alicubi Tullius *(f) potestates, imperia, curationes, ab universo populo Romano*, si dictaturam tamen mittas, *proficisci convenit*. Quamquam non æquo adhuc, seu optimo jure, agerent, quicunque ea, quam memoravi, conditione, cives Romani censebantur: dum & *patritii*, ut eos alicubi vocat *(g)* Tullius, *Magistratus*, & auspicia, sacerdotia, immo & connubia, nec dum plebi forent communicata. Quæ singula, ubi paullatim plebeii sunt adepti, ut ita & magistratuum, quod requirit, sicut paullo ante diximus, in vero & populari cive Aristoteles, & judiciorum essent, potiori quam antea sub Regibus, conditione ac jure, participes, quicunque inter cives cum jure suffragiorum erant censi, seu in Urbe seu in Orbe Romano haberent ii domicilium; tum pleno iidem & optimo jure civitatis sunt deinceps usi. Quæ autem complexus est hisce ad Quirites verbis Cicero: *(h) retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, cæterorum omnium commodorum*. Quibus nempe cum publicum, tum privatum jus Quiritium contineri facile quivis intelligit: quorum illud, ut monuerunt jam *(i)* alii, in jure *census, militiæ, tributorum, vectigalium, suffragiorum* ac *honorum*; addo, quod vel ex Ulpiano *(k)* ab initio

(f) Orat. II. de Leg. Agrar. c. 13.
(g) Ibid. c. 26.
(h) Ibid. c. 19.
(i) Sigon. de Ant. Civ. Rom. L. I. c. 13. &c.
(k) Leg. 1. Sect. 2. D. de Justitia.

tio Digestorum constat, & *sacrorum*, erat situm; istud vero jus erat *libertatis*, *connubiorum*, *patrium*, *legitimi dominii*, *nexus*, *testamenti*, & *usucapionis*. Immo quomodo, ut hoc insuper addam, potior evasit conditio civis Romani; qui constituto, vel in urbe vel in agro, domicilio, erat tum inter cives census; ac inde in tribus & curias relatus, potior, inquam, eo, qui in civitatem Atheniensium erat olim adscitus. Ii enim, ut nos docet *(l)* Orator Atheniensis (neque enim de Auctore illius orationis satis constat), nec in collegium novem Archonton, seu in præcipuos urbis Magistratus, poterant cooptari; aut ullius sacerdotii, quod supra jam adtigi, vel festorum gentilitiorum esse participes: quod utrumque eorum liberis, si iidem forent, e muliere cive suscepti & legitime desponsa, demum licuit. Quæ exceptio mox apud eundem Oratorem legitur, ubi Atheniensium decretum refert, quo profugis Platæensibus data sit civitas; nempe, ut Græca compendii causa nunc omittam: *(m) Hippocrates retulit, ut Platæenses pro Atheniensibus ab hac die, eadem dignitate, qua cæteri Athenienses, haberentur, & jus habeant, quorum Athenienses jus habent, omnium & sacrorum & profanorum, PRÆTERQUAM quod est SACERDOTIUM, aut FESTUM GENTILITIUM; EXCEPTO item NOVEM ARCHONTON magistratu: eadem etiam addita conditione, ut tamen eorum liberis ea paterent.* Quæ autem de novis illis Atheniensium civibus fuerant constituta: etsi ii, ut de hisce Platæensibus ibidem sequitur, continuo in tribus & curias essent describendi; aut de iis dicat in genere Isocrates, *(n) quod Athenienses civitate illos donaverint, ac omnium pari secum jure frui permiserint*, πολίτας ἐποιήσαντο, καὶ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς ἁπάντων μετέδωκαν. Quomodo de Charidemo, qui ex Orco urbe Eubœæ oriundus, inter cives Atheniensium adscripto, ait alibi *(o)* Demosthe-

(l) Demosth. in Neæram. p. 741. ed. Græc. Paris.
(m) Ibidem.
(n) Panathen. p. 252. ed. H. Steph.
(o) Adv. Aristocrat. p. 438.

nes;

nes; πάσης τῆς πόλεως μεταδόντες αὐτῷ, *universa eum civitate donantes*, ſeu omnibus civitatis Athenarum juribus. Addò, quod alioquin id ab Ariſtide poſt bellum Perſicum Athenis ſancitum refert *(p)* Plutarchus, ut Archontes ex univerſo Athenienſium populo crearentur. Unum autem forte vel alterum apud Romanos, Regii nempe ſacrificuli, & majorum Flaminum, Dialis, Martialis & Quirinalis; ut & Saliorum exſtitit ſacerdotium, quod ſicut Interreges, perpetuo, libera certe Republica, ut id e *(q)* Cicerone ac *(r)* Livio jam eſt a viris doctis obſervatum, remanſit penes patritios.

(p) *In* Ariſtide p. 332.
(q) Orat. pro Domo c. 38.
(r) Lib. IV. c. 54.

CAPUT. II.

De multiplicato civium in urbe numero, ac diverſo Athenienſium ac Lacedæmoniorum, juxta Dionyſium Halic: inſtituto. De diſcrimine ea in re inter eoſdem Athenienſes & Lacedæmonios. De civitate ab Athenienſibus, ſubinde peregrinis, inquilinis, ac Regibus etiam exteris data. Exempla ex Auctoribus antiquis: & Dionyſii Halic: ac Taciti loca ea de re vindicata & adſerta.

ID vero inter eoſdem Athenienſes, uti etiam Thebanos, ac Romanos diſcrimen tangit *(a)* Dionyſius Halicarnaſſenſis, quod ad retinendam generis nobilitatem, nullos illi vel raros cives admitterent: quidam etiam ex iis, hoſ-

(a) Antiq. Lib. XI. p.89.

pites

ſpites ſeu peregrinos repellerent; quibus autem inſtitutis, graviſſima ſenſerint detrimenta: dum Romani diverſo, eoque cœpto primis urbis temporibus, quem ante adtigimus, ac haud intermiſſo deinceps more, de multiplicando promiſcue civium numero, adprime fuerint ſolliciti. Prius vero illud de Lacedæmoniis, quod nuſquam peregrinos in cives adſciſcerent, immo ne id facerent, lata eam in rem a Lycurgo lege, prohiberentur, aliunde obvium ac protritum: adeo ut ab Herodoto, ut hoc addam, (b) alicubi dicatur, quod Tiſamenus Eleus ejuſque frater, *SOLI ex omnibus hominibus SPARTANI CIVES fuerint facti*: ΜΟΝΟΙ δὴ ἀνθρώπων ἐγένοντο οὗτοι, ΣΠΑΡΤΙΗΤΗΣΙ ΠΟΛΙΤΑΙ. Unde quum a Megarenſibus expoſcerent iidem Lacones, ut Hermonem quendam civitate donarent, hoc reſponſum ab iis, ſicuti id refert adverſus (c) Ariſtocratem Demoſthenes, tulêre; *ubi viderent eum a Lacedæmoniis donatum Spartanorum civitate, civem quoque illum Megarenſem ſe facturos.* ὅταν αὐτὸ ἴδωσι Σπαρτιάτην αὐτὸν πεποιημένους τότε καὶ αὐτοὶ Μεγαρέα ποιήσονται. Diverſum autem longe, non ab ea ſolum Spartanorum, eademque nota e priſcis Auctoribus ξενηλασίᾳ, ſive *peregrinorum ejectione*, ſed ab Atnenienſium etiam ac Thebanorum inſtituto, dum iis raros cives admitterent, morem apud Romanos obtinuiſſe, idque inde, ut ſapienter obſervat (d) alibi Dionyſius, quod urbis potentia in vi armorum foret ſita, quæ nulla eſſe poſſit, ſine numeroſa civium multitudine. Qua ratione etiam, quod ille priori monet loco, contigerit, ut poſt acceptas graviſſimas clades, ſicut Cannenſi prælio, & tota ferme Italia ad Hannibalem deficiente, eluctari nihilominus ex iis malis potuerint Romani, ut de hoſtibus etiam ſuis triumpharent: ubi autem Thebani ac Athenienſes in uno prœlio ad Chæroneam a Macedonibus fuerint victi, patria libertate, & Græciæ principatu continuo iidem exciderint. Quam-

(b) Lib. IX. c. 34.

(c) Adv. Ariſtocrat. p. 437. vid. Platon. Lib. XII. de Legib. p. 950.

(d) Antiq. Lib. III. p. 148.

quam Athenienſes quod adtinet,male illos ea in re cum Thebanis, aut vero cum Lacedæmoniis etiam, a Dionyſio componi, inde liceret ſtatuere ; quod, diverſo utique a Spartanis inſtituto, peregrinos non ſolum a ſua civitate, ſpectandi ergo vel diſcendi, ut hoc inter duos illos populos diſcrimen apud (e) Thucydidem tangit, primus ea ætate dux Atheniensium & civis, Pericles, nuſquam excluderent ; ſed eos quoque ad eandem inhabitandam, recepto, quod aliunde notum, *μετοίκων* ſeu *inquilinorum* nomine ac jure admitterent. Unde illud in Græcorum ad Hermogenem (f) commentariis, de diverſis Lacedæmoniorum legibus ac inſtitutis dici videas : *quod neque Athenis laudabimus HOSPITUM ELECTIONEM, neque Spartæ INQUILINORUM JUS hoſpitibus datum.* οὔτε γὰρ ἐν Ἀθήναις ἐπαινεσόμεθα ΤΗΝ ΞΕΝΗΛΑΣΙΑΝ, οὔτε ἐν Λακεδαίμονι τὸ τοῖς ξένοις ἐν τῇ πόλει διδόναι ΜΕΤΟΙΚΙΟΝ. Immo a quibus etiam Athenienſibus , eoſdem inquilinos, vel pereginos alioquin ſeditione aut bello pulſos, aut aliunde de iis bene meritos, in civium numerum , nec infrequenter aut exiguo quandoque numero adſcitos quoque conſtat. Quum illud de *peregrinis* nempe & *inquilinis*, ac gemino quidem cum Romanis propoſito & fine, ab Athenienſibus factum , auctor eſt ipſe (g) Dionyſius , apud quem Romanorum Rex Servius Tullius, Athenienſium exemplo , communicatam cum Etruſcis ac Sabinis, aliiſque advenis, in ipſis urbis cunabulis , civitatem, adverſus Albanum Metium Fufetium aperte tuetur. Id vero de Athenienſibus perhibet quoque (h) Diodorus, eos continuos cladibus debilitatos,extremis belli Peloponneſiaci temporibus, inquilinis, aliiſque peregrinis , qui communem belli aleam ſubire cum iis vellent, in civitatem receptis, ingentem inde civium numerum collegiſſe. Idem quoque, poſt ejectos jam ante tyrannos, a Cliſthene Athenienſi factum,

(e) Lib. I. p. 97. & Lib. p. 123.
(f) Syrian. in Hermogen. p. 27.
(g) Antiq. Lib. III. p. 147.
(h) Lib. XIII. p. 256.

ut

ut multi similiter e peregrinis, inquilinis, immo servis etiam, civitate donarentur, observat (*i*) Aristoteles. Quamquam servos quod adtinet, lege Athenis vetitum, ne civitas iis concederetur, tradit alicubi (*k*) Dio Chrysostomus. Immo quem receptum ab Atheniensibus morem, advenas & inquilinos in cives haud infrequentur adsiscentibus, tangit & commendat, ut observo, adversus (*l*) Aristocratem Demosthenes, cujusque ea de re verba, ut Græca, rursus brevitatis ergo prætercam, merentur hic adscribi: *Existimo equidem, viri Athenienses, quod quicunque legum nostrarum & consuetudinum cupidi, CIVES nostri fieri optarunt, illos continuo HORUM COMPOTES FACTOS apud nos habitasse, & eadem consequutos, quorum participes fieri voluerant.* Ita alterum illud, de exulibus nempe, aut seditione & bello pulsis, qui Athenas jam olim, tanquam ad stabilem commigrarant sedem, in cives itidem relatis, auctaque inde haud parum ac florente civitate, a duobus gravissimis auctoribus (*m*) Thucydide & (*n*) Strabone traditur. Immo quod auctore Solone ab Atheniensibus factum, ut patria nempe in exilium pulsis, quique Athenas confugerant, civitas concederetur, docet in ejus vita (*o*) Plutarchus. Ut proinde haud novum acciderit, quod Byzantii, qui, ut apud (*p*) Xenophontem legitur, urbem Alcibiadi prodiderant, post admissos vero in ea Lacedæmonios, Athenas profugi, uti de Platæensibus similiter paullo ante dictum, civitate continuo sint donati. Id enim alioquin iisdem Atheniensibus haud insolitum, ut quod supra jam adtigi, bene de se ac urbe meritis, absentibus, etiam & sat longo terrarum aut marium intervallo subinde dissitis, uti de Rhodiis paullo post dicetur, civitatem quoque largirentur. Immo ne id Romanis proprium ac peculiare exstitisse quis forte censeat, Reges quoque ad testandam in eos benevolentiam,

(*i*) Politic. Lib. I. cap. 11.
(*k*) Orat. XV. p. 235.
(*l*) Pag. 423.
(*m*) Lib. I. p. 2.
(*n*) Lib. IX. p. 393.
(*o*) In Solone p. 95.
(*p*) Ελλαν Lib. IV. p. 407.

aut remunerandam illorum erga se propensionem, civium quoque suorum numero leguntur haud semel adsumpsisse. Hinc modo Perdiccæ Macedonum, aut Corysi Thracum Regibus, Ariobarzani præterea, tribusque ejus Filiis: ut Menonem Pharsalium, & Charidemum, infra illud fastigium positos, jam mittam, jus civitatis, tanquam eximium quid ac singulare, pro collatis in Athenienses beneficiis, præmium ultro concessisse, memorat haud (q) uno loco Demosthenes. Unde ob frequentia eorum cum Thracibus commercia, (r) Sitalcem jam ante eorum Regem, civitate quoque donaverant Athenienses; ejusque ut ab (s) Aristophane dicitur φιλαθηναίου, Filium, de quo idem Comicus:

(t) Ο δ' υἱὸς, ὃν ΑΘΗΝΑΙΟΝ ἐπεποιήμεθα.

Filius autem, quem CIVEM ATHENIENSEM fecimus, ac (u) Thucydides, qui Sadocem eundem vocat: (x) Teren præterea, qui cum hoc Sadoce idem ab aliis statuitur, & Cersobleptem, Cotyos filium, Thracibus quoque imperantes. Quibus adde insuper (y) Dionysium Syracusanorum Tyrannum; Evagoram Cypri Regem, eorumque posteros; (z) Leuconem præterea Bospori principem ejusque liberos, ut de tribus hisce, eorumve posteris id jam monuit eruditissimus (a) Meursius. Adeo ut Corinthiis largiores ea in re Athenienses extitisse, vel inde liceat colligere, quod Alexandro Orientis victori, oblata a Corinthiis per legatos civitate, & hoc officii genus primum risisset Alexander, unum e legatis dixisse prodiderit Seneca (b): *Nulli civitatem unquam dedimus alii, quam tibi, & Herculi.* Etsi, quod obiter hic

(q) Adv. Aristocrat. p. 422. 435. 436.
(r) Philipp. Epist. ap. Demosth. p. 93.
(s) Acharn. p. 377.
(t) Ibid.
(u) Lib. XI. p. 118.
(x) Philip. ap. Demosth. p. 93. Schol. Aristoph. Equit. p. 378.
(y) Philip. Epist. Ibid.
(z) Demosth. ad Lepten. p. 288.
(a) De Fortun. Att. cap. 5.
(b) De Benef. Lib. V. cap. 13.

monendum

monendum eſt, dictis paullo ante apud Demoſthenem Menoni Pharſalio, & Perdiccæ Macedonum Regi, ob eadem, quæ is utroque tamen loco tangit, illorum in Athenienſes aut in Græcos in genere merita, non civitatem quidem, ſed immunitatem tantum datam, tradit alio loco (*c*) Demoſthenes; addita etiam hujus rei, quæ hic preteriri non debet, cauſſa: Οὐκ ἐψηφίσαντο ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, ἀλλ' ἀτέλειαν ἔδωκαν μόνον· Μεγάλην, οἶμαι, καὶ τιμίαν καὶ σεμνὴν τὴν αὑτῶν πατρίδα ἡγούμενοι, καὶ πάσης μεῖζον εὐεργεσίας. *NON decreverunt CIVITATEM, ſed IMMUNITATEM DUNTAXAT: Magnam nimirum, & præclaram ac venerabilem ſuam patriam exiſtimantes, & quovis majorem beneficio.* Cui autem contrariæ adeo de eodem facto, eademque de cauſſa, ejuſdemque prætereà auctoris, quem rei illius veritas fugere non debuerat, datæ nempe ab Athenienſibus, aut non datæ Menoni illi & Perdiccæ civitatis, narrationi, quæ fides præſtari debeat, haud licet nunc certo ſtatuere. Idem vero Orator (*d*) alibi, ipſius Thracum Regis Cotyos, etſi civitate prius, quod tradit etiam (*e*) Valerius Maximus, donati, ſed qui magnis dein injuriis Athenienſes adfecerat, duos interfectores Theſſalos, in civitatum Athenis adſcriptos, aureiſque coronis ornatos refert. Ne Hippocratem jam adducam, quem ab Athenienſibus, ob præclara in eos merita, non eorum ſacris ſolum initiatum, ſed civitate inſuper donatum memorat in ejus vita Soranus. Hiſce vero addi inſuper poſſunt Phanoſthenes Andrius, Apollodorus Cyzicenus, Heraclides Clazomenius, quibus, etſi peregrinis, data ab Athenienſibus imperia, memorat in Jone Plato, ac inde (*f*) Athenæus & (*g*) Ælianus, ut ad hunc cultiſſimum Auctorem noviſſime obſervat vir excellenti eruditione Perizonius. Quamquam duos illos priores Athenienſium duces quod adtinet, id inſolitum ob cognationem, vel

(*c*) Περὶ Συντάξ. p. 100.
(*d*) Adv. Ariſtocrat. p. 422, 423.
(*e*) Lib. III. pag. 3. 7.
(*f*) Lib. XI. p. 506.
(*g*) V. H. Lib. XIV. cap. 5.

origi-

originem videri debeat; quod nempe cum Andrus, tum Clazomenæ ab Atheniensibus essent olim, ut de postrema hac urbe testatur (h) Vellejus Paterculus, conditæ; de priori autem, præter alia, fidem faciat antiquus Andriorum nummus, in quo Pallas cum noctua, noto Athenarum symbolo, & more in eadem veterum nummorum, de quo nos alibi, penu obvio, in originis seu matricis suæ memoriam consignatur. Ad quos autem memoratos hactenus & aliunde adscitos Atheniensium cives, spectat etiam illud Ciceronis, de quo loco adhuc paullo post agetur, in oratione pro Balbo: (i) *Itaque in Græcis civitatibus videmus Athenis, Rhodios, Lacedæmonios, cæteros UNDIQUE ADSCRIBI; in civium nempe numerum.*

Quæ tamen singula haud id continuo efficiunt, ut inde Dionysio fides, & Claudio Imperatori præterea apud Tacitum, abjudicari omnino debeat: dum (k) ille Athenienses, diverso a Romanis instituto, de multiplicanda & augenda e novorum civium confluxu patria, parum sollicitos, aut etiam a simili consilio alienos exstitisse, uti paullo ante vidimus, observat: (l) hic vero similiter adserit, *quid aliud exitio Lacedæmoniis & Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis habebant?* Etsi enim, & pro temporum conditione, aut oborta magna civium penuria, e peregrinis quandoque, aut inquilinis, vel exulibus auctus sit eorum ab Atheniensibus numerus; aut absentibus etiam Regibus, vel privatis, honoris ergo vel pro singulari prœmio aut beneficio, civitas legatur concessa: id jus tamen civium, nec devictis hostibus, vel parere eorum imperio ac pendere tributa adactis, uti eos nuncupare iidem sunt soliti, sociis, aut alioquin in urbem confluentibus alieniginis, Romanorum exemplo, est vulgo ab iis impertitum. Unde etiam antiquis temporibus, in danda advenis civitate faciliores quidem exstitisse

(h) Lib. I. cap. 5.
(i) Cap. 12.
(k) Antiq. Lib. II. p. 89.
(l) Annal. XI. cap. 24.

Atheni-

Athenienſes, ad commemoratum ſupra Thucydidis ea de re locum obſervant veteres (*m*) Critici ; *poſtea vero*, quod addunt ibidem, *non item* ; aucta nempe eorum urbe, & *ob* civium, quibus eadem tum abundabat *multitudinem*, ὕστερον δ' οὐκέτι, διὰ πλῆθος. Adeo ut id *magnum* quid, & *eximium*, ac *venerabile* olim exſtitiſſe, immo *majus omni beneficio*, a majoribus habitum iſtud conceſſæ civitatis jus vel prœmium, non promiſcue proinde aut leviter tum impertitum, tangit idem, de quo paullo ante, & quidem haud (*n*) uno loco, Demoſthenes. Hinc facta alibi Perdiccæ Macedonum Regis mentione, & magnorum illius in Athenienſes beneficiorum, non aliis quidem prœmiis vel honoribus hunc Regem ideo ab iis cohoneſtatum, refert idem (*o*) Orator, *ſed*, quod addit, *CIVITATEM SOLUM dederunt : tum enim id EXIMIUM adeo erat apud OMNES HOMINES, CIVES apud vos FIERI, ut quo id conſequentur talibus eos beneficiis demereri cuperent :* ΑΛΛΑ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ ἔδωκαν μόνον, καὶ γάρ τοι τότε μὲν οὕτω ΤΙΜΙΟΝ ἦν ΠΑΣΙΝ ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ τὸ ΓΕΝΕΣΘΑΙ ΠΟΛΙΤΑΣ παρ' ὑμῖν, ὥσθ' ὑπὲρ τοῦ τυχεῖν τούτων, τηλικαῦτα ἡμᾶς ἀγαθὰ ἤθελον ποιεῖν : Hinc mox iiſdem locis, quod vile dein & abjectum, immo cum perditis hominibus ac ſervis etiam, & quidem turpibus ſceleratorum quorundam Oratorum ſordibus, communicatum, ac iiſdem venundatum fuerit jus illud Athenienſis civitatis, haud immerito queritur & ſuccenſet Demoſthenes. Ad quæ priora proinde Athenienſium tempora, & habitos tum ab iis in adſciſcendis multiplicandiſve novis civibus reſpectus, reſpicit adductis ſupra locis Dionyſius, aut apud (*p*) Tacitum Imperator Claudius ; moremque illum, quem modo adtigi, ſolemnem, quo nec alienigenis vulgo in urbem confluentibus, aut devictis vel receptis in fidem populis ac civitatibus, eſt eorum civitas conceſ-

(*m*) Schol. Thucyd. Lib. II. p. 3.
(*n*) Περ Συντάξ p. 100. Adde adv. Ariſtocrat. p. 436.
(*o*) Adv. Ariſtocrat. p. 436.
(*p*) Annal. XI. 24.

ſa ;

ſa; quo inde urbs eorum augeretur, ac firmaretur imperium, & quod de Romanis ait Imp. Claudius, *quo terræ genteſque in nomen eorum coaleſcerent*; immo nec pleno etiam jure, ut ſupra vidimus, novis civibus in tribus Athenienſium relatis, eſt eadem ab iis impertita. Quo referri inſuper debet, quod in memorato paullo ante Solonis de adſciſcendis in cives exulibus, ſcito ab eo conſtitutum, nominatim memorat (*q*) Plutarchus: ut iis duntaxat daretur civitas, qui e patria in perpetuum exilium pulſi, cum tota familia Athenas venerant; aut qui cæteroquin artis exercendæ cauſſa in eam urbem commigraſſent. Quæ utique haud obvium adeo ac parabile apud Athenienſes jus illud civitatis, nec ad Romanorum proinde morem & exemplum, uti ea de re Dionyſius, conformatum, abunde arguunt. Unde etiam collapſas res Athenienſium, ſicuti aliorum quoque, qui ſimili inſtituto ea in re ſunt uſi, Græcorum, obſervant, ut ſupra vidimus, graviſſimi Auctores, Dionyſius ac Tacitus.

(*q*) In Solone p. 95.

CAPUT.

CAPUT. III.

De peregrinis; devictis populis; servis publicis *vel* civitatis, *in publicum: vel aliis servis, qui a dominis manumissi; iisque inde, ac hostibus etiam, civitate Romana donatis. Varia Dionysii Halicarnassensis, Livii, Ciceronis, ac Veterum Jurisconsultorum loca ea de re adducta & illustrata.*

DIVERSI equidem ab Atheniensibus, de quibus modo vidimus, Romanorum consilii, & salubrioris utique, illustre exemplum suppeditat *(a)* Livius: quum nempe post captam & incensam a Gallis urbem, magna foret civium, qui novis eam ædificiis instaurarent, penuria, duo eam in rem a Romanis opportune provisa memorat: unum, dum in urbem Senatus-consulto fuerunt revocati, & quidem sub capitis pœna, qui *ædificandi*, quod ille ait *pigritia*, Vejos se contulerant. Alterum mox tangit, quod eodem anno, & quidem Senatus populique Romani, uti tum obtinuit, auctoritate, novi adhuc & peregrini quidem cives in urbem sint adsciti: nempe qui Vejentium, Capenatiumque, & Faliscorum per ea tempora ad Romanos transfugerant, agerque iis adsignatus: eaque insuper occasione, quatuor novæ tribus additæ, quæ viginti quinque tribuum numerum explerent. Quomodo jam antea a Rege Tullio, ac proinde ante partam libertatem, de Romanis dictum refert Dionysius *(b)*: ἅπασι τοῖς ξένοις ἐπιτρέποντες, τῆς πόλεως μετέχειν, *quum quoslibet peregrinos admittat ad jus civitatis*: nempe vel e victis, uti ea de re jam supra, hostibus; aut cæteroquin qui de populo Romano, uti paullo post dicetur, vel eo-

(a) Lib. VI. cap. 4.

(b) Antiq. Lib. IV. p. 226.

rum ducibus ſeu imperatoribus, erant bene meriti. Unde jam ante ab eodem Rege Servio dicitur : (*c*) *ὑμεῖς γὰρ τοιοῦτον δέομαι αἰσχύνεσθαι* ΚΟΙΝΗΝ *ἀναδείξαντες* ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ *τοῖς βουλομένοις, ὥστε καὶ σεμνυνόμεθα ἐπὶ τούτῳ μάλιστα τῷ ἔργῳ* : *nos enim adeo non pudet*, COMMUNICASSE CIVITATEM *quibuſlibet eam repetentibus, ut ea re præcipue gloriemur.* Etſi peregrinos quod adtinet Romæ morantes, non eos promiſcue, ſequutis dein ætatibus, & multiplicato jam haud parum civium numero, civitate continuo donatos, ſed *peregrinæ conditionis*, ut iidem apud (*d*) Suetonium dicuntur, remanſiſſe, ſat aliunde conſtet. Hinc ab frequentem dein eorum numerum, ſeu, ut ea de re Pomponius (*e*) *Peregrinorum in civitate turbam*, creatus, ut ex eodem, & (*f*) Livio paſſim conſtat, præter Prætorem urbanum, ſed poſt annum demum urbis quingenteſimum, *peregrinorum* in eadem Prætor ; qui, nempe inter eos, ſeu uti ſubinde de iiſdem Prætoribus (*g*) Livius, ac præterea (*h*) Tacitus, *inter cives ac peregrinos jus diceret.* Etſi factum quoque obſervo, ut poſt creatum etiam Prætorem peregrinorum, utramque tamen, *Urbanam* & *peregrinam juriſdictionem*, ſeu *ſortem*, ſeu *provinciam*, (hiſce enim nominibus eas vocari promiſcue apud (*i*) Livium videas) ſortiretur quandoque unus Prætor : vel nempe tres reliqui Prætores in provincias, quas ſortiti erant, Galliam puta, Siciliam, Sardiniam, aliaſve exire poſſent ; aut vero *peregrinam cum Gallia*, nempe *provinciam*, L. Veturius Philo (*k*) alibi apud eundem Livium. Adde, quod latæ etiam poſtea fuerint leges, ſicuti (*l*) Licinia & (*m*) Mucia, quibus cautum fuit, ne pro civibus ſe gere-

(*c*) Ibid. Lib. III. p. 147.
(*d*) In Claud. c. 25.
(*e*) Leg. 11. Sect. 28. D. de Orig. Jur.
(*f*) Vid. Epitomen : Lib. XIX.
(*g*) Lib. XXII. c. 35. XXXIII. 36. XXXIX. 8. 38. XLII. 1. &c.
(*h*) Annal. L. I. c. 15.
(*i*) *Urbana ſors Pomponii inter cives & peregrinos.* L. XXII. c. 25. *peregrinam ſortem in Juriſdictione habuit.* L. XXIII. c. 30.
(*k*) Liv. L. XXVII. c. 36.
(*l*) Cicero pro Balbo c. 21. Aſcon. Pæd. in Cornelian.
(*m*) Ibidem.

rent

rent socii vel peregrini: ac aliunde præterea, seu e libris veterum Juris-consultorum, & qua de re in postrema hujus commentationis parte dicetur, liqueat, quod *(n)* heredes institui non potuerint peregrini, sed, id quod adtinet, eadem conditione, ut aiunt, iidem, fuerint, qua *(o)* deportati vel *(p)* dediditii, cum quibus, ut Ulpianus loquitur, *(q) testamenti factio non est*. Ut nunc mittam peregrinos quandoque, sed quod non obtinuit, urbe prohibitos, ut olim Gracchorum temporibus, a Penno, ac ævo Ciceronis, Cotta & Torquato Consulibus, a Caio Papio. Quam in rem præclarus exstat apud Tullium de Officiis locus: *(r) inde etiam qui peregrinos uti urbibus prohibent, alii exterminant, ut Pennus apud patres nostros: Papius nuper. Nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientissimi Consules, Crassus & Scævola: usu vero urbis prohibere peregrinos sane inhumanum est*. Quanquam neque ipso civitatis jure prohibitos peregrinos, immo qui hostes antea, dein stipendiarii evaserant, idque citra ullum gentium discrimen, tangit alibi idem Cicero; *(s) Nam & STIPENDIARIOS ex Africa, Sicilia, Sardinia, cæterisque provinciis, multos CIVITATE DONATOS vidimus: & qui HOSTES ad nostros Imperatores perfugissent, & magno usui Reipublicæ nostræ fuissent, scimus CIVITATE esse DONATOS.* Quod de Afris, Sardis, Hispanis, *agris* alioquin *stipendioque*, ut ibidem ait, *multatis*, qui virtute adepti fuerant civitatem, memorat rursus in eadem *(t)* Oratione Tullius. Adde quod potiori adhuc jure, libera etiamnum Republica, cives subinde Romani fierent, qui stipendiis emeritis, suam in bello fidem præstiterant socii: uti de trecentis Campanis equitibus, qui in Sicilia cum fide meruerant, id nominatim memorat alicubi Livius: *(u) la-*

(n) Leg. VI. Sect. 2. D. de Hered. Inst.
(o) Leg. 1. Cod. de eodem.
(p) Ulp. Tit. XX. Sect. 14.
(q) Idem Tit. XXII. Sect. 2.
(r) Lib. III. c. 11.
(s) Pro Balbo c. 9.
(t) Ibidem. c. 18.
(u) Lib. XXIII. c. 31.

tum ad populum, ut cives Romani essent. Cujusmodi vero moris vel beneficii, civitatis nempe Romanæ, veteranis, & qui vicina aut plura stipendia meruerant, militibus, sub Cæsaribus dein similiter datæ, occurrit etiamnum consignata in priscis aliquot inscriptionibus, & de quibus paullo infra dicetur, memoria.

Eodem vero insigni civitatis prœmio, servos quoque donatos, priori loco adtigerat Tullius: *(x) SERVOS denique, quorum jus & conditio infima est, bene de Republica meritos, persæpe libertate, id est, CIVITATE PUBLICE DONATOS videbamus.* Cujusmodi, præter notum illum Bruti liberorum, vix parta libertate, delatorem Vindicem, quem ibi adducunt viri docti, occurrunt alii tredecim servi, ob servatam ab incendio ædem Vestæ, ut ejus rei meminit Livius. *(y) Ædes Vestæ vix defensa est, TREDECIM maxime SERVORUM opera, qui IN PUBLICUM redempti & MANUMISSI SUNT.* Et quo tempore insuper, Campanorum quorundam servo, indici illius incendii, quo eadem Ædes, & alia Romæ ædificia conflagrarunt, libertas, auctore ibidem Livio, & publice quidem, Consulis quippe ex auctoritate Senatus, decretis est indulta. Quomodo sequutis ætatibus, latis quoque eam in rem Imperatorum constitutionibus, servi, quorum egregia in principem, vel in Rempublicam fides, aut salutare indicium exstiterat, in publicum ibidem, seu e fisco redempti; ac civitate donati leguntur. Unde etiam peculiaris adhuc in Justinianeo codice (z) titulus, *de servis Reipublicæ manumittendis*; nempe qui *(a) servi civitatis*; vel *servi communes civitatis*; sicut & *liberti civitatis*; alibi, *(b) servi ad universitatem pertinentes* dicuntur in Pandectis. Cujus autem rei, sive de manumittendis in publicum, qui id meruerunt, servis,

(x) Pro Balbo. c. 9.
(y) Lib. XXVI. c. 27.
(z) Cod. Lib. VII. Tit. IX.
(a) Leg. VI. D. de Divis. Rer.
(b) Tit. D. De Manumiss. Quæ servis. &c.

vel

vel una Constantini Imp. constitutio, quæ in eodem codice etiamnum exstat, abunde fidem præstabit: (c) *SERVI, qui monetarios adulterinam monetam clandestinis sceleribus exercentes, IN PUBLICUM detulerunt, CIVITATE ROMANA DONENTUR, ut eorum Domini PRETIUM A FISCO accipiant.* Quo spectant emptæ publice, ut de illis (d) Livius, volonum seu servorum, qui sponte militiæ post Cannensem cladem, nomina apud Romanos dederant, legiones. Eas enim ob præstitam insignem in prœlio ad Luceriam contra Pœnos operam, libertate, ac civitate proinde, uti hæc sociantem modo vidimus Tullium, pro concione a T. Gracco, donatas refert ibidem Livius: & quidem, ut id postea (e) ab illo adhuc tangitur, pretiis eorundem servorum, dominis a triumviris Mensariis, seu ex ærario publico persolutis. Quibus adnumerari itidem debent, qui ob necem detectam domini, *ex Senatusconsulto*, ut de iis id nominatim tradit (f) Ulpianus, *libertatem meruerant.* Accessit alioquin, & quod utique præteriri hic non debet, haud exiguus, immo immensus ferme servorum, & quidem qui non in *publicum*, quod aiunt dictis modo locis, Cicero, Livius, aut Romani etiam juris conditores, ac tanquam de populo Romano, vel de Principe, sed qui de dominis suis privatim bene meriti aliisve de causis, ab iis, vel vindicta apud Prætorem, Consulem, aut apud Præsides in provinciis; vel testamento manumittebantur: quosque inde non libertatem solum, sed civitatem quoque Romanam, ut e dictis modo Auctoribus & constitutionibus vidimus, consequutos constat. Quod insuper ab ipsa urbis origine jam obtinuisse, diverso proinde ab Atheniensibus, uti ea de re paullo ante, more ac ritu, fidem facit, & qui inde illustratur, Imp. Justinianus, dum ait: quod

(c) Leg. 11. Cod. pro Quil. Cauf. Serv. &c.
(d) Lib. XXII. c. 57.
(e) Lib. XXIV. c. 16.
(f) Leg. III. Sect. 4. D. De Suis & Legitim: Hered.

(g) a

(g) a primis Romæ cunabulis, una atque simplex libertas competebat : id est eadem quam habebat manumissor : nemque, quod addit ad eandem locum Theophilus, *(h)* ϰ̀ ἀμφότεροι εἶναι ΠΟΛΙΤΑΣ ΡΩΜΑΙΟΥΣ, & *uterque CIVIS esset ROMANUS*, tam manumissus nempe servus, quam herus aut dominus manumissor. Quales proinde manumissos, ac inde cives factos, in quatuor urbanas Romanorum tribus descriptos, tradit rursus apud *(i)* Dionysium Rex Tullius; & in quas suo adhuc tempore relatum, quidquid esset libertini generis, addit idem Auctor. Quod tamen, hosce quod adtinet libertinos, in quatuor tribus conjectos, a Censoribus L. Æmilio & C. Flaminio primum inductum, ac proinde anno demum U. C. DXXXII, refert in *(k)* Liviana Epitome Florus. Id quod in genere de forensi, seu viliori civium turba, a Q. Fabio Censore jam antea, seu anno U. C. DXLIX, provisum observat Livius. Ex illo autem, quod a Servio Tullio celebrari apud Dionysium diximus, Romanorum instituto, in communicanda cum quibuslibet civitate, factum videmus, ut quum sub eodem Rege censi jam sint anno U. C. CXIV. civium Romanorum octoginta, juxta *(l)* Livium, millia, aut juxta *(m)* Dionysium LXXX minus trecentis millia: sequenti autem censu, qui nempe intermissus fuerat sub Tarquinio, annis interjectis uno & quinquaginta, seu anno U. C. CCXLVI, censa sint, juxta eundem *(n)* Dionysium, civium, qui pubertatem adtigissent, centum & triginta millia.

Contigit autem haud longo temporis decursu, & præter eos, qui domicilium vel in urbe, vel in agro penitus constituerant, ac in urbanas vel rusticas tribus erant adscripti; vel qui dein, relicta patria, Romam commigrantes advenæ, inter Romanos cives fuerant itidem censi;

(g) Inst. n. 3. De Libertin.
(h) Ibidem.
(i) Antiq. L. IV. p. 226.
(k) Lib. XX.
(l) Lib. V. c. 44.
(m) Antiq. L. IV. p. 241.
(n) Ibid. L. V. p. 293.

factum

factum inquam, ut peregrinis quoque aliorum oppidorum, & qui in iis remanebant, incolis, aut victis etiam, quod ante dicebamus, nec tamen in urbem abductis hostibus, modo sigillatim, modo universis jus Romanæ civitatis, Senatus populique Romani judicio ac auctoritate, deferretur. Quam in rem rursus expressa sunt, quæ apud *(o)* Dionysium leguntur verba; quibus id longe maximum exstitisse Romanæ libertatis & futuræ magnitudinis ac dominationis fundamentum tradit, quod nempe Græcorum more, captas urbes non exscinderent, sed in more haberent, ποιεῖν ἀποικίας Ῥωμαίων τὰς κρατηθείσας, ἐνίαις δὲ καὶ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ μεταδιδόναι, *in devictas urbes colonias Romanas mittere, quibusdam autem CIVITATEM dare.* Unde ea M. Valerii Lævini consulis apud Livium verba: *(p) jam inde a majoribus traditum morem colendi socios, ex quibus alios IN CIVITATEM atque ÆQUUM SECUM JUS* (Græcis enim ἰσοπολιτείαν) *accepissent*; ac prout antiquioribus adhuc urbis temporibus Tribunus plebis Canalcius aiebat: *(q) Nos quidem CIVITATEM, quæ plus quam connubium est, HOSTIBUS etiam victis dedimus.* Quibus tamen videtur continuo refragari, id quod apud Ulpianum hodie alicubi legitur: *(r) HOSTES tamen, item transfugæ, ea pœna adficiuntur, ut VIVI COMBURANTUR.* Priora enim legis illius verba in mendo cubare, ac legendum ibidem, *AD HOSTES autem transfugæ*, &c. ut notant ibi interpretes, vere jam monuit magnus *(s)* Cujacius; quod nunquam gravis illa pœna a Romanis fuerit eorum hostibus inflicta, ut vivi nempe exurerentur, cum jure gentium sint servandi: adde, ut modo vidimus, ad connubia ac civitatem etiam a Romanis fuerint admissi. Cujus autem providi ac sapientis Romanorum consilii auctorem, parentem eorundem & conditorem, agnoscit continuo apud *(t)* Tacitum, dicto ante

(o) Antiq. L. II. p. 89.
(p) Lib. XXVI. c. 24.
(q) Lib. IV. c. 3.
(r) Leg. VIII. S. 2. D. de Pœnis.
(s) Observ. L. IV. cap. 9.
(t) Annal. XI. c. 9.

loco,

loco, Imp. Claudius: *at conditor noster Romulus, tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die HOSTES, dein CIVES habuerit*: nempe postquam Atheniensibus ac Lacedæmoniis exitio fuisse, ut supra vidimus declarasset, *quod victos pro alienigenis habebant.* Quæ certe eruditi principis, vel gravissimi Auctoris, de Atheniensibus nominatim, haud minus ac de Lacedæmoniis verba; uti quæ de iisdem a Dionysio Halicarnassensi similiter proferuntur, abunde ex iis, quæ modo addidimus, comprobantur. Unde non est, quod quispiam miretur, uti subinde a viris excellenti doctrina factum video, Athenienses cum Lacedæmoniis ab Imp. Claudio, ea quidem in re conjungi, quod victos pro alienigenis habebant.

CAPUT IV.

De communicato inter Græcas Urbes, & quandoque unius Provinciæ, Romanæ civitatis jure. De simili jure multarum civitatum privatis subinde, uti Medicis, Oratoribus, Poetis, Athletis, Citharœdis, &c. similiter a Græcis Civitatibus dato. Id ex Auctoribus & antiquis Inscriptionibus illustratum.

QUamquam ob mutua urbium fœdera vel commercia, commune jus civitatis inter varias Græcorum urbes, easque sat longis terrarum intervallis subinde dissitas, sit sancitum. Unde quod e Tullio supra obiter adtigi, a Livio plenius refertur: (*a*) *de*

(*a*) Lib. XXX. c. 15.

civi-

civitate Rhodiis ab iisdem Atheniensibus data, quemadmodum prius Rhodii Atheniensibus dederant; ac jam ante monuerat (*b*) Polybius, & quæ ἰσοπολιτεία, seu *æquum secum jus civitatis*, interprete ejusdem vocis, ut antea vidimus, Livio, ab eodem Polybio, aliisque simili in re Græcis Auctoribus dicitur. Quam, uti idem (*c*) Polybius eam vocat, συμπολιτείαν (opportuna eam in rem voce, uti συμπολίται, refragrantibus licet priscis aliquot Grammaticis, adhibent juxta (*d*) Pollucem, (*e*) Euripides ac (*f*) Ælianus) seu *commune jus civitatis* inter Perinthios ac Byzantios restituendam memorat alibi (*g*) Polybius. Qualem etiam inter *Cretenses & Apolloniatas* extitisse, sed a prioribus præter fas violatam, docet idem in (*h*) Excerptis Valesianis; ubi per Cretenses intelligi debent aut supplendi e Diodoro in iisdem (*i*) Excerptis, ubi id factum quoque tangitur, *Cydoniatæ*: quum *Apolloniatæ* illi eorum συμπολῖται, Cretenses itidem forent, ut e Plinio, Ptolemæo, Stephano, constat: immo duæ eo nomine in Creta urbes, & ipsa *Cydonia*; olim *Apolloniæ* nomine, juxta eundem (*k*) Stephanum, sit dicta. Haud aliter nempe ac in fœderis tabulis inter duas alias Cretensium urbes, *Hierapytnenses* ac *Priansios*, quas primus vulgavit (*l*) Pricæus, & quæ leguntur etiam inter (*m*) Marmora Oxoniensia, ἰσοπολιτεία, seu *æquum jus civitatis*, constituta legitur. Quo spectat inter alia, & quod primo loco in iisdem Marmoribus comparet, antiquum inter *Smyrnæos & Magnesios* fœdus, (*n*) ubi ἰσοπολιτεία similiter in posteriorum gratiam a Smyrnæis decernitur, ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ ἐν Σμύρνῃ ΕΦ ΙΣΗ, καὶ ὁμοίᾳ τοῖς ἄλλοις πολίταις.

(*b*) Exc. Legat. III.
(*c*) Hist. Lib. XVII. p. 744. & Exc. Legat. XXVIII. p. 832.
(*d*) Pollux Lib. III. c. 4.
(*e*) In Heraclid. & Theseo.
(*f*) V. H. L. III. c. 44.
(*g*) Hist. L. XVII. p. 744.
(*h*) Pag. 133.
(*i*) Ibid. p. 316.
(*k*) In Κυδωνία.
(*l*) In Apolog. Apulei.
(*m*) Pag. 116. p. 1.
(*n*) Ibid. pag. 9. p. 1.

JUS CIVITATIS in Smyrna, ÆQUALE, nec dissimile reliquorum civium juri. Quibus addi debet alius adhuc apud memoratum modo (*o*) Polybium e Timæo locus, a quo inter Græciæ Locros, dictos vulgo Ozolas, & Magnæ Græciæ in Italia Locros, juxta repertas apud priores Locros fœderum tabulas, *sancitum sit jus commune civitatis utrisque*, καθ' ἃ πολιτείαν ὑπάρχειν ἑκατέροις παρ' ἑκατέρων. Quemadmodum inter Jonas Lebedios & Arcadas ἰσοπολιτείαν itidem exstitisse, indicata etiam ejus rei causa, observat alicubi (*p*) Plutarchus. Ut vero inter dictas modo Cretensium aut ejusdem Asiæ, quæ Proconsularis olim dicta, & Græcorum urbes; ita inter Bithyniæ civitates, eam quoque συμπολιτείαν lege Pompeia, iis a Romanis relictam, docet junior Plinius: (*q*) *adscribere sibi quos vellent cives, dum non sint civitatis alienæ, sed suarum quisque civitatum, quæ sunt in Bithynia.* Quod egregie etiam illustrat Bithynus Orator, & Trojani, ad quem hæc scribit Plinius, itidem familiaris, qui cum Prusæ, qua ortus erat, tum Apameæ, duabus Bithyniæ urbibus, se in civem adscriptum tradit: (*r*) εἰμὶ μὲν πολίτης ἑκατέρων, *sum enim civis utrarumque:* immo se ab aliis tum inferioribus, tum dignatione æqualibus Apameæ Urbibus, in civem simul ac senatorem adscitum, ab initio ejusdem orationis tradit: οὐ γὰρ μόνον αἱ λοιπαὶ πόλεις, ἀλλὰ καὶ τῶν ἰσοτίμων ὑμῖν αἱ πλεῖσαι σχεδὸν, ὅτε γέγονε, καὶ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ, καὶ ΒΟΥΛΗΣ, καὶ τῶν πρώτων τιμῶν οὐδὲν δεομένῳ ΜΕΤΕΔΩΚΑΝ, *non enim solum reliquæ urbes, verum pleræque etiam ferme, quæ sunt ejusdem vobiscum dignationis, me nihil rogantem, & CIVITATIS, & SENATUS, ac præcipuorum apud eos honorum FECERUNT PARTICIPEM.* Adeo ut in hoc Dione locum habuerit continuo istud, quod in iis, qui optimo jure cives essent, requirit, ut supra vidimus, Aristoteles: nempe ut in iisdem Bithyniæ urbibus,

(*o*) Excerpt. Vales. p. 49.
(*p*) Quæst. Græc. p. 298.
(*q*) Lib. X. Epist. 115.
(*r*) Dio Prusæ Orat. XLI. p. 499

bibus,

bibus, quarum ille civis fuerit effectus, judiciorum ac magistratuum fieret quoque compos. Cujus etiam rei vel moris exemplum, seu autoritatem verius præstat, ac inde etiam illustratur, id quod altero ab hoc Dione seculo, ab Imperatore Antonino Caracalla, vel Alexandro (variant enim ea in re veteres libri) de duabus similiter unius provinciæ, nempe Phœniciæ, urbibus, dictum in (*s*) Codice legitur: *cum te Byblium origine, incolam autem apud Berytios esse proponas, merito apud utrasque civitates muneribus fungi compelleris.* Inter quas vero primarias Bithyniæ civitates, a quibus Dio fuerat civitate donatus, aliisque honoribus adfectus, occurrit continuo cum provinciæ Metropolis *Nicomedia*, prout is inde auspicatur orationem in ea urbe habitam, (*t*) *se caussas nempe expendere, cur eum Nicomedienses CIVEM FECERINT*, ὅταν ἐκλογίζομαι τὰς αἰτίας, ἄνδρες Νικομηδεῖς, δι' ἃς ΕΠΟΙΗΣΑΤΕ ΜΕ ΠΟΛΙΤΗΝ, tum dignatione eidem Nicomediæ proxima, immo de primatu cum ea certans, Nicæa. Sequentem enim Orationem, quam itidem, antiquo Sophistarum seu Oratorum more, in ea civitate habuit, inde etiam orditur: (*u*) quod haud levi perfundatur gaudio, se honore ibi adfectum & quidem in tam præclara, & omni laude digna civitate; ἐγὼ χαίρω τιμώμενος ὑφ' ὑμῶν ϛ. Ut nec mirum sit, quod a Bithynis itidem *Apamensibus* in civem quoque, quod avo jam ejus & matri, ut id (*x*) alibi ait, contigerat, sit adscitus; & quod, prout itidem id tangit, (*y*) plures e Prusæensibus *facti sint* Apamensium *civitatis & senatus etiam ac magistratuum participes*; καὶ τοίνυν πλείους τῶν ἐκεῖθεν καὶ ΠΟΛΙΤΑΣ ἐποιήσατε, καὶ ΒΟΥΛΗΣ μετεδώκατε, καὶ ἄρχοντας οὐκ ἀπηξιώσατε γενέσθαι παρ' ὑμῖν. Idque opportune omnino ad ea Plinii, quæ in eadem epistola leguntur, verba, (*z*) *præterea quia ab ali-*

(*s*) Leg. I. Cod. de Municip. & Origin.

(*t*) Orat. XXXVIII. p. 468.

(*u*) Orat. XXIX. p. 483.

(*x*) Orat. XVI. p. 500.

(*y*) Ibid. p. 501.

(*z*) Lib. X. Epist. 115.

quibus adfirmabatur mihi, in omni civitate (Bithynorum nempe) *plurimos esse BULEUTAS ex aliis civitatibus.* Quibus illud postremo addendum est, non omnibus urbibus vel populis id Romanos concessisse, ut illam inter se συμπολιτείαν, seu *civitatis communionem* iidem agerent; prout id in Romanorum cum Ætolis fœdere hisce prohibitum docet Polybius, (*a*) πόλιν ἢ μηδεμίαν ἔχειν ἐν συμπολιτείᾳ, *urbem ne quam in eadem civitatis secum communione haberent,* (interprete vero τοῦ πάνυ,) *ne quam formulam sui juris haberent,* quæ nempe postea ab Ætolis caperetur, aut in eorum amicitiam veniret.

Hæc autem modo dicta firmat, & qui inde quoque illustratur, oratione pro (*b*) Balbo Tullius, ubi quum diversum ea in re Romanorum institutum vel morem adtigisset, qui non poterant in alias civitates, quod cæteris concessum esset, recipi; & quod jam ante in eadem (*c*) Oratione, tum alibi etiam tangit, addit: *itaque in Græcis civitatibus videmus Athenis Rhodios* (jam ante & e Polybio præterea, ac Livio modo vidimus) *Lacedæmonios, cæteros undique adscribi, MULTARUMQUE esse eosdem homines CIVITATUM.* Quomodo alibi de eodem Archia Poeta ait, (*d*) *hunc & Tarentini, & Rheginenses, & Neopolitani CIVITATE cæterisque præmiis DONARUNT;* tum postea: *quid de ejus civitate dubitatis, præsertim quum ALIIS quoque CIVITATIBUS fuerit adscriptus?* Hunc enim Poetam, aliosve a Tullio dictos, *multarum homines civitatum* quod adtinet, inducto id utique apud Græcos aut Græcis ortos more, quod ille adductis modo locis, & alibi adhuc innuit, est factum; quo non plurium solum, ut jam vidimus, inter se civitatum συμπολιτεῖαι, seu communia inter eas civitatum jura erant recepta; sed ut sigillatim, qui inter eos aliqua in arte erant eximii, ac ejus specimina variis

(*a*) Exc. Leg. XXVIII. p.832.
(*b*) Cap. 12.
(*c*) Ibidem.
(*d*) Cap. 5.

in

in urbibus ediderant, velut *Medici*, *Oratores*, *Poetæ*, *Sophistæ*, *Grammatici*, *Philosophi*, *Athletæ*, *Citharœdi*, ab iisdem certatim civitate donarentur. Quam in rem memorabilis exstat inscriptio Bithyni cujusdam, & Prusæensis insuper Medici, ac unde eam in rem de Bithynis modo e Dione ac e Plinio dicta, haud parum illustrantur; qua is sibi, totique familiæ septem civitates dicitur a Trajano impetrasse:

(*e*) *C. CALPURNIUS. ASCLEPIADES.*
PRUSA. AD. OLYMPUM. MEDICUS.
PARENTIBUS. ET. SIBI. ET. FRATRIB.
CIVITATES. VII. A. DIVO. TRAJANO.
IMPETRAVIT.

Sic præter adductum ipsius Dionis, Bithyni Oratoris ac Sophistæ, prout Rhetores eo ævo dicebantur, exemplum, qui plurium Bithyniæ civitatum, *Prusæ*, in qua natus, *Apameæ* præterea, *Nicomediæ* civis esset: Aristides, etsi Hadrianus in Mysia natus, *Smyrnæus* vulgo dictus, quod Smyrnæ civitate donatus, artem suam ibidem sit professus: & Ptolemæus Naucratites, ac proinde Ægyptius Sophista, *Marathoni* populo ab Atheniensibus adscriptus, ac inde *Marathon*, teste (*f*) Philostrato est appellatus. Ita enim factum, ut haud una patria sit subinde id genus *Sophistis*, *Oratoribus*, *Poetis*, *Philosophis*, ab Auctoribus & Grammaticis adscripta: ac inde nata sit quandoque de vero eorum natali solo vel sede, vel an pro iisdem, qui haud unas id genus appellationes tulerant, haberi continuo debeant; sed quæ jam non est hujus loci disceptatio. Unde etiam orta forte illa de *Homeri* patria, sequutis ætatibus contentio, inter nobiles Asiæ urbes, in quarum civitatem haud minus, ac apud varia Magnæ Græciæ oppida, juxta adductum Ciceronis de Archia poeta locum, ille Vatum parens, fuerit olim receptus. Ut nunc de *Ennio* sileam, quem *Rudia* Calabriæ oppido ortum, civitate Romana do-

(*e*) Reines. Synt. p. 608.

(*f*) Vit. Sophist. L. II. p. 592.

natum

natum a Q. Fulvio Nobiliore, tradit in (g) Bruto Cicero. Qua ratione, ut observo, factum videas, ut πειοδευταὶ seu *circuitores* dicti fuerint a Græcis earundem id genus professionum vel artium, quas, varias civitates ac regiones obeundo, in iis continuo exercebant, periti ac magistri: ac inde lucem etiam capiat, qui id nos docet, Modestinus, J. C. (h) *Grammatici, Sophistæ, Rhetores, Medici, qui πειοδευταὶ, id est circulatores vocantur.* Nempe prout de Appione Grammatico dixit alicubi Seneca: (i) *Appion Grammatices, qui sub C. Cæsare tota CIRCULATUS est Græcia, & in nomen Homeri AB OMNIBUS CIVITATIBUS adoptatus.* Immo quibus πειοδευταῖς Grammaticis, Sophistis, Rhetoribus, Medicis, civitas non solum passim a Græcis, sed immunitas etiam a muneribus ac tutela, ut tradit ibidem Modestinus, est a Romanis data; ita tamen ut pro civitatum magnitudine, certus constitueretur eorum numerus, qui ἀτελεῖς seu *immunes*, in iisdem urbibus agerent, juxta Imp. Antonini Pii ea de re Edictum vel Epistolam ad Communitatem quidem Asiæ, sed orbi universo, ut (k) ibi continuo additur, convenientem. Quibus vero περιοδευταῖς, ac inde in plures civitates adscitis id genus civibus, adnumerandi continuo veniunt *Athletæ* ac *Citharædi.* Equidem obvia etiamnum prostant in antiquis marmoribus eorum Athletarum vel Citharœdorum nomina, qui plurium subinde, ac nobilissimarum quidem urbium, earumque non unius solum regionis ac provinciæ, sed valde invicem dissitarum, ob edita nempe apud eos præclara artis suæ vel virtutis, ut de iis loquitur alicubi (l) Ulpianus, specimina, cives dicuntur exstitisse. Ut in Græcis eorundem marmorum inscriptionibus, quas vulgarunt viri docti, ac ut Græca, quæ ibi obvia, compendii rur-

(g) Cap. 20.
(h) Leg. VI. n. 1. D. de Excusat.
(i) Epist. LXXXVIII.
(k) Eodem ut ante n. 2.
(l) Leg. IV. D. de H. Q. Not. Inf.

sus

ſus cauſſa prætermeam, (*m*) *M. Aurelius Aſclepiades Pontifex Xyſti*, & *Palæſtræ. Magiſter*, dicitur, *Alexandrinus, Hermopolites, Puteolanus, Neopolitanus, & Eleus, & Athenienſis Senator, Aliarumque MULTARUM URBIUM CIVIS & Senator:* aut vero C. *Septimius Publius, Pergamenus, Smyrnæus, Athenienſis, & Epheſius Citharœdus. Immo & Solus Qui poſt Homines Natos vicerit ſubſcripta*, variis nempe, quæ ibi adducuntur, in urbibus, Certamina: ejuſque moderator *Caius Ælius Citharœdus Epheſius & Pergamenus.* Quibus accedunt inter eas inſcriptiones Athleticas, quas Romæ olim paullo ante effoſſas conſulere mihi tunc licuit, ac dein edidit ac enarravit illuſtris, mihique ſingulari, dum ſuperſtes eſſet, amicitia conjunctus, Octavius Falconerius, ea, in qua memoratur (*n*) Athleta *M. Aurelius Demoſtratus Demas, Sorilianus, Alexandrinus, Antinoenſis, Athenienſis, Epheſius, Smyrnæus, Pergamenus, Nicomedienſis, Mileſius, Lacedæmonius:* ac ſimiliter in Sponii (*o*) Miſcellaneis, Athleta itidem *M. Tullius Apamenſis Bithyniæ, Athenienſis, Corinthius, Smyrnæus.* Id vero de Athletis, aliiſque xyſticis, quive ſacris apud eos certaminibus inſerviebant, factum a Græcis, qui impenſe erant, ut notum, iis dediti, minus quiſpiam mirabitur, quum & *Scenicis* quoque artificibus, qui proinde artem ludicram quæſtus gratia facerent, quod denegarunt iis Romani, apud quos ignominioſi erant ac infamia ex (*p*) Prætoris Edicto notati, eundem honorem ab iis habitum conſtet. Hinc a Lycurgo Oratore apud Athenienſes lex lata a Plutarcho in ejus (*q*) vita traditur, qua, quod ante non licebat, Scenici artifices, qui in Chytris, ſolemni Bacchi apud Athenienſes feſto die, comœdia vicerant, civitatem deinceps adipiſcerentur. Immo de quibus *Scenicis*, aut ignobilioribus adhuc artificibus,

(*m*) Grut. Theſ. CCCXIV. 1.
(*n*) Inſcr. Athlet. p. 60.
(*o*) Pag. 866.
(*p*) Leg. 1. D. de H. Q. Not. Inf.
(*q*) Pag. 841. T. 1.

&

& Græcorum ea in re more, exſtat luculentum Ciceronis teſtimonium: (r) *Etenim cum mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte præclaris; GRATUITO CIVITATEM in Græcia impertiebantur: Rheginus credo, aut Locrenſes Neapolitanos, aut Tarentinos, quod SCENICIS ARTIFICIBUS largiri ſolebant, id huic ſumma ingenio prædito gloria noluiſſe.* Iis vero memoratis modo Græcis inſcriptionibus, ubi iidem, juxta eundem M. Tullium, *multarum homines civitatum* dicuntur, addi inſuper debet Romana in Hiſpanienſi Carthagine reperta, (ſ) ubi legitur quidam *L. Æmilius A Domo Rom. Qui & Carthaginenſis, & Sicelitanus, Lacedæm: Et Argivus & Balæſtanus, Scriba Quæſtoris, Scriba Ædilitius, Civis Adlectus Ob H* (nempe honorem) *Ædilitatis.* De quo autem poſtremo facto, ſeu *Ædilitatis* aut *Decurionatus* etiam in patria honore, quo aliarum urbium vel oppidorum Latini juris incolis patebat ad Romanam civitatem aditus, infra dicetur. Quamquam, quid præterire hic non licet, præter vetera illa & propria, & quæ liberis urbis temporibus religioſe ſunt obſervata Romanorum jura, civis Romanus ſimul alterius civitatis civis, Cæſarum dein voluntate ſeu conceſſu, legatur exſtitiſſe. Quod utique vel ex Dionis Pruſæenſis, de avo patre, ut de ipſomet jam nihil dicam, verbis licet omnino percipere: (t) ὁ μὲν γὰρ πάππος ὁ ἐμὸς μετὰ τῆς μητρὸς τῆς ἐμῆς, παρὰ τοῦ τότε αὐτοκράτορος, φίλου ὄντος, ΑΜΑ ΤΗΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ΚΑΙ ΤΗΣ ΥΜΕΤΕΡΑΣ ἔτυχεν· ὁ δὲ πατὴρ καὶ ὑμῶν. *Avus enim meus cum matre, ab illo tum Imperatore, qui ei erat amicus, SIMUL ROMANAM CIVITATEM ET VESTRAM adeptus: pater autem a vobis.*

(r) pro Archia c. 10.
(ſ) Grut. Theſ. CLXXXIV. 3.
(t) Orat. XLI. p. 500.

CAPUT

CAPUT V.

Quod Romana civitas *liberæ Reipublicæ temporibus nulli* invito *adimeretur, aut retineretur ab* invito; *De* servis pœnæ *aut rei capitalis damnatis; exulibus, iisque haud unius speciei vel conditionis; deportatis in insulam; relegatis, quorum bona publicantur; in opus publicum perpetuo datis; incensis; in patronos ingratis; iis, qui accepto pretio se distrahi erant passi, aliisque* amittendæ civitatis *viis. S. Ignatii, ac præterea varia Ciceronis, veterum Juris-consultorum, & Constitutionum Imperialium loca ea de re adducta & illustrata. De* Sullæ *irrito conamine, & sequutis* J. Cæsaris *ac aliorum Imperatorum* in adimenda civitate *institutis.*

EX iis autem, quæ modo dicta sunt, illud quod paullo ante e Cicerone adtigi, de Græcorum more, (*a*) quo *multarum esse eosdem homines civitatum*, abunde, ut opinor, illustratur; tum alterum continuo percipitur, de diverso ea in re Romanorum instituto, juxta quod, ut idem (*b*) alibi observat, *duarum civitatum civis esse nostro jure civis nemo potest:* ac proinde, ut ibi addit, *non esse hujus civitatis, qui se alii civitati dicavit, potest:* & aliquanto post: (*c*) *peritus vero no-*

(*a*) Pro Archia c. 5.
(*b*) Pro Balbo c. 11.
(*c*) Ibidem c. 12.

stri juris ac moris, nemo unquam, qui hanc retinere civitatem vellet, in aliam civitatem se dicavit : propriis nempe *dicandi*, ac *dicationis* paullo ante, vocibus, de iis qui abjecta Romana civitate, alterius civitatis fiebant cives. Hinc etiam oblatæ sibi ab Atheniensibus civitatis beneficio uti noluisse Atticum, observat in ejus vita Cornelius Nepos: (*d*) *quod nonnulli ita interpretantur, amitti Romanorum civitatem alia adscita.* Caute proinde ac prudenter, ne *imperitos* illos cives Romanos æmularetur Atticus, quos memorat ante adducta modo ejus verba (*e*) Cicero: nempe quos, Græcorum, qui multarum esse poterant civitatum, errore ductos, vidit Athenis in numero judicum atque Areopagitarum, certa tribu, certo numero; cum ignorarent, quod addit, *si illam civitatem essent adepti, hanc se perdidisse.* Unde etiam peregrinos, Romanam civitatem semel adeptos, non retinuisse eam, qua orti erant, civitatem, seu civium in eadem jura, abunde constat. Hinc Gaditanum Balbum, Romana civitate a Pompeio donatum, (*f*) *amore quidem ut suum civem*, sed *testimonio ut nostrum*, seu Romanorum civem jam effectum, prosequutos Gaditanorum principes testatur itidem Tullius.

Ad quam autem Romanæ civitatis singularem quandam dignitatem, aut jus peculiare, & illud accessit: quod civi Romano haud poterat adimi, stante adhuc Republica, civitas, nisi exilio in eam civitatem, in quam confugerat, fuerit receptus. Quod utrumque de Romano cive tangit alibi Tullius: (*g*) *nam cum ex nostro jure duarum civitatum nemo esse potest, tum amittitur hæc civitas denique, cum is qui profugit, receptus est in exilium, hoc est in aliam civitatem.* Unde de cliente suo C. Memmio Gemello in Epistolis ad familiares ab eo dicitur: (*h*) *cum in calamitate*

(*d*) Cap. 3.
(*e*) Pro Balbo Cap. 12.
(*f*) Ibidem c. 19.
(*g*) Pro Cæcina c. 34.
(*h*) L. XIII. Epist. 19.

tate exilii sui, Patrensis civis factus esset: Nempe pro more olim apud Græcos aliosque recepto; quomodo Selenuntiis, ubi patriam amisissent, jus civitatis Ephesi datum tradit (*i*) Xenophon: (*k*) alibi autem, Doricum quendam Rhodium, eundemque Rhodo insula juxta & Athenis exulem, (prout communia paullo ante vidimus, utrique illi urbi, civitatis jura) apud Thraces civem effectum. Quod de Platæensibus similiter vel Byzantiis diximus, quos civitate continuo donarunt Athenienses. De Romanis vero id alibi rursum adstruit Tullius: (*l*) *qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est mutandi soli caussa venerant.* Quibus continuo subdit: *id autem ut esset faciendum, non ademptione civitatis, sed tecti, aquæ & ignis interdictione faciebant.* Quod postremum observat etiam Pomponius, (*m*) ubi quæsitum docet, an qui hostibus esset a Romanis deditus, nec a prioribus receptus, maneret civis Romanus: quibusdam autem existimantibus manere, aliis contra, addit: *quia, quem semel populus jussisset dedi, EX CIVITATE expulsisse videretur, sicut faceret, cum aqua & igni interdiceret.* Nempe juxta Paulum J. C. (*n*) *AMISSIONE CIVITATIS fit capitis minutio, ut in aqua & igni interdictione.* Filium tamen patri, cui & aqûa & igni interdictum erat, modo ex justis nuptiis natum, civem Romanum censeri, Imperatoris Hadriani rescripto, cujus meminit (*o*) Ulpianus, decernitur. De deportatione vero in insulam, quæ in locum illius & aquæ & ignis interdictionis successit apud Romanos, & qua civitas itidem amissa, dicetur paullo infra. Cujus conditionis erant

(*i*) Ελλην. L.I. p. 434.
(*k*) Ibid. Pag. 442.
(*l*) Pro Domo. c.30.
(*m*) Leg. XVII. D. de Legation.
(*n*) Leg. V. D. de Capite Minutis.
(*o*) Leg. XVIII. D. de Statu Homin.

quoque, ut præterea obſervo, & conſtat (p) e penu Romanarum legum, in opus publicum perpetuo dati; quique inde ἀπόλιδες, hoc eſt, *ſine civitate*, ſeu ea privati ibidem dicuntur a (q) Marciano J. C. non autem libertate. Hanc enim iis non ereptam, liquet præterea ex alio Imp. Hadriani, cujus meminit (r) Calliſtratus, reſcripto: quo ei, qui ad tempus opus metallicum facit, manere libertatem tradit; *quemadmodum etiam his*, ut continuo additur, *qui in perpetuum opus damnantur.* Ita enim omnino ibi legendum, non vero contrario ſenſu, incluſa una voce *non*, ut in vulgatis paſſim Pandectarum libris, nempe *non qui in perpetuum*, &c. ut bene vidit juris peritorum hujus & ſuperioris ætatis coryphæus Cujacius: & manifeſte arguunt adducta Marciani ea de re verba, qui civitatem quidem, non vero libertatem amiſiſſe eos refert, qui in *opus publicum perpetuo dati, & in inſulam deportati.* Firmat id quoque Ulpianus: (ſ) *ex quibus LIBER fuſtibus cæſus IN OPUS PUBLICUM damnatur, ex his SERVUS, ſub pœna vinculorum* &c. nempe quod, ut ab alio vetere Juris-conſulto dicitur, (t) *aliter puniuntur ex iiſdem facinoribus ſervi, quam liberi.* Erant equidem aliæ adhuc pœnæ Romanis uſitatæ, quibus adimebatur non civitas ſolum, ſed etiam libertas: ſicut iis contingebat, qui ad metallum, vel ad opus metalli, prout ea ab eodem (u) Ulpiano diſtinguuntur, erant damnati: iique proinde, quod e modo dictis ibidem abunde conſtat, ab his diverſi, qui in *opus publicum* condemnati in genere dicebantur. Nempe, quod priores illi *ſervi pœnæ* continuo fierent, ut id de damnatis in metallum vel miniſterium metallicorum, & quod ſuſtulit poſtea

(p) Leg. XVII. Sect. 1. De Pœnis Leg. I. Cod. eod.

(q) Eodem D. de Pœnis.

(r) Leg. XXVIII. Sect. 6. D. Eodem.

(ſ) Leg. X. de Eodem.

(t) Claud. Saturn. Leg. XVI. Sect. 3. de Eodem.

(u) Leg. VIII. Sect. 4. D. Eodem, & Leg. XII. D. de Jure Fiſci.

(x) Juſti-

(*x*) Juſtinianus, nominatim tradit (*y*) Hermogenianus. Quomodo (*z*) Ulpianus alibi, feminas quoque in miniſterium metallorum in perpetuum damnatas, *ſervas pœnæ*, itidem effectas tradit; ſi vero quod addit, *ad tempus damnentur civitatem, retinent.*

Quibus autem *ſervis pœnæ*, & qui civitate proinde ſimul ac libertate continuo exciderant, addi debent ultimo ſupplicio plectendi; etſi eodem, uti ſubinde ad beſtias damnatorum in longum tempus protracto: prout ea de re, & cujus verba merentur hic adſcribi, a Gaio J. C. dicitur: (*a*) *qui ultimo ſupplicio damnantur, ſtatim & CIVITATEM & libertatem perdunt: itaque præoccupat hic caſus mortem, & nonnunquam IN LONGUM TEMPUS occupat: quod accidit in perſonis eorum QUI AD BESTIAS DAMNANTUR: ſæpe etiam ideo ſervari ſolent poſt damnationem, ut ex his in alios quæſtio habeatur.* Adde, donec adveniſſet ludorum ſolemnium tempus, quibus damnati in amphitheatris, ad illas pompas & ludos vulgo deſtinatis, beſtiis objecti, eo ſpectaculo plebem ſimul, ac præſides, vel editores eorundem ludorum, immo civitatem integram, ut de Martyribus pro fide in Chriſtum paſſis ſæpe factum conſtat, oblectarent. Unde inſignem continuo lucem capiunt S. Ignatii, de quibus ſilent ibi eruditi interpretes, verba: prout ea exſtant in Græca ejus ad Romanos Epiſtola, quam ſinceram ac genuinam e manuſcripto codice illuſtriſſimi Colberti primus vulgavit, præclare de Scriptoribus Eccleſiaſticis meritæ ac merentis indies congregationis monachus (*b*) Ruinartus: ἐγὼ κατάκειτος, ἐκεῖνοι ἐλεύθεροι· ἐγὼ δὲ μέχρι ΝΥΝ ΔΟΥΛΟΣ, ἀλλ' ἐὰν πάθω, ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ Ἰησοῦ, καὶ ἀναστήσομαι ἐν αὐτῷ ΕΛΕΥΘΕΡΟΣ. *Ego condemnatus, illi* (Petrus &

(*x*) Nov. XXII. c. 8.
(*y*) Leg. XXXVI. D. de Pœnis.
(*z*) Leg. VIII. Sect. 8. D. de Pœnis.
(*a*) Leg. XXIX. Eodem.
(*b*) In Actis Martyrum. p. 702.

Pau-

Paulus) *liberi* : *ego autem ETIAMNUM SERVUS* ; *sed si patiar, LIBERTUS Jesu Christi, & in ipso LIBER resurgam.* Ad bestias nempe, capitale supplicium, damnatus jam erat sanctissimus Martyr, & Antiochia Romam, quo ibi leonum fieret pabulum, vinctus deducebatur: non *liber* proinde amplius, sed *servus pœnæ*, juxta Romanorum ea de re leges, effectus: *hi*, inquit (c) Macer J. C. *in quos animadverti jubetur, quive ad BESTIAS DAMNANTUR, CONFESTIM POENÆ SERVI fiunt*; ac ipse Justinianus Imp. (d) *SERVI POENÆ efficiuntur, qui in metalla damnantur, & qui BESTIIS SUBJICIUNTUR*, hoc est, interprete ibidem Theophilo, (e) *ἐκπίπτων οὐ μόνον* ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ, *ἀλλὰ καὶ ἐλευθερίας, excidens non CIVITATE solum, sed etiam libertate*; nempe, quod ait alibi idem Justinianus, (f) *supplicio possidente damnatum, sibique servientem*: aut vero juxta Marcianum: (g) *qui SERVI POENÆ efficiuntur, indubitate MANUMITTERE non possunt, quia & ipsi SERVI sunt*: Quibus proinde ille invictus, non tamen adeo *pœnæ*, quam *Christi Domini*, juxta (h) Paulum, *servus*, mox *libertus* ejusdem, ut de se itidem alibi (i) Paulus, futurus. Hinc apud Tertullianum: (k) *ipsum*, quod ait, *cum libertate Christus vos manumisit: nonne eum constituit MANUMISSOREM, qui fuit Dominus?* Adde quod bestiis objici, servile etiam supplicium fuerit, ut id liquere potest e Modestino: (l) *Lucius Titius pro servo suo, qui AD BESTIAS datus est*: alibi, (m) *SERVI sine judice AD BESTIAS dati, non solum qui vendidit, verum & qui comparavit, tenebitur.* Idem vero Ignatius, post fusum pro Christo sanguinem, e *servo pœnæ*

(c) Leg. XII. D. de Pœnis.
(d) Leg. VIII. Sect. 3. Inst. Quib. Mod. Patr. Pot. &c.
(e) Eodem.
(f) Nov. XXII. c. 8.
(g) Leg. VIII. de Manumission.
(h) Ad Roman. c. I. 1.
(i) 1 Corinth. VII. 22.
(k) Adv. Marcion. L. V. c. 4.
(l) Leg. XVIII. D. de Appellationib.
(m) Leg. XI. D. Ad Leg. Corn. De Sicar.

in

in plenam & justam libertatem a Christo manumissore mox adsciscendus. A quo autem Ignatio illud quod in alterius Martyris actis legitur, usurpari tum poterat: (n) *servus quidem Cæsaris sum, sed Christianus, a Christo ipso libertate donatus*, vel *mox donandus*.

Quomodo insuper extra has pœnas vel noxas; ea quoque in ingratos libertos erga patronos manumissores pœna Romanis legibus fuerat constituta; ut ii cum aliis (o) pœnis, pro delicti gravitate, subjacerent, tum civitatem quoque Romanam amitterent, & Latini demum fierent. Quod postremum liquet e constitutione Imp. Constantini, quæ exstat in (p) Codice Theodosiano. Quum alioquin, non civitatem solum, sed libertatem etiam amitterent, in metallum quippe,quod tradit (q) Ulpianus, damnati, qui adeo ingrati in patronos fuerant liberti, ut iis etiam manus intulissent: scilicet, juxta illud Callistrati, quod alibi in (r) Digestis legitur: *omnia admissa in patronum patronive filium*, &c. *gravius vindicantur, quam in extraneos*. Immo quod a Claudio Imp. pridem ante constitutum, docet in ejus vita Suetonius: (s) *INGRATOS, & de quibus patroni queruntur, REVOCAVIT IN SERVITUTEM*. Et quo referri etiam debet, id quod contendit a Trajano (t) Plinius Junior, ut quibusdam peregrinis daret civitatem, & eo quidem civium Romanorum jure, *utque iis in libertos servetur jus patronorum*. Hisce addi præterea possunt illi, quibus nempe civitas simul & libertas adimebatur, qui Romæ olim ad delectum non respondebant, & quidem veteri lege sub Rege Servio Tullio lata; ut ii fustibus verberati, sub hasta venirent; quamque

(n) In Act. Pass. S. Just. apud Surium & Ruinart. p. 44.

(o) Vid. Leg. I. D. de Jur. Patron. & VII. Sect. 1. Eodem.

(p) Leg. II. Tit. XXII.

(q) Leg. I. D.de Jure Patron.

(r) Leg. XXVIII. Sect. 8. D. de Pœnis.

(s) In Claud. c. 25.

(t) Lib. X. Epist. 6.

legem

legem diu in urbe obtinuisse, observat *(u)* Dionysius. Ciceronis certe ævo id locum adhuc habuisse, ut libertatem simul ac civitatem amitterent *incensi*, seu qui censeri ad militiam noluerant, docet idem pro Cæcina: *(x) jam populus cum eum vendidit, qui miles factus non est*; mox, addita ejus rei causa: *cur autem INCENSUM vendit, cum is qui in servitute justa fuerit, censu libenter eum, qui cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abjudicasse.* Immo quod sequutis ætatibus sub Cæsarum imperio etiamnum receptum, probant Ulpiani, quæ ad eum Tullii locum viderunt jam viri docti, ea de re verba: *(y) maxima capitis diminutio est, per quam & CIVITAS & libertas AMITTITUR, velut cum INCENSUS venierit.* Quamquam, ut observo, id tanquam olim receptum, in mitiorem dein pœnam sub Imperatoribus redactum, e veteris Scriptoris, quæ adducuntur in libris juris Romanorum civilis, verbis pateat: *(z.) nam & qui ad delectum OLIM non respondebant, ut proditores libertatis, IN SERVITUTEM redigebantur: sed mutato statu militiæ, recessum a capitis pœna est: quia plerumque voluntario milite (* numeri *) supplentur.*

Extra quas proinde pœnas vel noxas, *invito* adimi non potuisse *civitatem* vel *libertatem*, cujus par omnino ratio ea in re ex jure Quiritium ac more fuerit, pluribus contendit in eadem pro Cæcina oratione Cicero: *(a) deinde nihil rationis adferri, quum olim LIBERTAS ADIMI nullo modo possit, CIVITAS possit: nam & EODEM MODO de utraque re traditum nobis est, etsi semel CIVITAS ADIMI potest, retineri LIBERTAS non potest*; et paullo post: *(b) adferant velim, quibus lege, aut Romana CIVITAS, aut LIBER-*

(u) Antiq. L. IV. p. 221.
(x) Cap. 34.
(y) Tit. XI. 112.
(z) Leg. IV. Sect. 10. D. de re Militari.
(a) Cap. 33.
(b) Cap. 34.

TAS

TAS erepta ſit. Quod ipſum, de civitate nempe, quæ eripi nulla cujuſpiam, etſi ſupremi tum rerum arbitri, auctoritate poſſet, illuſtri exemplo oſtendit alibi idem Tullius: *(c) Populus Romanus, L. Sulla Dictatore ferente comitiis centuriatis, MUNICIPIIS CIVITATEM ADEMIT: ademit iiſdem agros: de agris ratum eſt (fuit enim populi poteſtas) DE CIVITATE, ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. Hinc vero VOLATERRANIS, cum etiam tum eſſent in armis, L. Sulla victor, Republ. recuperata, comitiis centuriatis CIVITATEM ERIPERE NON POTUIT: bodieque Volaterrani non modo CIVES, ſed etiam OPTIMI CIVES nobiſcum fruuntur hac civitate.* Unde alibi *(d) municipes Volaterranos* vocat idem Cicero: quodque illi eam Sullani temporis acerbitatem ſubterfugerint, ibidem tangit. Quum alioquin non *municipiis ſolum*, ut in adductis modo verbis, ſed in genere *ſociis* & *Latinis*, datam civitatem (prout latius jam patebat indultum illud paullo ante, & de quo poſtea, toti Italiæ beneficium) eripere Sullam voluiſſe, declarant M. Lepidi ea de re apud Salluſtium verba: *(e) Sociorum & Latii magna vis CIVITATE, pro multis & egregiis factis a vobis DATA, per unum probibentur:* Nempe quod, ut ait alio rurſus loco Cicero: *(f) civitatem vero nemo unquam ullo populi juſſu, amittet invitus:* quum alioquin voluntate, ſicut a civibus Romanis, qui ſponte in colonias Latinas nomina dederant, & qua de re mox, amitti potuiſſe civitatem ibidem doceat. Quomodo alibi rurſus ab eo dicitur; *(g) multi etiam ſuperiori memoria cives Romani, SUA VOLUNTATE indemnati & incolumes, rebus relictis alias in civitates ſe contulerunt:* nempe poſtquam a clariſſimis civibus, L. Maximo, Q. Phi-

(c) Pro Domo. c. 30.
(d) Lib. XIII. Epiſt. 43.
(e) In Fragment:
(f) Pro Domo. c. 29.
(g) Pro Balbo. c. 11.

lippo, C. Catone, Q. Cæpione, P. Rutilio, in calamitate ſeu exilio factum dixiſſet, ut iidem aliarum civitatum, in quas iidem confugerant, cives continuo fierent. De quo poſtremo, qui ibi memoratur Rutilio, tradit quoque *(h)* Diodorus in Excerptis a doctiſſimo Valeſio vulgatis, eum Smyrnam, quam nempe omnibus provinciæ illius civitatibus ſeceſſum apud ſe, ut de eo *(i)* Valerius Maximus, certatim petentibus prætulerit, abiiſſe, ibique reliquum vitæ tempus exegiſſe; & quidem quum tutum ei in patriam reditum, quod alibi teſtatur idem *(k)* Valerius, Sullana victoria feciſſet. Quo Rutilii cæteroquin, quod obiter hic addendum eſt, vel Smyrnæorum eum ſibi civem adſciſcentium jure & exemplo, Vulcatium quoque Moſchum apud Maſſilienſes exulem, & inter cives apud eos itidem receptum, probatum a patribus, auctor eſt *(l)* Tacitus. Nempe pro illo fœderatarum aut ſociarum urbium jure, quo juxta *(m)* Polybium, Romanis exulibus impune degere licuit Neapoli, Præneſte, Tibure, item aliis in urbibus, quibus, ut ille addit, hoc jure fœdus intercedit cum Romanis.

Tribus equidem, ut hoc liquidius adhuc intelligatur, amitti Romanam civitatem, *exilio*, *poſtliminio*, quo quis nempe Romanus civis factus, patriæ civitati ſeu origini erat dein reſtitutus; & *rejectione civitatis*, obſervat pro Balbo *(n)* Tullius. De *exilio* autem, id vel ex iis abunde conſtat, adductiſque clariſſimorum civium, quæ ibidem adtulerat Cicero, ut modo etiam vidimus, exemplis, qui Roma profugi in alias civitates, in quas confugerant, cum jure civium erant recepti. Quam in rem alibi rurſus ait: *(o) EXILIUM enim, non ſupplicium eſt, ſed PERFU-*

(h) Pag. 638.
(i) Lib. II. c. VIII. 5.
(k) Lib. VI. c. IV. 4.
(l) Annal. IV. c. 43.
(m) Lib. VI. p. 402.
(n) Cap. 12.
(o) Pro Cæcina. c. 34.

GIUM

GIUM portusque supplicii; nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est, locum & sedem mutant. Quomodo, ut obiter hoc notem, *exilium* itidem per *fugam* designatur, in constitutione *(p)* Gordiani Imperatoris, *de his qui in exilium dati*; ubi decurio ad tempus exulare jussus, ad novos honores non admittendus traditur, *nisi tanto tempore his abstinuerit, quantum PER FUGAM abfuit:* immo prout *lata fuga* de secunda *exilii* specie a *(q)* Marciano J. C. dicitur. Id vero de iis exulibus quoque intelligi, ex eodem *(r)* Tullio jam ante vidimus, qui tecto & aqua & igni apud Romanos interdicebantur; uti in judicio M. Postumi Pygargi apud Livium: *(s) si citatus non respondisset, neque excusatus esset, videri eum IN EXILIO esse, bonaque ejus venire: ipsi aqua & igni placere interdici.* In cujus autem pœnæ locum, ut id obiter supra jam adtigi, successit dein sub Cæsaribus, quod e variis veterum *(t)* Juris-consultorum, ac ipsius dein Imp. *(u)* Justiniani testimoniis liquet, *deportatio:* gravissima *exilii* (prout *deportatos* inter *exules* numerari, in quodam D. Imp. Hadriani *(x)* rescripto videas, de quibus cæteroquin *(y)* seorsim agitur in libris juris civilis Quiritium) nec utique voluntarii, apud Romanos species: quia nempe, *(z)* iisdem juris Romanorum peritis auctoribus, Romana civitas adimebatur: *inter pœnas*, inquit *(a)* Ulpianus, *est etiam insulæ DEPORTATIO; quæ pœna ADIMIT*

(p) Leg. 2. Cod. D. H. R. I. Exil.
(q) Leg. V. D. de Interd. & Releg.
(r) Pro Domo. c. 30.
(s) Lib. XXV. c. 4.
(t) Leg. II. & XIV. Sect. 1. D. de Pœnis. Leg. VII. D. de Interd. & Releg. Leg. III. D. Ad Leg. Jul. Pecul.
(u) Nov. XXIV. c. 13.
(x) Leg. XXVIII. Sect. 1. D. de Pœnis.
(y) Vid. Leg. V. & VI. D. de Interd. & Releg.
(z) Leg. VI. & XV. D. Eodem Leg. I. Sect. 4. D. de Legat. 3.
(a) Leg. VI. D. de Interd. & Releg.

CIVITATEM ROMANAM. Unde etiam ἀπόλιδες, *ſine civitate*, vel ut ibi interpres, *extorres*, eodem *(b)* Ulpiano & *(c)* Marciano præterea teſtibus, habiti ſunt; haud aliter, & de quibus ante, ac ii, qui in opus perpetuum erant damnati. Hinc eoſdem *deportatos*, quod civitatem amiſiſſent, nec fidei commiſſum relinquere, nec jus faciendi teſtamenta habuiſſe, quod commune iis quoque cum damnatis ad opus metalli perpetuum exſtitit, ex *(d)* iiſdem juris Romani conditoribus præterea conſtat. Quod alioquin in iis, qui vel ad tempus, vel in perpetuum erant relegati, locum non habuit: quos *(e)* & *CIVITATEM ROMANAM retinuiſſe, & teſtamenti factionem non amiſiſſe*, tradit Ulpianus: qui & *(f)* alibi illud de mulieribus in miniſterium metallicorum ad tempus tantum damnatis, obſervat, quod nempe illæ *retinent civitatem.* Inde vero hoc diſcrimen inter *deportationem* & *relegationem* idem alio rurſus loco tangit: quod *(g) deportatio CIVITATEM & bona adimit, relegatio neutrum tollit, niſi ſpecialiter bona publicentur.* Poſtremum enim illud quod adtinet, *bonorum* nempe *publicatione* ademptam quoque civitatem, liquet præterea e Calliſtrato: *(h) Damnatorum BONA PUBLICANTUR, cum aut vita ADIMITUR, aut CIVITAS.* Id vero in *relegatis* etiam ſubinde locum habuiſſe, non quidem communiter vel perpetuo, ut in aqua & igni interdictis, aut in deportatis, ut modo vidimus; ſed ubi duntaxat ad id ex ſpeciali ſententia damnabantur, docet alibi Marcianus: *(i) bona RELEGATI non publicantur, NISI ex ſententia SPE-*

(b) Leg. I. Sect. 2. D. de Legat. 3.

(c) Leg. XVII. D. de Pœnis.

(d) Leg. I: Sect 2. D. de Legat. III. Leg. VIII. Sect. 3. D. Qui Teſtam. Facer. &c.

(e) Leg. VII. Sect. 3. D. de Interd. & Releg.

(f) Leg. VIII. Sect. 8. D. de Pœnis.

(g) Leg. XIV. Sect. 1. D. de Interd. & Releg. Leg. I. Sect. 2. Inſt. Quib. Mod. Patr. Pot. &c.

(h) Leg. I. D. de Bon. Damnat.

(i) Leg. VIII. Sect. 3. Eodem.

CIA-

CIALITER; ac iisdem etiam verbis Alexander Severus, (*k*) ubi discrimen inter *deportatos* ac *relegatos* tangit; quod nempe priorum bona fisco continuo vindicarentur, non vero *relegatorum*, *NISI sententia SPECIALITER ADEMPTA fuerint*. Ad quod proinde *relegatorum*, seu *exilii*, quo bona publicabantur, genus, nisi id de *deportatis* malit quis interpretari, referri debet, ut observo, Gaii J. C. in (*l*) Institutionibus ejus locus, ubi de potestate patris, quod jus fuerit civium Romanorum, exire ait filios, *si pater eorum IN EXILIUM MISSUS fuerit*, item, *filius, si vivo patre IN EXILIUM MISSUS, in potestate patris CIVIS ROMANUS esse non potest*: quod nempe, ut ibidem legitur, amissa civitate, *peregrinæ conditionis* facti fuerint iidem exules, priore loco, pater; posteriori, filius. Neque enim vulgo apud Romanos *in exilium missi*, seu in *perpetuum* etiam, & quidem *in insulam relegati*, civitatem, quod superiora abunde arguunt, inde amittebant: ut nec proinde *ii in exilium dati*, de quibus agit in constitutione paullo ante adducta Gordianus: nempe *exilium temporale*, ut ab (*m*) Ulpiano dici illud alicubi observo. Adeo ut hanc pœnam vel calamitatem amissæ civitatis non infligeret *triplex* illud *exilium*, quod commemorat, (*n*) Marcianus; ubi secundo loco *lata fuga*, de qua paullo ante, sive in certum locum, reliquis omnibus interdictis, *relegatio* adducitur; aut vero, quod postremo, ut prioribus adhuc gravius recensetur; nempe *relegatio in insulam*.

Quod adtinet vero *postliminium*, quo, sicut *exilio*, & quod additur, *rejectione civitatis*, a Gaditano cive amitti poterat, juxta Ciceronem, dicto paullo ante loco, Romana civitas, ea omnino ratio exstitit; quod quis in patriam seu priorem, quam reliquerat civitatem reversus, ac inde noto postliminii jure, recuperata ibidem civitate,

(*k*) Leg. VIII. Cod. de Pœnis.
(*l*) Lib. I. Tit. III.
(*m*) Leg. 3. D. de Jure Patron.
(*n*) Leg. V. D. de Int. & Releg.

Roma-

Romanam continuo, quam adeptus fuerat, amitteret. Quod nempe ex jure Quiritium, ut antea, auctore eodem Tullio, vidimus, civis Romanus alterius civitatis simul civis esse non posset: (n) *peritus* nempe, ut mox ait ibidem, *nostri juris ac moris, nemo unquam, qui hanc civitatem retinere vellet, in aliam se dicavit.* Unde Gaditanus, quod ibi vult Cicero, postliminio patriæ suæ civis denuo factus, Romana inde civitate, qua donatus fuerat, excidebat; sicut præterea vel *exilio*, vel *rejectione civitatis*, Romanæ nempe, id fieri ab eo poterat. Hanc vero postremam, quam tangit ibidem Cicero, amittendæ Romanæ civitatis viam, (o) *rejectionem* nempe *civitatis*, comprobarunt exemplo suo, ut de aliis sileam, Romani cives, qui, ut de iis paullo ante, & dicetur mox plenius, sponte in colonias Latinas proficiscebantur. Quam in rem, ut alia jam mittam, expressa sunt ejusdem Ciceronis pro Cæcina verba: (p) *certe queri hoc solere me non præterit (ut ex me ea, quæ tibi in mentem non veniunt audias) quemadmodum si CIVITAS ADIMI non possit, IN COLONIAS LATINAS sæpe NOSTRI CIVES profecti sunt: aut SUA VOLUNTATE, aut legis mulcta profecti sunt: quam mulctam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent.* Unde mediam capitis diminutionem passos tradit (q) Boethius, cujus ea de re locum adnotarunt jam viri docti, qui in Latinas Colonias mittebantur, cives Romani. Quibus etiam, qui sua voluntate Romanam amittebant seu rejiciebant civitatem, adscribi debet ille, cujus supra facta est mentio, Rutilius; qui in exilium quidem ab urbe pulsus, sed rejecta, quæ postea illi patebat, in urbem redeundi facultate, se Smyrnæum civem præ Romano esse deinceps maluit. Nempe ut id tangit rursus pro Balbo Tullius, quod hoc esset fir-

(n) Pro Balbo. c. 12.
(o) Ibidem.
(p) Cap. 33.
(q) In Topic. Cicer. Lib. II. p. 788.

missi-

missimum fundamentum Romanæ libertatis, *(r) sui quemque juris & retinendi & dimittendi esse dominum*: immo jam ante, *(s) neque mutare civitatem quisquam invitus potest, neque SI VELIT, mutare non potest.* Cujusmodi autem voluntariam rejectionem civitatis, *(t)* originariis, uti eos vocarunt, aliorum oppidorum civibus non permiserunt sub Cæsaribus Romani: juxta illud, quod a Dioclesiano Imp. in *(u)* Codice dicitur: *ORIGINE propria neminem posse VOLUNTATE SUA EXIMI manifestum est.* Quomodo cæteroquin Athenis receptum fuisse docet in Cratone *(x)* Plato, ut quisque Atheniensium civis liberam haberet cum facultatibus suis alio emigrandi facultatem.

Alias autem Romanæ civitatis amittendæ, & quas supra obiter adtigimus, vias; uti ad metallum, vel ad opus metalli, vel ad bestias, aut capitale aliud supplicium damnatis contigit; aut vero incensis, seu qui ad delectum, quo militiam detractarent, non responderant; vel qui in patronos maxime ingrati & contumeliosi exstiterant, ideo hic non memorat, ut facile licet adsequi, Cicero; quod non civitatem solum, ut vidimus, sed libertatem quoque iidem amitterent; *(y)* maximam proinde, non vero mediam solum, qua *(z)* amittebatur Romana civitas, capitis diminutionem passi; & inde vel vere in servitutem essent iidem redacti, vel *servi pœnæ* continuo fierent. Quamquam, quod hic certe notandum est, inter rei capitalis damnatorum pœnas, unde mors vel servitus contingebat, etiam ademptio civitatis ab Ulpiano adnumeretur: *(a) REI CAPITALIS damnatum sic accipere debemus, ex qua causa damnatio, vel mors (vel) etiam CIVITATIS AMISSIO, vel servitus contingit.* Idem de amissione civitatis tradiderat

(r) Cap. 13.
(s) Cap. 11.
(t) Vid. Tit. XXVIII. Cod. de Municip. & Originar.
(u) Leg. IV. Cod. Eodem.
(x) Pag. 51. T. 1. ed. H. Steph.
(y) Vid. Leg. XI. D. de capite Minutis.
(z) Eodem.
(a) Leg. II. D. de Pœnis.

jam

jam ante Cicero, eo loco, quem ſupra adtulimus: *(b) qui erant RERUM CAPITALIUM condemnati, non prius hanc CIVITATEM AMITTEBANT* &c. nempe quod *(c) amiſſione civitatis fit capitis minutio*, uti a Paullo J. C. dici antea vidimus. Quo referre præterea licet Romanos cives, qui diſſimulata conditione, & accepti quidem pretii, ſe diſtrahi erant paſſi; & inde maximam capitis diminutionem ſubeuntes, libertatem, quam fruſtra repeterent, ac civitatem proinde amittebant. Liquet id e conſtitutione, quæ etiamnum legitur, Imp. Gordiani: *(d) diſpar cauſſa eſt ejus qui diſſimulata conditione ſua diſtrahi ſe paſſus eſt, & ejus qui pretium participatus eſt. Nam ſuperiori quidem non denegatur libertatis defenſio; poſteriori autem, etſi CIVIS ROMANUS SIT, & participatus eſt pretium, LIBERTAS DENEGATUR.* Id vero, & quod adtendi quoque hic debet, Ciceronis adhuc ævo, & ſequutis dein ætatibus contigit, ut non civibus ſolum Romanis ſingulatim, extra memoratos illos ab eodem Oratore, aut aliunde notas, amittendæ civitatis vias: ſed univerſis etiam oppidis, quod Sulla fruſtra, ut paullo ante vidimus, tentaverat, erepta ſubinde fuerit a Cæſaribus civitas; uti a M. Antonio, ſed tanquam e defuncto J. Cæſaris commentariis, prout id de eo refert & ſuccenſet alibi idem *(e)* Tullius. Quod ab Auguſto præterea, Caio, aliiſque Imperatoribus factum conſtat, & qua de re poſtea dicetur, ubi quæ ratio datæ vel ademptæ ſub iis principibus Romanæ civitatis fuerit, agendi erit locus. Quum tamen liberis a parentibus, quibus alioquin in eos olim vitæ ac necis poteſtas erat permiſſa, libertas, quod in *(f)* Conſtantini Imp. conſtitutione legitur, adde, vel civitas, eripi non poſſet.

(b) Pro Domo. c. 30.
(c) Leg. V. D. de Capite Minutis.
(d) Leg. I. Cod. Qui Ad Libert.
(e) Lib. XIV. Epiſt. 12. ad Att.
(f) Leg. X. Cod. de Patr. Poteſt.

ſet. Tranſiiſſe enim vulgo ad liberos poſterosque datam ſemel cuipiam a populo Romano, vel a Principe civitatem, aliunde notum; nec Caligulæ, *(g)* qui tamen & filio id jus relinquendum ſtatuebat, ſed aliis dein poſteris adimendum, ratio ea in re habita deinceps legitur. Utrumque vero illud, de quo hic & ſuperiori capite agebatur; Romanam nempe civitatem amittere; aut alterius eſſe ſimul urbis civem, erat, ut de hiſce loquitur Cicero, contra *(h) præclara atque divinitus inde a principio Romani nominis comparata jura:* nempe ut de iis tangit ibidem: *ac ne quis noſtrum plus quam unius civitatis eſſe poſſet:* addita etiam ejus rei cauſa: *diſſimilitudo enim civitatum varietatem juris habeat neceſſe eſt: ne quis invitus civitate mutetur: nec,* quod poſtremo addit, *in civitate maneat invitus.*

CAPUT VI.

De duplici civium, *qui nati in municipiis*, patria: *de potiori* patriæ, *præ aliis civitatibus, & urbis Romæ, præ* Originali patria, *conditione. Ciceronis, Dionis Caſſii, Taciti, ac veterum Juris-conſultorum loca ea de re adducta. De præſidiariis Romanorum militibus, civitate donatis, & antiquam inde patriam amittentibus, ex Ariſtide.*

NEque vero, quod hic quoque notandum eſt, primum illud, ne quis Romanus plus quam unius civitatis eſſet civis, natis in Romanorum municipiis civibus ullatenus obfuit; quin iidem cum in pa-

(g) Sueton. in Calig. c. 8.

(h) Pro Balbo. c. 13.

tria, in qua nati erant, aut ea orti; tum Romæ, in cujus civitatem erant recepti, magiſtratus gererent: quod non adeo duarum diverſarum urbium, quam unius, etſi aliqua inter eas privati juris, qua de re poſtea dicetur, eſſet varietas, cives cenſerentur. Quam in rem præclaras exſtat apud Ciceronem de *(a)* Legibus, & qui præteriri hic non debet, locus; ubi, quum in Ciceroniana ad Arpinum municipium Villa, ſe eo loco vel maxime delectari, Attico ſuo dixiſſet Tullius; & quidem quod hæc eſſet, ſeu Arpinum, ſua & fratris ſui, Quinti nempe tum præſentis, *germana patria:* quærit continuo Atticus, numquid *duas* haberent *patrias?* & annon eſſet illa *una patria*, Roma nempe, *communis?* niſi forte quod addit, *ſapienti Catoni fuit patria, non Roma, ſed Tuſculum:* Ad quæ autem reſpondet Tullius: *ego mehercule illi & omnibus municipibus DUAS eſſe cenſeo PATRIAS: unam naturæ, alteram CIVITATIS. Ut ille Cato, cum eſſet Tuſculi natus, in populi Romani civitatem ſuſceptus eſt: itaque cum ortu Tuſculanus eſſet, CIVITATE Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.* Quod quum Atticorum exemplo illuſtraſſet Cicero, qui Sunii iidem forent ac Attici; addit, ac ut potiorem quidem, inter duas illas municipum patrias, Romæ rationem habendam doceat: *(b) ſic & nos eam PATRIAM ducimus, ubi nati, & illam, qua excepti ſumus. Sed neceſſe eſt caritate eam PRÆSTARE, qua Reipublicæ nomen univerſæ CIVITATIS eſt: pro qua mori, & cui nos totos dedere, & in qua noſtra omnia ponere, & quaſi conſecrare debemus:* dein, *itaque ego hanc meam eſſe PATRIAM*, Arpinum, nempe, *nunquam negabo, dum illa*, h. e. Roma, *ſit MAJOR, ET HÆC IN EA CONTINEATUR.* Quibus poſtremis utique verbis, luculenter id quod paullo ante adtigeram, adſtruitur: quod etſi duas patrias haberent id genus municipes, eam, in qua nati erant, & Romam, in quam civitatem erant adſcripti, φύσει

(a) Lib. II. c. 1. *(b)* Vid. Lib. II. c. 2.

nem-

nempe unam, vel *γένει*, ut vulgo Græci ea in re aiunt, alteram *θέσει*, unius tamen civitatis, Romæ nempe, in qua prior, seu *naturalis patria* includeretur, non vero duarum urbium cives iidem vulgo censerentur. Qua ratione etiam factum licet adsequi, ut cui patria legibus vel edictis Imperatorum interdictum foret, idem, juxta *(c)* Ulpianum, Roma exulare cogeretur; ac, ut idem mox ait, *(d) quod magis est*, urbe quam patria interdici. Unde etiam, & quod hæc haud parum illustrat, profectum legitur illud Mæcenatis apud Dionem consilium; quo is omnibus in orbe Romano, ac proinde extra Italiam quoque, dandam suadebat civitatem: ut illi deinceps, *(e) unam revera urbem*, Romam nempe, *ea vero, in quibus nati erant, oppida, agros tantum & vicos reputarent*, καὶ ταύτην μὲν ὄντως πόλιν, τὰ δὲ δὴ σφέτερα, ἀγροὺς καὶ κώμας νομίζοντες εἶναι. Quomodo vicissim de illo Vulcatio Moscho in exilium a Romanis pulso, & a Massiliensibus, ut paullo ante dictum, in civem recepto, dicitur ibidem apud Tacitum: *(f) bona sua Reipubl. eorum, ut PATRIÆ relinqueret.* Ut proinde duplex eidem Vulcatio fuerit *patria*; naturalis quidem, Roma, unde fuerat in exilium pulsus, seu Romanum aliquod municipium: altera vero, in quam idem receptus, eaque inde, quod ait Cicero, *major*, seu potior ejus *patria* Massilia: cujus nempe unius urbis civis est deinceps habitus.

Equidem, ac unde hæc rursus illustrantur, quum sequentibus temporibus, sub M. Antonino Imperatore, civitate Romana donati essent, quicunque in Romani orbis provinciis aut oppidis delecti erant milites, ut præsidiarii in imperii limitibus constituerentur; ea conditione id factum ab Aristide, qui hoc refert, dicitur; ut iidem continuo naturalem patriam amitterent, immo ne profiteri quidem

(c) Leg. VII. Sect. 15. D. de Interd. & Releg.

(d) Sect. 16. Eodem.

(e) Lib. VII. p. 479.

(f) Annal. IV. c. 43.

eam præ pudore deinceps vellent. Quæ cum singularia sint ejus rei documenta, nec alibi facile, quod equidem sciam, obvia, ipsa Græci Oratoris ea de re ad Imperatores verba hic adponere, haud erit, ut opinor, inconsultum: *(g)* Καὶ ὡς εὕρετε, ὁμοῦ ΤΗΣ ΤΕ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΑΠΗΛΛΑΞΑΤΕ, καὶ τὴν ὑμετέραν αὐτοῖς πόλιν ἀντέδοτε αὐτῆς· ὥστε καὶ αἰσχυνθῆναι, καὶ τὸ λοιπὸν αὐτοὺς ἐκείνους γ' ἂν εἰπεῖν, ὅθεν ἦσαν τὸ ἀρχαῖον· ποιησάμενοι δὲ ΠΟΛΙΤΑΣ, οὕτω καὶ ΣΤΡΑΤΙΩΤΑΣ ἐποιήσατε, ὥστε τούς τε ἀπὸ τῆς πόλεως μὲν στρατεύεσθαι, καὶ τοὺς στρατευομένους μηδ' ὁπῦν ἧττον εἶναι πολίτας· dein de iisdem: ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ΤΗΣ μὲν ΑΡΧΑΙΑΣ ΑΠΟΛΙΔΑΣ μὲν γεγενημένους, ἅμα τῇ στρατείᾳ, τῆς δὲ ὑμετέρας πολίτας τε καὶ φρουρούς, ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἡμέρας; *quos,* (nempe qui e provincialibus ad tutandos imperii limites mitterentur) *ut invenistis, simul & SUA quemque PATRIA LIBERASTIS, & VESTRA CIVITATE vicissim DONASTIS: ita ut non ausint deinceps præ pudore antiquam profiteri originem: CIVITATE vero donata, MILITES eos effecistis, ut jam nec cives vestri militent, & qui militant, cives nihilominus sint: quum & ANTIQUAM CIVITATEM AMISERINT, & VESTRÆ sint ab eodem tempore CIVES ac præsidiarii constituti.* Quomodo ἀπόλιδες alioquin in penu Romanarum legum, quod paullo ante vidimus, ab *(h)* Ulpiano dicuntur & *(i)* Marciano, non qui amissa patria civitate, Romanam fuerant, ut hi milites, consequuti; sed qui in opus publicum perpetuo dati, aut in insulam deportati, Romanam civitatem amiserant, ac inde *extorres,* seu *sine civitate,* ut ea vox ἀπόλιδες, ibidem ad literam redditur, habebantur. E quibus autem Aristidis verbis liquet, meliori fuisse conditione *municipes,* quibus duas fuisse patrias, ut modo vidimus, docet *(k)* Cicero; unam *naturæ* seu *loci,* alteram *juris:* neque hunc Consularem, instar illorum militum, erubuisse, suam, qua ortus erat, patriam

(g) Orat. in Rom. p.380. T. 1.
(h) Leg. I. Sect. 2. D. de Legat. 3.
(i) Leg. XVII. D. de Pœnis.
(k) De Legib. K.1. c. 2.

profi-

profiteri, de qua ibidem ait: *itaque ego hanc meam esse PATRIAM,* Arpinum nempe, *nunquam negabo.* Unde etiam, ut præterea obſervo, ubi honores ſimul in duabus civitatibus gerendi cuipiam municipali deferebantur, *potior*, juxta Papinianum, (*l*) *eſt ORIGINIS cauſſa*, illius nempe municipii, ſeu civitatis, quæ *originalis patria*, uti ea a (*m*) Paulo J. C. dicitur, eidem foret. Adde quod ab Hermogeniano, qui ultimus in catalogo veterum Juris-conſultorum recenſetur, e quorum commentariis vel reſponſis Romanorum legum corpus eſt conflatum, dicitur: (*n*) *MUNICEPS eſſe deſinit, Senatoriam adeptus dignitatem, quantum ad munera, quantum vero AD HONOREM, RETINERE creditur. ORIGINEM,* ſui nempe, ut bene ibi notant interpretes, municipii. Quomodo a Paulo ibidem dicitur: (*o*) *Senatores & eorum filii ꝗ ORIGINI eximuntur, licet municipalem poſſideant dignitatem.* Qua proinde ratione factum intelligimus, ut, ſicut Mamilius *Tuſculi Dictator*, antiquis urbis temporibus apud (*p*) Livium dicitur; aut *M. Portius Celſus Dictator Municipi Cæritum*, legitur in veteri (*q*) lapide; ita Milo Lanuvii, in naturali nempe patria Dictator, quod rurſus e (*r*) Cicerone conſtat, exſtiterit; & quidem eodem tempore, quo idem Milo Romæ, poſt alios honores ibi geſtos, ac proinde dudum Senatoriam, quod de municipe ait Hermogenianus, adeptus dignitatem, conſulatum peteret; aut Ciceronis filius, Ædilis apud municipes ſuos Arpinates, idque patris, quod ipſe in (*ſ*) Epiſtola ad D. Brutum teſtatur, voluntate factus, quique ſolus, eodem teſte, in illo ſuo municipio magiſtratus crearetur. Quomodo inſuper de quodam Catinenſi

(*l*) Leg. XVII. Sect.4. D. Ad Municipal.
(*m*) Leg. XXII. Sect. 4. Eodem.
(*n*) Leg. XXIII. D. Eodem.
(*o*) Leg.XXII. Sect.5.Eodem.
(*p*) Lib. III.
(*q*) Grut. Theſ. CCXIV.
(*r*) Pro Milone, c. 37.
(*ſ*) Lib.XIII. Epiſt. 11.

L. Man-

L. Manlio ait alibi Cicero: *(t) eſt una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, Decurioque Neapoli.* Unde etiam, ut hoc præterea addam, & quod inde illuſtratur, contigit, ut ſequutis temporibus Hadrianus Imperator, prout de eo refert in ejus vita Spartianus: *(u) in Hetruria Prætorem Imperator egit; per Latina oppida & Dictator & Ædilis, & Duumvir fuit: apud Neapolitanos Demarchus: in PATRIA SUA Quinquennalis, & dein Adriæ Quinquennalis, quaſi in alia patria.* Erat enim pridem Lege Julia, ut ea de re mox dicetur, data civitas omnibus illis per Latium, ac dein per Italiam oppidis; ea vero, quæ *patria* ejus ibidem vocatur, qua nempe orti erant Hadriani majores, ſeu qualem *originis* nomine dici in libris veterum Juris-conſultorum, & Imperatorum conſtitutionibus modo vidimus, Hiſpaniæ urbs *Italica*, municipii nomine ac jure, jam Auguſti, ut e nummis ejus, & de qua re infra, conſtat, temporibus ornata legitur. Id forte adtentione magis ibi dignum, quod idem Hadrianus Athenis Archon exſtitiſſe, & apud *(x)* Dionem ſimiliter aut Xiphilinum dicitur: quum nec dum Athenienſes eo ævo in Romanam civitatem adſcitos conſtet; ac præterea, quod e Demoſthene ſupra jam adrigi, novo etiam apud Athenienſes civi, non liceret Archontis munus, uti nec ullum ſacerdotium capeſſere. Adeo ut præter ſolita civium Romanorum aut Athenienſium etiam jura, & pro ea quidem, quæ ſupra leges Auguſto data jam fuerat, ac dein ejus Succeſſoribus, poteſtate, id ab Hadriano factum ſtatuere continuo liceat. Sed qua de re opportunior, ubi de haud diſſimili Gallieni facto, quo is Athenis Archon fuerit, ac inde civis ibidem adſcribi, & ſacris omnibus Athenienſium intereſſe voluerit, uti ea de re in ejus vita *(y)* Pollio, agendi erit in ſequentibus locus.

(t) Ibid. Epiſt. 30.
(u) In Hadrian. cap. 20.
(x) Lib. XLIX. p. 295.
(y) In Gallieno. c. 11.

CAPUT

CAPUT. VII.

De civitate *integris* Latii, *aut* Italiæ *populis, cum jure suffragii, aut sine eodem, data. Exempla utriusque instituti, e Livio, Velleio, Dionysio Halicarn. Gellio, Festo, aliisque. Livius explicatus & illustratus.*

QUum vero, ut institutam hic commentationem persequamur, major paullatim dignatio Romanæ civitatis evasisset, aucta illius urbis potentia, & amplificato per Latium & Italiam imperio; haud mirum, si juris illius gratia, pro insigni beneficio, vel *ad augendam rem Romanam*, ut ea de re aiebat, post devictos Latinos, (*a*) Camillus; seu *honoris caussa*, ut mox a (*b*) Livio dicitur, fuerit bene meritis subinde, aut subactis etiam ejusdem *Latii* vel *Italiæ* oppidis ac populis impertita. Cujus autem beneficii, sicut datæ devictis quondam Latinorum populis ac Hernicis civitatis, seu, ut eam vocat, ἰσοπολιτείας, prima, ut observo, occurrit apud (*c*) Dionysium Halicarn. mentio, ad Consules anni U. C. CCLXVIII, Spurium Cassium & Proculum Virginium, ac proinde interjectis solum viginti quatuor annis a pulsis Regibus ac parta libertate. Ibi enim inducitur se jactans Cassius, quod secundo suo consulatu, ac proinde jam anno urbis CCLXI Latinos Romanorum cognatos, & ingenii gloriæque æmulos, *in amicitiam populi Romani perduxerit, concesso ÆQUO nobiscum CIVITATIS JURE, ita ut ROMAM*

(*a*) Liv. L. VIII. c. 13.
(*b*) Ibid. c. 14.
(*c*) Antiq. L. VIII. p. 530.

non

non amplius adversariam, sed PATRIAM vocent, εἰς φιλότητα συνήγαγε, ΤΗΣ ΙΣΟΠΟΛΙΤΕΙΑΣ μεταδοὺς, ὥστε μηκέτι ἀντίπαλον, ἀλλὰ ΠΑΤΡΙΔΑ ΤΗΝ ΡΩΜΗΝ ὀνομάζειν. Ita Hernicos, & quidem proprio ejus arbitratu, in easdem pacis conditiones, ac in civitatem, tertio illius consulatu, ab eodem Cassio acceptos, cum ante memorat (*d*) Dionysius, tum paullo post apud eundem Sempronius Atratinus. (*e*) Ἑρνίκους μὲν γὰρ, καὶ Λατίνους, οἷς νεωστὶ δεδώκαμεν τὴν ἰσοπολιτείαν, *Hernicos enim & Latinos, quibus recentissime æquum jus nobiscum civitatis dedimus* : & quod utrumque huic Cassio apud eundem (*f*) Dionysium vitio postea vertitur, quod ille & Latinis ἰσοπολιτείαν dederit, & Hernicos, πολίτας τε ἀντὶ ἰσοτελῶν, *cives pro tributariis fecerit*. Tradit vero idem (*g*) Auctor, accitos a Cassio ad ferenda suffragia de lege, quam promulgare volebat, agraria, novos illos e Latinis & Hernicis cives ; contrarium edicente altero consule Virginio. Adeo ut inde statuere liceat, vix elapsis septemdecim annis a parta libertate aliquot Latinorum populis, fœderis, quod cum iis percussum est, & cujus meminit idem (*h*) Dionysius (uti etiam, sed citra juris illius mentionem, (*i*) Livius, ac similiter (*k*) Cicero) annis aliquot interjectis, Hernicis civitatem datam : non tamen cum expressa suffragii commemoratione : quod illis alioquin, ut adscitis civibus concedi debere contendebat Cassius ; negabat autem alter Consul Virginius. Qua ratione autem factum videtur, ut sequutis dein temporibus, ne scilicet illud ambigui dein juris remaneret, aliis deinceps Latinorum vel sociorum populis, pro diversa nempe eorum conditione, aut in populum Romanum studio, civitas, modo cum jure suffragii, modo sine eodem jure, impertita diceretur.

(*d*) Ibid. p. 542.
(*e*) Ibidem.
(*f*) Ibidem p. 544.
(*g*) Ibidem p. 538.
(*h*) Ibid. p. 537.
(*i*) Lib. II. c. 13.
(*k*) Pro Balbo c. 13.

Cujus

Cujus rei auspicium a *Ceretibus* factum observat *(l)* Gellius: *primos autem municipes, sine suffragii jure Caretes esse factos accepimus:* nempe ob sacra populi Romani, ut ea de re *(m)* Livius, bello Gallico ab iis recepta, ac proinde anno demum U.C. CCCLXIV atque ita centum & aliquot annis, post donatos civitate, juxta Dionysium, ut modo vidimus, aliquos Latinorum populos, ac paucis dein annis interjectis *Hernicos.*

Quod alioquin discrimen datæ antiquitus Romanæ civitatis, modo cum jure ferendi suffragii & capiendi in urbe muneris, unde, quod obvium *(n)* *municipiorum* iis, quæ illo donata erant, oppidis nomen; modo sine eodem jure, frequenter occurrit apud eos, qui vetera urbis tempora adtigerunt, Scriptores, ac Livium potissimum, Velleium, aliosque. Quomodo prius illud innuere videtur Livius, *(o)* ubi ad annum U.C. CCCCXV, *Lanuvini, Aricini, Nomentani, Pedani, in civitatem accepti:* aut Lanuvinis ac Tusculanis, *(p)* *civitas data*, vel *servata*, sicut paullo post *(q)* *Privernatibus* quoque, dicitur: alterum, ubi mox *(r)* *Campanis* equitibus, *Fundanis* & *Formianis*, ac dein *(ſ)* *Acerranis*, alibi *(t)* *Anagninis*, *civitas sine suffragio*, cum restricto proinde nec pleno illius jure, concessa apud eundem legitur. Quod de *Campanis* in genere, parteque Samnitium, quibus *data est civitas sine suffragio*, tradit itidem *(u)* Velleius: mox vero de *Fundanis* quoque & *Formianis*, quod iidem interjecto triennio sint *in civitatem recepti.* Haud aliter ac apud Livium, *(x)* *Arpinatibus Trebulanisque civitas data* solum dicitur: qui tamen Arpinates, una cum memoratis modo Formianis Fundanisque, suf-

(l) Lib. XVI. c. 13.
(m) Lib. V. c. 50.
(n) Ulp. Leg. I. Sect. 1. D. Ad Municipal.
(o) Lib. VIII. c. 14.
(p) Ibid. c. 12.
(q) Ibid. c. 21.
(r) Ibid. c. 14.
(ſ) Ibid. c. 17.
(t) Lib. IX. c. 43.
(u) Lib. I. c. 14.
(x) Lib. X. c. 1.

fragii demum jus poſt centum & quindecim annos ſunt conſequuti: ſicut rurſus ex eodem Livio liquet, ad Conſules anni Urbis DLXV. (*y*) *de Formianis Fundaniſque municipibus & Arpinatibus C. Valerius Tappus tribunus plebis promulgavit, ut iis ſuffragii latio (ANTE SINE SUFFRAGIO habuerant civitatem) eſſet.* Quod agnoſcit etiam (*z*) Feſtus; niſi quod hiſce Fundanis, Formianis & Acerranis, Lanuvinos, Tuſculanos, præter Cumanos adjungit; qui omnium rerum ad munus fungendum fuerint cum civibus Romanis participes, *præterquam de ſuffragio ferendo, aut magiſtratu capiendo: qui autem populi, ſeu municipes,* ut continuo addit, *poſt aliquot annos cives Romani effecti ſunt.* Quum tamen *Fundani* & *Formiani*, ut e Livio modo diximus, interjectis centum & quindecim annis, ſint demum adepti jus ſuffragii: hoſce vero *Lanuvinos*, uti memoratos ſupra Latii itidem populos, *Aricinos, Nomentanos, Pedanos*, accepta civitate in tribum continuo conjectos, in qua ſuffragium tulerint, ac cenſos, e (*a*) proximis aliiſque in eodem Livio verbis conſtat. *Tuſculanis* vero non data tum primum, ſed, quod ibi a Livio dicitur, (*b*) *ſervata, quam habebant, civitas*: nempe quam antea jam iis datam, (*c*) alibi retulerat idem Auctor, eamque, ut hoc addam, cum optimo civium Romanorum jure, quod adſtruunt inſuper Dionyſii Halic. ea de re in (*d*) Excerptis Valeſianis verba, ubi Romani, Tuſculanis, a quibus bello fuerant laceſſiti, pœnæ loco, ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ ἔγνωσαν, τοῖς κρατηθεῖσι χαρίσασθαι, ΠΑΝΤΩΝ μεταδόντων, ὧν τοῖς φύσει Ῥωμαίοις μετῆν. *CIVITATEM victis dare decreverunt, OMNIA JURA, quæcunque indigenis civibus competebant, eis IMPERTIENTES*, ac proinde jus quoque ſuffragii. Quod firmare videtur etiam

(*y*) Lib. XXXVIII. c. 26.
(*z*) In *Municipium.*
(*a*) Lib. VIII. c. 14. 17.
(*b*) Ibid. c. 14.
(*c*) Lib. VI. c. 28.
(*d*) Pag. 530.

Tul-

Tullius, a quo Tusculum *(e) antiquissimum municipium* dicitur: alibi, quum Romuli exemplo, Sabinos in civitatem adsciscentis, nunquam a majoribus intermissam civitatis largitionem dixisset, id Lanuvinorum ac Tusculanorum ante alios commemoratione comprobat: *(f) itaque & in Latio multi & Tusculani, & LANUVINI, & ex cæteris gentibus, gentes universæ in civitatem sunt receptæ, & Sabinorum, Volscorum, Hernicorum.* Quomodo nempe de Sabinis ait *(g)* Velleius, quod iis Manio Curio & Cornelio Rufino consulibus, h.e. anno U. C. CDLXIII, fit *civitas sine suffragio data:* mox autem, post viginti quinque annos, sub consulatu nempe Sempronii Sophi, & Appii Claudi Cæci filii, *(h) suffragii ferendi jus Sabinis datum. Volscorum* autem civitates, partim in municipia civium Romanorum, ut de Priverno paullo ante vidimus, anno U. C. CDXXI, transierunt: partim potiora seu nobiliora eorum oppida, Antium, Anxur, Cusinum, Circeii, Norba, Setia, Signia, Velitræ, in totidem Romanorum colonias, ut e variis ejusdem *(i)* Livii locis liquet, sunt antiquitus conversa. *Hernicorum* vero, quos juxta Sabinos & Volscos, in civitatem acceptos tradit memoratis modo verbis Tullius, & quibus datam jam a Spurio Cassio, primis liberæ Urbis temporibus, civitatem, e gravissimo auctore Dionysio paullo ante vidimus, eorum, inquam, tribus populis *Alatrinati, Verulano, Ferentinati,* quod deficientibus aliis, in fide Romanorum manserint, pro civitate, quia id maluerunt, suas leges, anno U. C. CDXLVII redditas, docet *(k)* Livius: *Anagninis* vero, aliisque *Hernicis,* qui arma Romanis intulerant, datam, ut id quoque supra jam adtigi, sine suffragio civitatem. Quos tamen Anagninos inter eos Festus, seu apud eum Paulus refert, quorum *(l) civitas universa*

(e) Pro Plancio. c. 19.
(f) Pro Balbo. c. 31.
(g) Lib. I. c. 14.
(h) Ibidem.
(i) Lib. VI. c. 12. 21. L. VII. c. 42. L. VIII. c. 13. 21. &c.
(k) L. IX. c. 43.
(l) In *Municipium.*

in Romanam civitatem venit, h.e. qui optimo jure civium Romanorum, suffragii proinde ac honorum, sunt deinceps usi, & de quibus, ut *municipibus Anagninis* loquitur alicubi *(m)* Tullius; sed quo tempore jus illud suffragii, non municipiis solum, quæ prius eo caruerunt, verum toti Latio, immo universæ Italiæ ita tum dictæ, erat jam indultum. Mitto quod apud eundem Paulum vel Festum, præter *Aricinos*, quibus datam cum suffragiis civitatem, e Livio vidimus, *Cærites* ibidem conjunguntur: quos tamen municipes sine suffragii latione esse factos testatur, ut paullo ante vidimus, *(n)* Gellius; ac ante illum *(o)* Strabo eo nomine Romanos ut ingratos redarguit, qui bene meritos de iis bello Gallico Cærites, non pleno jure civitatis continuo donaverint; immo alios, qui itidem non æquali cæteris civibus jure fruerentur, in Cæritum tabulas referri deinceps dixerint. Quum tamen post datam cum suffragii jure, qua de re mox, Latio civitatem, aut forte jam ante, eo quoque gavisos Cærites, liceat omnino statuere. De quo cæteroquin municipio intelligi debet Frontinus, *(p) Ceretium* (seu *Cæritium*) *municipium familia Marii obsidebat:* & cujus municipii præclara exstat adhuc & antiqua *(q)* inscriptio, de qua jam ante est facta mentio. Meminit vero alibi Livius, & quidem diu ante civitatem lege Julia Latio impertitam, *Latinorum*, qui in judicio M. Postumi Pyrgensis publicani, suffragium ferre debuerunt: *(r) testibus datis, tribuni populum summoverunt, sitellaque allata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent.* Quæ postrema verba vitii coarguit is, cui Livius aliique optimi veteris Latii Scriptores plurimum debent, J. F. Gronovius; tueri vero conatur nuperus Livii

(m) Pro Domo. c. 81.
(n) L. XVI. c. 13.
(o) L. V. p. 220.
(p) De Coloniis. p. 135. Ed. Goes.
(q) Thes. Grut. p. CCXIV.
(r) L. XXV. c. 2. p. 52.

apud

apud Gallos editor, dum ex Latinorum urbibus civitate donatis, multos Romæ esse potuisse, qui invitantibus tribunis, suffragia ferrent, & qua in re præeuntem habuit, a quo id hausit, (*s*) Sigonium, existimat: quodque, ut is addit, fieri non potuerit, nisi prius certa tribus sorte iis Latinis adsignaretur. Neque illud frustra dici videtur: quum pridem plura exstarent in Latio civium Romanorum, & quidem cum jure suffragii, municipia; prout de *Tusculanis, Lanuvinis, Aricinis, Nomentanis, Pedanis,* aliisque, jam ex eodem Livio vidimus. Verum & illud quoque, quod non adtendit vir doctus, & quod magis adhuc miror, omnis hujus juris & antiquitatis optimus cæteroquin auctor (*t*) Sigonius, e Livio rursus constat; eosdem Latinorum populos, ubi pridem data eis fuisset cum jure suffragii civitas, inde continuo in novas tribus, in quibus illi suffragia deinceps ferrent, fuisse conjectos. Adde, quod non id a tribunis plebis fieret, aut ipso ferendi suffragii tempore, quum jam tribus ad suffragia vocari, seu eas sortiri conveniret, quæ nempe ex ipsis fieret prærogativa; sed a Censoribus lustro condito, cum civium census ab iis ageretur. Ita, quod utrumque modo dictum adstruit, post memoratos paullo ante aliquot Latinorum populos, Lanuvinos, Aricinos, &c. in civitatem cum jure suffragii adscitos, Livius: (*u*) *eodem anno census actus, novique cives censi, tribus propter eos additæ, Mæcia & Scaptia: censores addiderunt, L. Publius Philo, Sp. Postumus:* & alibi, ubi Formianis Fundanisque municipibus & Arpinatibus datam, qua caruerant hactenus, suffragii in Urbe lationem dixisset: (*x*) *rogatio perlata est, ut in Æmilia tribu Formiani & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent; atque in his tribubus tum primum ex Valerio plebiscito censi sunt.* Adeo ut hæc procul dubio doctissimum J. F. Gronovium, nec immerito induxisse vi-

(*s*) De Ant. Jur. Ital. L. I. c. 4.
(*t*) Ibidem.
(*u*) L. VIII. c. 17.
(*x*) L. XXVIII. c. 36.

dean-

deantur; ut is alienam omnino *Latinorum* in iis Livii verbis mentionem, indeque ibi a veteri librorum lectione discedendum sibi existimaverit.

CAPUT. VIII.

De Jure Latii *seu* Latinitate *Coloniis Latinis data: & de* Latinis libertis Junianis, *quorum sit mentio in Fragmentis veterum Juris-consultorum.* An Latinæ coloniæ *tantum* e libertis, *quod existimabat Salmasius, constarent.*

IN quem vero Romanorum civium censum collocandi similiter veniunt, qui *jure Latii*, seu gestis in patria, quæ Latio donata erat, magistratibus, inde jus Romanæ civitatis adepti censebantur: atque adeo, ut pateret tum iis Romæ ad suffragia & honores aditus; sicut adhuc Trajani ævo id tangit in ejus Panegyrico Plinius; (a) *his quoque quibus per Latium civitas Romana patuisset.* Quod de *Nemausi* in Gallia, Latini quippe juris, incolis observat (*b*) Strabo, ac vidit jam, ubi ea de re agit, (*c*) Sigonius; ut qui ædilitatem ac quæsturam in eadem civitate gesserant, cives Romani haberentur: ac de *Novocomo* sub Alpibus, ac vel utriusque Plinii natalibus nobilitato haud parum oppido, quod illo Latii jure donaverat, antequam rerum potiretur, J. Cæsar, refert (*d*) Appianus; ut qui annuum ibidem obirent magistratum, cives Romani continuo fierent. Etsi, quod subdit idem Auctor, nulla

(a) Cap. 37.
(b) L. IV. p. 187.
(c) De Ant. Jur. Ital. L. I. c.4.
(d) Bell. Civil. L. II. p. 443.

indul-

dulti hisce Novocomensibus a Cæsare beneficii, seu *juris* illius *Latii*, habita fuerit a Marcello consule, ob infensum ejus in Cæsarem animum, ratio: quippe qui ex horum Novocomensium numero quendam apud suos magistratu functum, ac ob id se pro cive Romano ferentem, in Cæsaris contumeliam, tanquam peregrinum, virgis cædi jusserit: quæ pœna civi Romano quantumvis sonti, ut aliunde etiam, ac vel e D. Pauli, ob hanc illatam sibi insignem contumeliam, eo nomine justissime conquerentis (*e*) verbis constat, neutiquam infligebatur. Quod alioquin Marcelli factum a (*f*) Plutarcho itidem tangitur; ac præterea, sicut etiam a (*g*) Suetonio, quod illis Novocomensibus, quos Cæsar deduxerat, impertitam ab eo civitatem (nec proinde jus demum Latii, quod tradit Appianus) tanquam *per ambitionem & ultra præscriptum datam*, iidem consules Marcellus ac Lentulus continuo ademerint. Datam vero hisce Novocomensibus colonis a Cæsare civitatem, memorat quoque (*h*) Strabo: & quod oppidum alioquin a Rhœtis adflictum, a Pompeio Strabone Magni patre, jam antea instauratum, idem Geographus refert; ac proinde cui *jus* illud *Latii*, sicut reliquis (*i*) Transpadanis, qua de re postea dicetur, non vero civitatis Romanæ, fuerat ab eodem Pompeio concessum. Neque enim idem fuisse *jus Latii*, quod Romanæ civitatis; nec proinde Latinas colonias civium Romanorum jus habuisse, nisi quatenus per illud Latium, seu per gestos in patria, quæ illo jure Latii gaudebat, magistratus, id beneficium consequebantur, e Cicerone, Livio, & aliunde viderunt jam viri eruditi, ac monuit præ aliis diligentissimus (*k*) Sigonius. Hinc illud Livii: (*l*) *NOVUM JUS eo anno a*

(*e*) Act. XVI, 37. XXII. 25.
(*f*) In Cæsare. p. 722.
(*g*) In Cæsare c. 28.
(*h*) L. V. p. 213.
(*i*) Asconius in Pisonian.
(*k*) De Ant. Jur. Ital. L. I. c. 4.
(*l*) L. XXXIV. c. 42.

Feren-

Ferentinatibus tentatum, ut LATINI, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, CIVES ROMANI essent. (m) Cicero autem Spoletani cujusdam T. Matrinii meminit, qui ex ea Latina colonia a C. Mario fuisset civitate donatus. Adeo, ut quanquam e Romanis civibus constarent subinde dictæ illæ *Latinæ*, seu deductæ cum *jure Latii* Romanorum coloniæ, prout a Cicerone, quem locum paullo ante adtigi, dicitur, (n) *qui Cives Romani in colonias Latinas proficiscebantur*: eosdem tamen colonos ne privato quidem Quiritium jure usos liquet, sed civitatem etiam, quamquam voluntate, non vero invitos, amisisse: Docet id cum eodem loco, tum alibi adhuc Cicero (o) *certe quæri hoc solere me non præterit (ut ex me ea, quæ tibi in mentem non veniunt, audias) quemadmodum, si civitas adimi non posset, in COLONIAS LATINAS sæpe NOSTRI CIVES profecti sint, aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt; quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent.* Unde etiam mediam capitis diminutionem passos, qui in Latinas colonias mitterentur, cives Romanos, tradit Boethius eo loco quem jam (p) Sigonius vidit, sed cujus verba paullo aliter idem refert. Ita vero se habent: (q) *media vero* (nempe capitis diminutio) *in qua civitas amittitur, retinetur libertas, ut in Latinas colonias transmigratio*; hoc est, quod tanquam ibi ab ipso Boethio explicatum, neque tamen ibidem legitur, adducit inde Sigonius, *neque connubii, neque testamenti, neque municipii, aut nexus, aut patriæ potestatis jus, quod erat proprium civium Romanorum, habuisse.* Quo loco illud præterea observandum, dictos olim sub Romanis Cæsaribus, & quorum apud (r) Ulpianum, ac in veteri præterea juris Fragmento, quod

(m) Pro Balbo. c. 48.
(n) Pro Domo. c. 78.
(o) Pro Cæcina. c. 98.
(p) De Ant. Jur. Ital. L.II.c.3.
(q) Boeth. in Topic. Ciceron. L. II. p. 780.
(r) Fragm. Tit. XIX. Sect.4.

edi-

edidit (*s*) Pithœus, fit mentio, *Latinos colonarios:* ad diſcrimen nempe *Latinorum*, ſeu *libertorum*, qui poſt legem de iis a Junio Norbano ſub Auguſto latam, *Latini Juniani*, ac *Latini liberti*, & *Latina* de iiſdem *libertas* ac *Latinitas* dicuntur, cum in iiſdem (*t*) Fragmentis, tum in libris Juris (*u*) Juſtinianei, & in (*x*) Codice Theodoſiano. Ii enim *Latini liberti*, aut de iis *Latinitas*, ut in Juſtiniani, qua eſt eadem *Latinitas* ſublata, (*y*) conſtitutione, dicitur, *ad ſimilitudinem antiquæ LATINITATIS, quæ in colonias miſſa eſt*, inducta: ſeu, ut in Pithœi (*z*) Fragmento traditur, *ſed nunc habent propriam libertatem, qui inter amicos manumittuntur, & ſunt LATINI JUNIANI: quoniam lex Junia, quæ libertatem eis dedit, exæquavit eos LATINIS COLONARIIS, qui tunc erant CIVES ROMANI, & nomen ſuum in COLONIAM* (non ut ibi in Batava Leewii, aut in antiquioribus etiam editionibus legitur, *in civitatem*) *dederant.* Id autem Fragmentum Græce, e qua lingua illud converſum eſſe conſtabat, in veteri manuſcripto codice ſibi aliunde ſuppeditato exſtare, obſervat in (*a*) libro de Modo Uſurarum vir maximus, & cujus eadem inde verba addducit, ac inde in Latinis a Pithœo editis ſupplenda exiſtimat: nempe ἐπειδὴ νόμος Ἰούνιος, ὃς τὴν ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἔδωκεν, ἐξίσωσεν αὐτοὺς ΛΑΤΙΝΟΙΣ ΚΟΛΩΝΑΡΙΟΙΣ, οἳ πότε ἦσαν ΠΟΛΙΤΑΙ ΡΩΜΑΙΟΙ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ, ὄνομα ἴδιον εἰς τὴν ΚΟΛΩΝΙΑΝ ἐδεδώκεισαν, quibus reſpondent Pithœana modo adlata, niſi quod in iis, ut notat ὁ πάνυ, *qui cum eſſent cives Romani liberti*, vox illa *liberti*, quæ eſt in Græcis, nempe πολῖται Ῥωμαῖοι ἀπελεύθεροι, deſit, quæ ſit ibi reſtituenda. Intereſt enim, ut ad-

(*s*) Poſt. Collat. Leg. Moſaic.

(*t*) Ulp. Tit. 3. XVII. Sect. 1. XIX. Sect. 4. XX. Sect. 8. &c.

(*u*) Inſt. de Libert. Sect. 4. de ſucceſſ. Libert. Sect. 4. Leg. unic. Cod. Juſt. de Latin. Libert. toll.

(*x*) Leg. un. Cod. Theod. de Hered. Petit.

(*y*) Leg. unic. de qua ante.

(*z*) Poſt. Collat. Leg. Moſaic.

(*a*) Cap. XIX. p. 877. 878.

dit ibidem vir magnus, ſcire, de quibus Romanis civibus intelligendum ſit, qui in coloniam miſſi, *Latini colonarii* fiebant. Quamquam haud fruſtra eam vocem *liberti* a Latino interprete ibi omiſſam liceat, ut mihi equidem videtur, ſtatuere. Neque enim e libertis demum conſtabant quod tamen inde colligit Salmaſius, quæ a Romanis olim ſeu e Romanis civibus deducebantur, dictæ ab iis *Latinæ coloniæ*; neque eædem ita appellatæ ad exemplum *Latinorum libertorum*, quales lege Junia Norbana ſunt primum, ut in eodem Fragmento dicitur, & ſub Auguſto quidem inducti: ſed inde, quod modo e Cicerone, Livio, Boethio vidimus, & viderat jam antea, ubi de iis agit, Sigonius, qui cum priſco Latii, non vero Quiritium, ſicut Romanæ coloniæ, jure mittebantur in colonias cives Romani. Unde etiam ſequentibus ætatibus *Latini colonarii*, ſicut ab *(b)* Ulpiano, ac in eo Juris Fragmento vocantur, & quidem ad diſcrimen *Latinorum libertorum*, qui a civibus Romanis inter amicos manumiſſi, ſed quibus non competebat jus Quiritium, dicebantur: ac inde, ut de iis aperte in adductis ſupra verbis Juſtinianus, *ad ſimilitudinem ANTIQUÆ LATINITATIS, quæ in COLONIS miſſa eſt*: quod nempe *Latini* illi *coloni* ſeu *colonarii*, ſine civium Romanorum jure, ut jam diximus, olim deducerentur: non vero quod e *libertis* demum iidem conſtarent. Quis enim, ut alia mittam, & quod inducta primum, ut modo dictum, ſub Auguſto ea *Latinorum libertorum* appellatio fuerit: dum vel *Latium*, qua de re poſtea dicetur, univerſæ Hiſpaniæ *(c)* a Veſpaſiano; vel multis civitatibus ab *(d)* Hadriano datum traditur; vel alioquin *veteris Latii* donata jure oppida apud *(e)* Plinium traditur: hæc continuo de *Latinæ libertatis jugo*, ſicut de eo loquitur *(f)* Sal-

(b) Fragm. Tit. XIX. Sect. 4.
(c) Lib. III. c. 3. in fine.
(d) Spartian. in Hadrian.
(e) L. III. c. 3.
(f) Adv. Avarit. L. III. c. 7.

via-

vianus, iis regionibus vel civitatibus, & pro singulari quidem beneficio, a Romanis Principibus impertito, dicta unquam statuet? Adde datum, quod antea vidimus, per Latium, ad honores in urbe & magistratus adipiscendos aditum: a quibus tamen, & a Senatoriis etiam dignitatibus, immo adhuc sequiori ævo & Valentiniani III, quæ exstat in *(g)* Codice Theodosiano constitutione, *ab honoribus & palatina militia* exclusi erant in genere *liberti*; qui alioquin, exceptis *Latinis* hisce, vel *Dedititiis*, cives Romani, ut postea de iis dicetur, erant & habebantur. Adeo ut Græci illius Fragmenti, e quo Latina Pithœana sunt conversa, auctor, seu qui eum forte interpolavit, sit e veteri ejus interprete potius emendandus: a quo vox ea *liberti*, de priscis illis *Latinis colonariis*, quasi e libertis demum ii constitissent, sit ibi opportune omissa. Neque vero minus, ut hoc addam, *Romani* apud Livium dicti, qui ex urbe seu e civium Romanorum numero, in Latinas id genus colonias erant missi; & Roma *antiqua* eorum *patria*: ubi nempe duodecim Latinas populi Romani colonias, militiam detrectantes, admonent consules *(h) Non Campanos atque Tarentinos eos esse, sed ROMANOS. Inde oriundos, inde in colonias, atque in agrum bello captum, stirpis augendæ caussa missos; quæ liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, si ulla pietas, si memoria ANTIQUÆ PATRIÆ esset.* Idque pro consueto ac recepto pridem, ut hoc addam, metropoleon in colonias a se longinquas etiam in regiones deductas jure; seu pro ea, quæ inter parentes ac liberos, quomodo ii haud semel leguntur appellati, intercedere debuit, pietate ac necessitudine, Adeo ut etiam sacra, leges, ritus, magistratus, a conditoribus suis acciperent apud Græcos aliosve populos, deductæ ab iis coloniæ: prout id de *Carthaginiensibus*, *Syracusanis*, *Phrygibus*,

(g) Leg. III. C. Th. de Libertis.

(h) L. XXXVII. c. 9.

Potidæatis, *Ionibus*, Græcorum *Locris* &c. quos *Tyro*, *Corintho*, e *Thracia*, *Athenis*, *Locris Italicis*, ſeu Magnæ Græciæ, tanquam *antiqua* eorum *patria*, ſacra, ſacerdotes, legumlatores, corporis ſeu comæ cultum, vel annuos etiam magiſtratus, petere ſolitos, tradunt Thucydides, Polybius, Diodorus, Strabo, Plutarchus, aliique, & qua de re nos alibi, *σὺν θεῷ*, plenius.

CAPUT IX.

De Coloniis civium Romanorum *eorumque cum* Latinis coloniis *diſcrimine: an priores, privata tantum, juxta Sigonium, vel juxta Manucium, publica etiam, & quidem honorum Romæ adipiſcendorum jura retinuerint? Sigonii ſententia ea de re adſerta. De* Jure Italico, *an idem cum* Jure Latii, *juxta virum doctum, fuerit.*

QUemadmodum vero *Latinæ Coloniæ*, ut ſæpe, quod modo vidimus, apud Ciceronem, Livium alioſque, dictæ, quæ cum jure Latii, ac e Romanis etiam civibus, deducebantur Coloniæ, ac inde uti ea de re mox, a Plinio, *Latini* aut *antiqui Latii* donata jure oppida; ita ad illarum Coloniarum diſcrimen, appellatæ *Coloniæ civium Romanorum*, aut ſolo etiam *Coloniæ* nomine, quæ alio quam *Latii*, & potiori quidem, jure, deduci itidem a Romanis conſueverant. Diſcrimen inter id genus Colonias tangit cum alibi, tum ubi de Colonia Aqui-

quileiam deducenda agit Livius: *(a) Illud agitabant, uti Colonia Aquileiam deduceretur: nec satis constabat, an civium ROMANORUM deduci placeret: postremo LATINAM potius COLONIAM deducendam Patres censuerunt.* An autem hæ postremi generis, seu dictæ *Romanorum civium Coloniæ*, Romanæ civitatis jura itidem, sicut de *Latinis* modo dictum, amiserint: an vero illæ eadem retinuerint, ut deinceps missi in eas urbes Coloni, omnia civium Romanorum jura, & quidem suffragii etiam ac honorum in urbe adipiscendorum, habuerint, haud ita liquidum; apud eruditos certe, qui de hisce sunt commentati, aut ea cæteroquin adtigêre, hactenus controversum legitur. *(b)* Sigonius quidem privata tantum, & quibus carebant Latinæ Coloniæ, Quiritium jura; nempe quæ paullo ante dicta, libertatis, testamenti, connubiorum, patrium jus, legitimi dominii, nexus, & usucapionis: non vero publica, sicut census, tributorum, vectigalium, iis Romanorum civium Coloniis relicta existimat, ut neque illud præcipuum suffragii & magistratuum Romæ petendorum jus. Hæc enim duo, etsi muta fere hac in parte ei videantur veterum monumenta, nullis Coloniis, ante civitatem, lege Julia, Latio ac dein Italiæ datam, patuisse, se adduci ut credat ait *(c)* Sigonius; nisi id, quomodo Latini, ut paullo ante dictum, per magistratus domi gestos sint adepti. A quo vero ea in re abit, qui hoc jam adtigerat, *(d)* Manutius, ac ferme recentium eruditorum cohors, qui illas civium Romanorum Colonias, jus retinuisse suffragii, ac magistratuum Romæ gerendorum, arbitrantur: immo qui illud inter hasce & Latinas Colonias discrimen *(e)* se veteri etiam nummorum fide comprobare posse crediderunt.

(a) L. XXXIX. c. 56.
(b) De Ant. Jur. Ital. L. III. c. 3.
(c) Ibidem.
(d) De Civitate Roman.
(e) Harduin. Antirrhet. p. 136.

Equi-

Equidem, ut ea monnmenta seu testimonia, quibus niti potest hæc sententia, hic tangam, iis continuo videtur suffragari ipsa *civium Romanorum*, a Livio, ut modo dictum, ac Cicerone, ad discrimen *Latinarum coloniarum*, tributa nomenclatio: tum, quod aperte *(f)* duobus locis supra memoratis Tullius, ubi eripi non potuisse nisi exilio, vel tecti, aquæ & ignis interdictione, datam semel Romanam civitatem docet; quærit duntaxat, aut a se quæsitum tradit, quomodo tamen a Latinis coloniis amitteretur civitas, præterita omnis eam in rem, tanquam quod ad id illas non adtineret, earum coloniarum, quæ erant civium Romanorum, mentione. Quomodo etiam adductis jam ante apud Livium verbis, *(g) novum jus a Ferentinatibas tentatum* dicitur, *ut Latini qui in coloniam Romanam*, non Latinam proinde, sed Romanorum civium, *nomina dedissent, CIVES ROMANI essent*: haud aliter nempe ac ipsi Romani cives, qui in Romanam id genus coloniam deduci consueverant. Adde, quod servata subinde fuerit *civium Romanorum* aut *veterum civium*, de deductis pridem id genus coloniis, apud antiquos Scriptores appellatio; ut apud Livium de Velitris, Romana apud Volscos colonia: *(h) Veliternos veteres cives Romanos.* alibi jam ante: *(i) Veliternis, civibus suis, diu impunita defectio esset.* Unde etiam duodecim coloniarum, deferentibus ipsarum coloniarum censoribus, censum in urbe a Romanis, Censoribus M. Livio Salinatore & C. Claudio Nerone, actum, refert alibi *(k)* Livius. Quomodo eædem coloniæ, Romani populi seu urbis Romæ *quasi effigies parvæ simulacraque* dicuntur apud *(l)* Gellium; & mutata subinde *municipiorum* in *colonias* conditio: uti ab *Italicensibus* in

(f) Pro Cæcina c. 100. pro Domo. c. 78.
(g) L. XXXIV. c. 42.
(h) L. VIII. c. 14.
(i) L. VI. c. 21.
(k) L. XXIX. c. 37.
(l) L. XVI. c. 13.

Bæti-

Bætica, & ab Afris *Uticensibus*, eorundem rogatu, factum tradit ibi Hadrianus: quod vix utique ab iis petitum statui posset, si ea mutatione omni illo suffragii seu adipiscendorum Romæ honorum beneficio, ac proinde optimo civitatis Romanæ jure, excidissent tum eadem oppida vel municipia. Ut jam illud mittam, e veteri Græcorum more petitum, quo communia fuisse civitatum inter metropoles & deductas ab iis colonias, civitatum jura videntur extitisse: prout ortos e Locris in Græcia, alios Magnæ Græciæ Locros, inde inter alia contendit apud *(m)* Polybium Timæus, ob repertas apud priores Locros fœderum cum postremis tabulas, quibus, quod supra jam vidimus, *sancitum sit inter utrosque jus commune civitatis*, καθ' ἃ πολιτείαν ὑπάρχειν ἑκατέροις παρ' ἑκατέρων. Unde etiam illud a Corcyræis, qui Corinthiorum erant coloni, apud *(n)* Thucydidem dicitur, colonos in colonias *mitti, non ut sint servi, sed ut cum iis qui domi remanserunt, æquali sint jure*, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ὁμοῖοι τοῖς λειπομένοις εἶναι ἐκπέμπονται.

Verum, ut quid de ea Coloniarum, quæ e Romanis civibus constabant, conditione sentiam, & quia id flagitat argumenti, quod hic expendimus, tractatio, nunc aperiam: potior longe mihi videtur *(o)* Sigonii sententia, quæ jus omne suffragii & petendorum Romæ honorum, coloniis civium Romanorum, haud minus ac Latinis, aut nonnisi per jus Latii, de quo supra, seu per gestos in coloniis magistratus, abjudicat; solaque iis relicta existimat, ad Latinarum coloniarum discrimen, privata Quiritium jura. Adeo etiam, ut ea in re non *muta* mihi, sicuti *(p)* Sigonio, sed clara satis, quæ hanc opinionem firmant, exstare videantur, quæque id liquidum meo judicio reddant, *vetera monumenta*, & quidem Ciceronis, Livii, Dionysii, Dionis, ac, ut de aliis adhuc sileam, Plinii. Ceceronem

(m) Excerpt. Vales. p. 49.
(n) L. 1. p. 21. Ed. Wech.
(o) De Ant. Jur. Ital. L. II. c. 3.
(p) Ibidem.

quod

quod adtinet, exſtat inſignis eam in rem in ſecunda Catilinaria locus *(q) Hi ſunt homines ex iis COLONIIS, quas Feſulis Sulla conſtituit: quas ego univerſas CIVIUM eſſe optimorum & fortiſſimorum virorum ſentio: SED TAMEN HI SUNT COLONI, qui ſe inſperatis repentiniſque pecuniis ſumptuoſius inſolentiuſque jactarunt.* In quibus nempe verbis, Romani quidem *cives* dicuntur exſtitiſſe, qui in eas deductas a Sulla colonias ſunt profecti; ſed ita ut dein non *cives* adeo, quam *coloni* ſint habiti. Quo referri itidem debet, quod idem Tullius alibi memorat: *(r) A Saturnino Tribuno plebis lege lata, Mario decretum, ut in SINGULAS COLONIAS TERNOS CIVES facere poſſit:* neque enim id ad *Latinas* ſolum colonias, ſed in genere ad *ſingulas*, quæ tum erant a Mario deducendæ, ac proinde dictas etiam *Romanorum civium colonias*, referri, ſatis, ut opinor, liquet. Apud Livium vero, poſt memorata paullo ante ejus verba, de tentato a Ferentinatibus novo jure, quo Latini, qui in coloniam Romanam nomina dediſſent, cives Romani cenſerentur, illud continuo additur *(ſ) Puteolos, Salernumque, & Buxentum adſcripti COLONI, qui nomina dederant, quum ob id ſe pro civibus Romanis ferrent, ſenatus judicavit, NON eſſe EOS CIVES ROMANOS.* Eas autem colonias fuiſſe Romanorum civium, aperte docent, quæ brevi ſequuntur, ejuſdem Auctoris ea de re verba: *(t) Coloniæ civium Romanorum eo anno deductæ ſunt Puteolos, Vulturnum, Liternum, triceni homines in ſingulas: item Salernum, Buxentumque COLONIÆ CIVIUM ROMANORUM deductæ ſunt.* Dionis autem clara ſunt, ubi de J. Cæſare, poſt victum in Hiſpania Sex. Pompeium, varia bene de ſe meritis in ea gente oppidanis beneficia largiente loquitur, verba; dum aliis agros, aliis immunitatem, *(u)* πολιτείαν τε τισὶ, καὶ ἄλλοις, ἀποίκοις τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι, *aliis civi-*

(q) Cap. 20.
(r) Pro Balbo. c. 48.
(ſ) L. XXXIV. c. 42.
(t) Ibidem. c. 45.
(u) L. XVIII. p. 253.

tatem,

tatem, aliis autem, ut jus haberent coloniarum Romanarum, dedit: quæ aperte ſatis utriuſque illius juris, datæ nempe civitatis, aut vero juris Romanæ coloniæ, diverſitatem docent. Immo quibus gemina ſunt, quæ jam ante alia occaſione adduximus, Dionyſii ea de re verba, ubi de Romanis ait ſimiliter, eos e devictis urbibus, *(x) alias facere Colonias Romanorum, quibuſdam autem civitatem etiam dare,* ποιεῖν ΑΠΟΙΚΙΑΣ ΡΩΜΑΙΩΝ, ἐνίαις ϗ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ μεταδιδόναι. Eadem vero diverſitas maxime apud Plinium, ac proinde adhuc ejus ætate, obtinuiſſe legitur; a quo in deſcribendis imperii Romani provinciis, quæ in iis eſſent, civium Romanorum *Municipia*, ſeu donata civitate oppida; quæ vero *Coloniæ, Romanæ* nempe, ſeu privato, uti mox adhuc dicetur, jure Quiritium uſæ; quæ autem *Latinæ*, ſeu cum *Latii antiqui* jure oppida, accurate ab eo diſtingui ſolent ac enarrari. Sic de ulteriori agens Hiſpania, ſeu Bætica, *(y) Oppida omnia numero CLXXV. In iis coloniæ VIII: municipia VIII: Latio antiquitus donata, XXII: libertate, VI, fœdere, III: ſtipendiariæ CXX.* de citeriori vero Hiſpania: *(z) In iis colonias XII: oppida civium Romanorum XIII: Latinorum veterum XVIII.* Idem de Sardinia: *(a) Caralitani civium Romanorum, & Norinſes: Colonia autem una, quæ vocatur ad turrim Libyſiſonis.* de Sicilia autem: *(b) Oppidum Meſſana civium Romanorum, qui Mamertini vocantur; Promontorium Drepanum, coloniæ Tauromenium:* dein, *intus Latinæ conditionis, Centuripini, Netini, Segeſtani &c.* Ita, ubi Luſitaniam deſcribit: *(c) Tota populorum XLVI, in quibus coloniæ ſunt, quinque: municipium civium Romanorum, unum: Latii antiqui, tria: Stipendiaria, XXXVI. Coloniæ, Auguſta, Emerita &c.* mox: *Municipium civium Romanorum, Oliſippo, Felicitas Julia cognominatione. Oppida veteris Latii*

(x) Antiq. L. 3. p. 80.
(y) L. III. c. 2.
(z) Ibidem. c. 4.
(a) Ibidem, c. 6.
(b) Ibidem. c. 3.
(c) L. IV. c. 22.

Ebora, quod item Liberalitas Julia & Myrtiles, ac Salatia. Adde eundem de Africæ populis agentem: *(d) In his colonias VI. præter jam ſupra dictas, ultimam Tiburtin. Oppida civium Romanorum XV. &c. Oppidum Latinum, unum Uſalitanum.* Quæ ideo huc adferre non piguit, quod vel inde, ut opinor, clara omnino ſint ac liquida, quæ de diſcrimine inter oppida, quæ civitate Romana erant donata, & dicta inde Plinio *oppida* vel *municipia civium Romanorum*, ac Romanorum iiſdem in oris *colonias*; eaſque proinde cum privato ſolum Quiritium jure, de quo mox adhuc, deductas; ac denique, prout ea ibi a duobus prioribus accurate diſtinguit Plinius, *Latina*, ſeu donata *jure Latii* oppida. Ut mirari proinde haud parum ſubeat, poſtremum ac eruditum Plinii editorem, *(e)* cum ſe, quid ibi *coloniæ*, quid *municipia*, quid *donata Latio oppida*, dicturum in ſelectis ad Plinii libros notis ac emendationibus monuiſſet; *(f)* ibi tamen hæc ita enarraverit, ut *jus* illud *Latii antiquum*, datum poſtea toti Italiæ, ac inde *Italicum*, idque ad diſcrimen juris civium Romanorum, dictum cenſeat; illudque interpretetur de eo jure, quo Latinis olim eſt conceſſum, ut in bello Romanis legionibus permixti militarent; & ibi magiſtratus & honores poſſent adipiſci, non autem Romæ. Poſt datam vero Latinis & populis aliquot exteris civitatem, vocatum illud fuiſſe *jus civium Romanorum*: alterum vero longo poſt tempore univerſæ Italiæ datum, *Italicum jus* exinde dici cœptum: *municipia* vero appellata, quibus *jus* illud *Italicum*, aut vero civium Romanorum daretur; ita ut alterutro jure municipia fruerentur. Qua equidem notatione, quod illibenter utique de viro literato, & qui ſe nobis *(g)* amicum publice eſt profeſſus, hic monendum eſt, nihil potuit di-

(d) L. V. Sat. 4.
(e) Harduin. ad Plinii L. III. ſat. 3. p. 288.
(f) In Not.& Emendat. p.389. T. 1.
(g) Antirrh. p. 93.

ci,

ci, a tot Plinii, quem enarrabat, ea de re verbis magis alienum. Aliud enim longe erat, quod vel eum docere potuerat, quem paullo ante ibi memorat, Sigonius, *jus Latii*, aliud *jus Italicum*: neque prius illud toti Italiæ usquam datum, ac dein in *Italici* nomen mutatum legitur; ſed poſt datam lege Julia tum Latio, tum brevi, non autem longo poſt tempore, qua de re mox dicetur, toti Italiæ Romanam civitatem, *jus* idem *Latii* antiquum, aliis dein extra Italiam provinciis & nationibus Alpium maritimarum ſub Nerone apud Tacitum, aut tot in ulteriori & citeriori Hiſpania, juxta Plinium, ut paullo ante vidimus, & quæ plura etiam alibi tangit, oppidis; aut vero, eodem adhuc (*h*) teſte, univerſæ Hiſpaniæ a Veſpaſiano; vel *multis* dein *civitatibus* ab Hadriano, juxta (*i*) Spartianum, eſt conceſſum. *Jus* vero *Italicum* ab eodem *Latii jure* diverſum, ac in tributi potiſſimum cum ſoli, tum capitis immunitate, quod aliunde conſtat, & de quo in ſequenti Exercitatione opportunior erit dicendi locus, erat poſitum; quodque nonnullis extra Italiam oppidis aut coloniis, uti vel e (*k*) Plinio rurſus, aut (*l*) Ulpiano & (*m*) Paulo Dig. de Cenſibus liquet, & agnovit (*n*) alibi vir eruditiſſimus, ab Imperatoribus, ſingularis beneficii loco, eſt impertitum. Veterum vero *municipum*, etſi duo itidem genera agnoſcat, qui paullo ante a viro docto memoratur, (*o*) Sigonius: unum nempe illorum, idque poſt (*p*) Feſti ea de re verba, quibus jus tantum erat legionis: alterum vero eorum, qui præter legionem, omnia jura civium Romanorum, ac inter ea jus ſuffragii ſunt conſecuti: neutiquam inde firmatur viri e-

(*h*) L. III. c. 3. in fine.
(*i*) In Hadriano. c. 21.
(*k*) L. III. c. 3.
(*l*) Leg. I. D. de Cenſib.
(*m*) Leg. VIII. Sect. 7. eodem.
(*n*) Antirrh. p. 135.
(*o*) De Antiq. Jur. Ital. L. II. c. 7,
(*p*) In *Municipes*.

rudicissimi ad Plinium adnotatio. Neque enim duplex, sed unum *municipiorum* genus a Plinio traditur: eorum nempe, quæ gaudebant jure Romanæ civitatis, seu quæ ab eo vocantur, *oppida civium Romanorum*: a quibus autem perpetuo distinguuntur apud eundem oppida, quæ *Latio* seu *jure veteris Latii* fruebantur, quæque inde ab eo (q) *Latinorum*, aut (r) *Latinorum veterum*, aut (s) *Latinæ conditionis oppida*, aut *Latii veteris oppidani* apellantur; seu qui non in legione solum militare, aut in ea honores adipisci poterant, sed quibus per gestos, ut diximus, in patria magistratus dabatur ad Romanam civitatem aditus. Eam utique diversam *Municipiorum, Coloniarum*, & *Latinorum*, seu cum *jure Latii* antiquo, oppidorum conditionem, præter illa, quæ aliunde ea de re sunt nota, ita aperte ac frequenter distinguit, uti videmus, Plinius: ut ejus certe ævo alterutro illo jure, *Latii*, nempe, seu juxta virum eruditum *Italici*, & altero *civium Romanorum*, usa esse *municipia* neutiquam liceat statuere: aut eadem inter se, & quidem in interpretando eodem Plinio, permiscere & confundere. Neque vero res ei cessit felicius, dum (t) alibi hæc rursus ita enarrat vir cæteroquin præstanti ingenio, ut e Romanorum coloniis, alias dicat exstitisse *civium Romanorum*; quibus jus illud fuerit, ut earum civibus, perinde ac Romanis ipsis, in Urbe petere ac gerere magistratus licuerit: alias vero cum *jure antiquo Latii*, quod & *Italicum* postea dictum sit, ubi illud toti Italiæ est impertitum: aut a tributis immunitas Italiæ ab Augusto data: quibus vero postremis tantum licuerit, in bello cum Romanis legionibus militare, ibique, non vero in Urbe, honoribus fungi & magistratibus. Neque enim, quod jam vidimus, *coloniarum*, quocunque nomine illæ dicerentur, extra Italiam, seu post

(q) L. III. Sect. 3.
(r) Ibid. Sect. 4.
(s) Ibid. Sect. 14.
(t) Antirrhet. p. 135.

civi-

civitatem toti Italiæ datam, sed *municipiorum* demum jus illud fuit, petere & adipisci in Urbe magistratus; nec id *jus Latii*, quo fruebantur alterius generis coloniæ vel oppida, idem erat, ut modo diximus, cum *jure Italico*; aut vero illud post donatam, libera adhuc Republica, civitate Italiam, in *Italici* appellationem usquam transiit: quod vel adducta e Plinio oppidorum cum illo Latii jure exempla, ut nunc de aliis adhuc Auctoribus sileam, abunde redarguunt. Neque enim firmiore stant talo, quod *(u)* se in nummis Cæsareanorum temporum inter colonias Romanorum civium, & eas quæ erant *Latinæ conditionis*, seu, ut hæc rursus male de iisdem interpretatur, quæ solum *juris* essent *Italici*, discrimen credit reperisse vir doctus. Sed qua de re agetur in sequenti Exercitatione opportunius, ubi de communicata sub Cæsaribus civitate; aut de coloniis aliisve urbibus, quæ concesso ab illis Romanis Principibus *juris Italici* beneficio fruebantur, dicendi erit locus.

Ex hisce autem, quæ paullo ante adnotavi, abunde, ut opinor, liquet, id quod hic expendendum incumbebat; Coloniis nempe Romanorum civium, ante datam toti Italiæ civitatem, nuspiam in Italia jus suffragii, vel petendorum in Urbe honorum, quod vere existimaverat Sigonius, patuisse: neque post donatam civitate Italiam, in provinciis, quibus nec dum impertitum fuerat illud beneficium, idem jus Romanas colonias habuisse. Nec ideo etiam, quod jus Quiritium, privatum nempe eædem retinuerint, inde publicum illud jus suffragii & capiendorum Romæ magistratuum, eas secum, in quæ deducebantur oppida, adportasse, statuendum est. Neque vero quod existimat *(x)* vir eruditissimus, qui Rei Agrariæ Scriptores postremus edidit ac illustravit, coloniis Romanorum ci-

(u) Ibid. p. 136.

(x) Wilh. Goesius Antiq. Agrar. p. 12. 13.

vium

vium jus illud suffragiorum contulisse Augustus a Suetonio dicitur. Præterquam enim, quod ita omnibus deductis magno numero, & a primis liberæ Urbis temporibus ante Augustum, Romanis id genus coloniis, idem jus suffragii non fuisset datum vel relictum; præter id, inquam, pridem ante Augustum, toti Italiæ & Galliæ etiam Cisalpinæ, uti ea de re mox dicetur, ac proinde omnibus etiam inter eos populos coloniis, iisque tam Romanorum civium, quam Latinis, hoc jus lege Julia erat jam impertitum. Unde neque id inferunt, quod existimat vir eximius, Suetonii, ad quem ille ibi respicit, in Augusto verba: *(y) Ad hunc modum urbe urbanisque rebus administratis, Italiam duo & triginta COLONIARUM numero deductarum, sub se frequentavit, operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit, etiam jure ac dignatione Urbi quodam modo parte aliqua adæquavit: excogitato genere SUFFRAGIORUM, quæ de MAGISTRATIBUS URBICIS decuriones colonici, in sua quæque COLONIA ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent.* Quibus nempe verbis, non universam tum Italiam, ac proinde in ea quoque colonias, jus suffragiorum, quæ illud jam ante Augustum habuerant, adeptas primum dici a Suetonio, idque longe esse ab ejus mente, monuerat pridem ad eum locum ὁ πάνυ Casaubonus, & de quo etiam aliunde potuerat constare viro eruditissimo; sed ad excogitatum ab Augusto modum ibi demum respici, quo propter rei difficultatem & molestiam veniendi Romam singulis comitiis, inutile ferme populis Italicis jus, ea ratione planum & expeditum redderetur. Mitto, quod nec tam de Italicis in genere populis, etsi id censeat Casaubonus, quam de deductis illis novis, ab Augusto in Italia coloniis, quæ proinde eodem, quo reliquæ in Italia coloniæ pridem gaudebant, suffragii jure donari quoque debuerant, loqua-

(y) In Augusto c. 46.

tur

tur ibidem Suetonius. Id enim manifeſte ſatis innuunt, qui memorantur ibidem, *decuriones colonici*, qui obſignata, quod additur, *in ſua quaque colonia* ſuffragia, Romam ſub diem comitiorum continuo mitterent. Neque vero quæ hactenus ea de re dicta ſunt, ex iis continuo infirmantur, quibus adverſam Manutii, vel aliorum ſententiam niti poſſe paullo ante diximus. Etſi enim a Cicerone, vel a Livio, dictæ ſint *Romanæ* aut *Romanorum civium coloniæ*: aut ſubinde deducti pridem id genus coloni, *cives Romani*, & *veteres* etiam *cives*, uti ſupra ex eodem Livio vidimus, legantur appellati: id inde factum, quod revera cives tum forent, qui in colonias illas ultro nomina dederant; ac præterea iidem privata Quiritium jura, in eas colonias profecti, retinerent: atque ita ad diſcrimen *Latinarum coloniarum*, quæ ſive e Romanis, ſive e peregrinis colonis conſtarent, cum jure demum Latii, non vero cum illo Quiritium jure deducebantur. Quomodo etiam diſpar erat utrorumque conditio; dum non amittebatur plane a prioribus illis colonis, ſicut a poſterioribus, etſi iidem a civium forent numero, civitas: ac unde memoratis (z) duobus apud Ciceronem locis, de Latinis tantum, non de alterius generis ſeu Romanorum civium colonis quæritur, quomodo illi amiſiſſe civitatem, voluntate nempe, vel dum multam nolunt perſolvere, cenſeri debeant. Quod ergo priores coloni, omnia privata retinerent Quiritium jura, ſicut, quod jam ante diximus, libertatis, connubiorum, patrium, legitimi dominii, hereditatis, teſtamenti, uſucapionis, nexus; non optimo quidem civis, ut vere monuit Sigonius, quo ii, quibus patebat jus ſuffragii, ac ad honores in Urbe aditus, jure fruebantur; ſed Romanæ tamen civitatis partem haud contemnendam, & quo jure ſoli gaudebant cives Romani, retinuerunt; ut omnino civitatem amiſiſſe, qui in Romanas co-

(z) Pro Cæcina c. 98. pro Domo. c. 78.

lonias

lonias nomina dederant, dici non possent. Haud minus certe, ac dicti in Urbe proletarii vel capite censi; qui quod eadem Quiritium jura haberent, non vero jus illud suffragii & honorum adipiscendorum, cives tamen Romani, parsque Romanæ plebis censebantur; etsi in sextam demum seu postremam eorundem civium classem conjecti. Ita jus nexorum atque hæreditatum, proprium fuisse coloniarum, docet alicubi *(a)* Cicero, & inde etiam jus Quiritium dare, idem esse, quod civitatem Romanam largiri, dixit Ulpianus. *(b) Beneficio principali Latinus civitatem Romanam accipit, si ab Imperatore jus Quiritium impetravit*; ac jam ante de Cornelio Balbo minore, qui Romæ triumphaverat, Plinius: *(c) Uni huic omnium externo curru & Quiritium jure donato: quippe Gadibus genito civitas Romana, cum Balbo majore patruo data est.* Quum alioquin non pro eodem continuo habendum *jus* illud *Quiritium*, aut *Romanæ civitatis*, quatenus nempe plenum seu publicum haud minus ac privatum jus civitatis intelligitur, aperte doceat in Epistola ad Trajanum alter Plinius: *(d) Ago gratias, Domine, quod & JUS QUIRITIUM libertis necessariæ mihi feminæ, & CIVITATEM ROMANAM Harpocrati, iatraliptæ meo, sine mora indulsisti.* alibi: *(e) Quare rogo des ei CIVITATEM ROMANAM: est enim peregrinæ conditionis, manumissus a peregrina.* mox: *Item rogo des JUS QUIRITIUM libertis Antoniæ Maximillæ:* Ubi autem hoc *jus Quiritium* male a viris eruditis, quibus accessit in *(f)* animadversionibus ad Tacitum eruditissimus Theod. Ryckius. vel idem cum *jure Latii*, quod refelli pluribus haud indiget; vel ab aliis *(g)* magnæ cæteroquin doctrinæ, accuratique judicii, idem omnino quod

(a) Pro Cæcina. c. 102.
(b) Fragm. Tit. III. Sect. 2.
(c) L. V. c. 5.
(d) L. X. Epist. 32.
(e) Ibid. Epist. 4.
(f) Anim. ad Hist. 1. c. 78. p. 336.
(g) I. F. Gronovius.

ipsum

ipſum jus civitatis ſtatuitur: quod tamen latius, ut modo vidimus, patuit, & aliquod eſſe inter utrumque diſcrimen, ipſa Plinii duobus illis locis verba, ſatis ſuperque arguunt. Illud vero, quod e Livio ſupra diximus, delati Romam duodecim coloniarum, qui nempe e civibus ſolum Romanis agi conſueverat, cenſus, ut prorſus inſolitum, ſeu (*h*) *quod nunquam antea factum fuerat*, ibi ab eodem Livio dicitur. Quum alioquin proprium & peculiarem fuiſſe coloniarum cenſum, & in ipſis coloniis, ab earum colonicis cenſoribus actum; quique in publicas Urbanorum cenſorum tabulas non referretur, ex adductis & ſequentibus Livii verbis haud male colligit doctiſſimus (*i*) Sigonius. Quum tamen non eorum ſolum, qui in Urbe, cum luſtrum conderetur, cenſoribus præſto erant, civium, ſed abſentium quoque cenſus ſubinde ſit actus: quod e Livio rurſus & P. Scipionis oratione apud (*k*) Gellium monuit jam idem Sigonius; & quam in rem certe a Livio dictum: (*l*) *Per provincias dimiſerunt cenſores, ut civium Romanorum in exercitibus quantus ubique eſſet, referretur numerus.* Adde, quod Græcorum, quem ſupra adtigimus, more, communia quoque remanſerint inter deductas illas ex Urbe Romanorum civium colonias, & ipſam earum *antiquam patriam*, ſicut dici eandem vidimus, civitatis jura. Quæ vero apud Ciceronem, aut Hirtium, alioſve illius ætatis Scriptores, frequens occurrit conjuncta *municipiorum* & *coloniarum*, cum jure ſuffragii, mentio; ad illa demum tempora reſpicit, quibus jam ante toti Italiæ, ac Ciſpadanæ itidem Galliæ, ut ea de re mox dicetur, ac proinde coloniis etiam eorundem locorum, civitas cum pleno jure ſuffragii erat data.

(*h*) L. XXIX. c. 37.
(*i*) De Ant. Jur. Ital. L. IV. c. 8.
(*k*) L. V. c. 19.
(*l*) L. XXIX. c. 37.

CAPUT. XI.

De civitate Latio, *ac dein universæ* Italiæ *data: Ciceronis ea de re loca adducta. De* lege Julia, *non a Cæsare dictatore, juxta Anton. Augustinum, sed a priore C. Julio Cæsare lata. De* lege Plotia, *e Cicerone.*

EQuidem latius paullatim diffusum est illud Romanæ civitatis beneficium: dum non pluribus solum vel Latii, vel Italiæ oppidis, seu municipiis inde appellatis; aut iis, qui Latinitate, seu Latii, de quo paullo ante, jure, post gestos in patria magistratus, civitatem erant adepti; sed etiam, juxta *(a)* legem a Romanis latam, ut e sociis ac Latinis, qui stirpem ex se domi reliquerant, cives Romani fierent: aut juxta *(b)* alteram legem, quam tulit tribunus plebis, Servilius Glaucias, ut Latinis jus esset civitatis adsequendæ, in illius civis seu senatoris locum, qui accusatus ab iis repetundarum, a Romanis fuisset damnatus. Quomodo nempe, ut ait eam in rem Cicero: *(c) hanc Latinis, id est fœderatis, viam ad civitatem populi jussu patere passi sunt* Romani: donec postea primum universo *Latio*, mox *Italiæ* reliquæ, juxta tum præscriptos eidem Italiæ fines, est illud impertitum. Quum enim per Latium & Italiam socii, nec dum juris illius compotes, jus civitatis, quam viribus auxerant, & cujus imperium armis tue-

(a) Liv. L. XLI. c. 8.
(b) Cicero pro Balbo c. 14.
(c) Ibidem.

ban-

bantur, ut loquuntur ea de re *(d)* Romani Scriptores, justissime peterent; inque eam spem essent modo a Fulvio Flacco; modo a C. Graccho, modo a Livio Druso, totidem tribunis plebis, promulgatis etiam ea de re, sed quæ non tenuerunt, legibus, subinde erecti; ob denegatum vero illud a Senatu beneficium, natum inde esset gravissimum inter Romanos eorumque socios, seu Latinos ac Italos, bellum, ita demum illud sopitum est, ut primum ac durante adhuc bello Italico, lege Julia, seu quæ a L. Julio Cæsare Consule cum P. Rutilio Lupo, est lata, anno U. C. DCLXIII. *(e)* sociis, qui in fide manserant, civitas sit data. Cujus rei meminit præter alios Tullius pro Balbo *(f) Ipsa denique Julia, qua lege civitas est sociis & Latinis data*: ac prout alibi rursus ab eodem, de quodam L. Manlio Catinensi, inter municipes Neapolitanos relato, dicitur: *(g) erat enim adscriptus in id* municipium ANTE CIVITATEM sociis & Latinis datam: ubi nempe per *socios*, obvio apud Ciceronem, Livium, aliosque ea ætate Scriptores, illius vocis usu, ad aliquos Italiæ populos tantum respici, satis liquet. Ut proinde neutiquam opus fuerit, ea viri doctissimi Antonii Augustini ad superiora Tullii verba, ubi de *(h)* Legibus Romanis agit, notatione: nempe quod de *sociis* ait ibi Cicero, non esse ad omnes populi Romani socios referendum: id enim Antonini constitutione (cui utique locus hic non erat, & quæ latius adhuc, quam ad *socios* populi Romani, uti de ea postea dicetur, se diffudit) effectum esse. Ut mirari præterea subeat, quod idem, omnis cæteroquin Romanæ antiquitatis & publici privatique Quiritium juris peritissimus, hanc legem Juliam a Cæsare

(d) Velleius L. I. c. 15. Florus L.II. c.9. Appian. Bell.Civ. L. p. 511.
(e) Appian. Ibid. p. 379.
(f) Cap: 21.
(g) L. XIII. Epist. 30.
(h) Thes. Ant. Rom. T. I. p. 120.

Dictatore latam putet: quum tamen ante eam Dictaturam, adducta modo de hac lege Julia Ciceronis verba, cujusque *(i)* alibi adhuc, etsi præterito ibi *Juliæ* nomine, superstite adhuc Cæsare neque ut tum primum latæ meminit, abunde id refellant: immo quam legem, durante bello sociali seu Italico, ac triginta circiter annis ante primum Cæsaris consulatum, ut vel ex *(k)* Appiano constat, is, quem dixi, C. Julius Cæsar, P. Rutilii in consulatu collega, non vero prioris anni consul, Sextus Julius Cæsar, (ut male rursus ad superiora Ciceronis pro Balbo verba in nupera Parisiensi editione adnotatur) tulerat.

Verum mox confecto tandem, & in quo præcipua eluxerat, Pompeii Strabonis consulis opera, bello Italico, civitas, amplificato nempe ejusdem legis Juliæ beneficio, universis *Italis* est itidem data: seu id ante exitum consulatus ejusdem Pompeii, ac proinde anno adhuc sequenti DLXIV. contigerit, ut id e *(l)* Velleio liceret colligere; seu proximo demum anno, L. Sulla & altero Q. Pompeio consulibus, quo *(m)* debellatus sit ac cæsus postremus Italicorum dux Pompadius Silo; non vero juxta *(n)* Livii Epitomen, sub sequenti Cinnæ consulatu; & in quam civitatem mox etiam accepti, qui postremi arma abjecerant, *(o)* Lucani & Samnites. Immo quomodo civitatis lege Julia sociis ac Latinis datæ beneficium, adauctum jam fuerat lege *Plotia* vel *Plautia*, quam tulit cum C. Carbone M. Plautius Silvanus tribunus plebis, ut de eo tradit Asconius, consule, de quo modo actum, Cn. Pompeio Strabone: cujusque legis exstant etiamnum apud Ciceronem, qui illam retulit, verba. *(p) Data est civitas Silvani lege & Carbonis, QUI*

(i) L. XIII. Epist. 30.
(k) Bell. Civil. L. I. p. 379.
(l) L. II. c. 17.
(m) Appian. p. 382.
(n) L. LXXX.
(o) Appianus p. 382.
(p) Pro Archia c. 7.

FOEDE-

FOEDERATIS CIVITATIBUS ADSCRIPTI FUISSENT: SI TUM, CUM LEX FEREBATUR, IN ITALIA DOMICILIUM HABUISSENT: ET SI SEXAGINTA DIEBUS APUD PRAETOREM ESSENT PROFESSI. Inde enim præter Italos, *peregrinos* quoque, qui vel in fœderatis Italiæ civitatibus, vel in reliqua Italia domicilium tempore latæ illius legis Plotiæ, habuerant, ac intra ſexageſimum diem apud Prætorem eſſent profeſſi, eodem civitatis, juxta legem Juliam, Italis tum conceſſæ jure donatos liquet. Omnibus vero hiſce, non Latinis ſolum, ſed Italis datam cum jure ſuffragii civitatem, vel ex *(q)* Appiano, ac *(r)* Livii Epitome conſtat. in qua poſtrema ad annum U. C. DCLXVI dicitur: *Italicis populis a Senatu civitas data eſt*, iis nempe, qui ſoli hactenus inter Italos nondum arma depoſuerant, Lucanis ac Samnitibus: *(ſ)* alibi ad annum U. C. DCLXX *novis civibus ſenatusconſulto ſuffragium datum eſt:* ac dein ad ſequentem annum *(t) Sulla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis velut erepturus civitatem & ſuffragii jus nuper datum* &c. Unde etiam factum, ut illos, quos *(u)* Appianus vocat, νεοπολίτας ſeu *novos cives*, prius in *(x)* octo novas, ut quæ poſtremæ, ac inde irrito ut plurimum juris illius beneficio, ſuffragium ferrent, tribus Romanas conjectos; in veteres dein XXX tribus, lege ea de re promulgata, diſtribuere tentarit *(y)* P. Sulpitius tribunus plebis; ac dein, & id agente prius C. Mario, *(z)* Cinna Conſul: quodque, etſi repugnantibus acerrime antiquis civibus, ne novi cives ſibi ſuffragiorum numero æquarentur, tandem obtinuit. Accedit, quod ut veri cives, iidem ſint in Urbe

(q) Bell. Civ. L. I. p. 379.
(r) L. LXXX.
(ſ) Epit. L. CXXXIV.
(t) Epit. L. LXXXVI.
(u) Bell. Civ. L. I. p. 379.
(x) Velleius L. II. c. 20.
(y) Epit. Liv. L. LXXVII. Appian. p. 383.
(z) Velleius L. II. c. 20. Appian. p. 389.

dein-

deinceps censi; ac inde lustro paucis post annis a censoribus condito, L. Gellio & Cn. Cornelio Lentulo, censa tum sint, multiplicato inde haud parum eorum numero, (*a*) *civium capita quadringenta quinquaginta millia:* haud aliter ac post Lanuvinos, Aricinos, aliosque Latinos populos, in civitatem, ut supra retulimus, acceptos, de iis paullo post refert *Livius: (b) novique cives censi, tribus propter eos additæ Mutia & Scaptia.*

CAPUT XII.

An inde civitas *continuo data* Galliæ Cisalpinæ? *De eadem data* Galliæ Cispadanæ, *&* *de ejus* Coloniis *ac* Municipiis. *Strabonis, Dionis Cassii, Ciceronis, Hirtii, Siculi Flacci loca adducta.*

IMmo nec Italis solum, qui tum Arimino & Ancona seu Rubicone a supero mari; Luca, ab inferiori, ac proinde angustis adhuc limitibus terminabantur, sed *Gallis Cisalpinis* ac *Venetis* datam quoque civitatem, post eam Italis indultam, tradit Strabo. Cujus autem ea de re verba, quod restricte aliquantum debeant accipi, merentur hic adscribi: (*a*) Ὀψὲ δέ ποτε ἀφ' οὗ μετέδοσαν Ῥωμαῖοι τοῖς Ἰταλιώταις τὴν ἰσοπολιτείαν, ἔδοξε καὶ ΤΟΙΣ ΕΝΤΟΣ ΑΛΠΕΩΝ ΓΑΛΑΤΑΙΣ, καὶ ΕΝΕΤΟΙΣ, τὴν αὐτὴν ἀπονεῖμαι τιμὴν, προσαγορεῦσαι δὲ καὶ Ἰταλιώτας πάντας, καὶ Ῥωμαίους, ἀποικίας τε πολλὰς στεῖλαι, τὰς μὲν πρότερον, τὰς δὲ ὕστερον, ὧν οὐ ῥᾴδιον εἰπεῖν ἀμείνους ἑτέρας. *Tandem*

(*a*) Epit. Liv. L. XCVIII.
(*b*) L. VIII. c. 17.

(*a*) L. V. p. 210.

etiam

etiam cum Romani Italos in æquum secum jus civitatis accepissent, placuit eodem honore dignari GALLOS CISALPINOS ac VENETOS, omnibusque Italorum & Romanorum nomen tribuere, ac diversis temporibus colonias condere, quibus præstantiores alias haud facile dixeris. In quibus gravissimi Scriptoris verbis, illud primo licet advertere; quod non eodem tempore, ac ab eodem Pompeio Strabone, a quo civitas Italis erat data, ea quoque tum *Galliæ Cisalpinæ* ac *Venetis* dicatur impertita, sed tantum in genere, post communicatam tandem cum Italis civitatem, eam Cisalpinis Gallis ac Venetis a Romanis quoque tributam. Neque vero eo honore gavisos promiscue Gallos Cisalpinos, post receptos in civitatem Italos, inde licet statuere: quod quum ii Galli Cisalpini in Gallos Cispadanos ac Transpadanos, quos nempe, uti ea de re idem Strabo, medios secat Padus, forent divisi; Transpadanis jus tantum Latii concessisse dicatur ab *(b)* Asconio Pompeius Strabo, iique demum a Jul. Cæsare Dictatore in civitatem, quam frustra unus e duobus censoribus antea voluerat iis impertiri, sint recepti. Utrumque docet duobus locis Dio: *(c)* priori, sub coss. L. Aurelio Cotta & L. Manlio Torquato, ac proinde anno Urbis conditæ, DCXXXIX, censores, Catulum nempe, ut e *(d)* Plutarcho constat, & M. Crassum, de Transpadanis tradit dissensisse; quibus dum alter civitatem dari vellet, alter vero negaret, nihil ea de re sit perlatum. Idem vero Dio in rebus J. Cæsaris: *(e)* Καὶ τοῖς ΓΑΛΑΤΑΙΣ ΕΝΤΟΣ ΤΩΝ ΑΛΠΕΩΝ ὑπὲρ τὸν Ηριδανὸν οἰκοῦσι τὴν πολιτείαν, ἅτε καὶ ἄρξας αὐτῶν, ἀπέδωκε. *Gallis, qui cis ALPES trans Padum incolunt, quod suo sub imperio fuissent, civitatem dedit.* Undo ad ea J. Cæsaris tempora, seu ad annum U.C. DCCVII, Cisalpina illa, quæ trans Padum Gallia, ac proinde Insubres in ea, Cenomani,

(*b*) In Pisonian.
(*c*) L. XXXVII. p. 33.
(*d*) In M. Crasso p. 551.
(*e*) L. XLI. p. 118.

Oro-

Orobii, Lebii, aliique populi Romanæ civitatis, exceptis municipiis, aut coloniis eo jure tum donatis, expertes adhuc extitêre. Neque vero Ligures ab eodem Pompeio Strabone, in civitatem tum acceptos, evincit Diodori, ad quem respicit *(f)* Sigonius, ac unde id contendit, locus; aut condita in eo tractu Alba Pompeia. Hæc enim sunt Diodori de Liguribus verba, ubi de eorum ferino & agresti victu, ac inde de eorum armatura a Romana aliquantum diversa egisset, addit *(g)* Τινὲς δὲ αὐτῶν διὰ ΤΗΝ ΕΠΙΜΙΞΙΑΝ ΤΗΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ μετεσχημάτισαν τὸν ὁπλισμὸν, ἐξομοιοῦντες ἑαυτοὺς τοῖς ἡγουμένοις. *nonnulli tamen per IMMIXTIONEM ROMANÆ CVITATIS, priscam armorum formam immutarunt, dominorum imitantes armaturam.* Ut mittam enim, quod sub Augusto hanc historiam concinnavit, ut notum, & ad quæ tempora, atque ita pluribus post Pompeium Strabonem annis, respicere potuit Diodorus; nihil aliud inferunt eadem verba, nisi ex admixtis inter Ligures municipiis aut coloniis Romanorum, cujusmodi Albam Pompeiam, Astam, Dertonam, e Strabone, Plinio, aliisve priscis Auctoribus constat exstitisse, eos priscam armorum formam immutasse: non vero Ligures universos, quorum plura, eaque tam maritima, quam mediterranea, ut ex iisdem aliisve priscis Geographis liquet, erant oppida, civitate ab illo Pompeio Strabone, juxta Italiam, donatos. Immo quod vel aperte refelli inde videtur, quod nec sub Nerone quidem, eo Romanæ civitatis jure gauderent promiscue iidem Ligures; de quo Principe ait verbis supra jam adductis Tacitus: quod *(h) is nationes Alpium maritimarum,* quibus accensentur Ligures ab antiquis Geographis, *in jus Latii,* quod erat infra jus civitatis Romanæ, transtulit.

(f) De Ant. Jur. Ital. L. III. c. 2.

(g) L. V. p. 315.

(h) Annal. XV. c. 31.

Cispa-

Cispadanam vero *Galliam*, utpote Romanis propiorem, ac Italis tum ita dictis conterminam, Romana civitate, post eandem toti Italiæ impertitam, cum jure quoque suffragii mox itidem donatam, vel inde licet colligere; quod de *Transpadana*, tanquam illius beneficii, sub censoribus Q. Catulo & M. Crasso, h. e. annis circiter, a bello Italico seu sociali, viginti quatuor, nec dum compote dici, paullo ante vidimus. An vero id lege Pompeia, quam tulerit nempe confecto illo bello Italico Pompeius Strabo, ut existimat *(i)* Sigonius, sit factum, haud licet hodie statuere. Neque enim, quo ejus rei auctore nititur, id continuo inferunt Plinii verba, quibus Cottianæ civitates XII. dicuntur *(k) attributæ municipiis lege Pompeia:* quum ea illarum Cottianarum civitatum accessio, non ad *Cispadanæ*, sed ad *Transpadanæ* demum Galliæ municipia posset adtinere: nec de data Romana civitate, & quidem toti genti, fuerit ibi sermo: nec ulla occurrat in priscis Romanorum monumentis legis illius Pompeiæ, quam tulerit de civitate Cispadanis data Magni parens; sicut alioquin fit alterius legis mentio, qua, teste *(l)* Asconio, *Latinitas* est Transpadanis impertita. Verum, & quod hic adtendi merebatur, nec adeo ad universæ *Galliæ Cispadanæ* oppida, quam ad ejus, uti Transpadanæ etiam, non municipia solum & colonias, quibus nempe id fuisset concessum, jus illud suffragii restringere videntur ipsa Ciceronis & Hirtii ea de re verba. Ita Hirtius, seu quisquis auctor postremi libri de Bello Gallico *(m) Cæsar in Italiam (*Galliam nempe, uti de ea mox, Togatam, quæ jam subinde Italiæ appellatione censebatur) *maximis itineribus est profectus, ut MUNICIPIA & COLONIAS appellaret, quibus M. Antonii Quæ-*

(i) De Ant. Jur. Ital. L. III. c. 2.
(k) L. III. c. 20.
(l) In Pisonian.
(m) L. VIII. c. 49.

ſtoris ſui commendaret ſacerdotii petitionem. mox: (*n*) *Hunc* (Antonium) *etſi augurem prius factum, quam Italiam adtingeret, in itinere audierat, tamen non minus juſtam ſibi cauſſam MUNICIPIA & COLONIAS adeundi exiſtimavit, ut iis gratias ageret, quod frequentiam atque officium ſuum Antonio præſtitiſſent: ſimulque ſe & honorem ſuum in ſequentis anni commendaret petitione.* Erant enim in illa, de qua ibi agitur, *Togata*, ſeu quæ, ut aliunde notum, e *Ciſpadana* & *Tranſpadana* conſtabat *Ciſalpina Gallia*, plura præter municipia & colonias, oppida; ad quæ tamen nullus ſit ibi, ad prenſanda nempe eorum ſuffragia, reſpectus. Accedit, ac unde, de qua Italiæ parte ſeu Gallia ſit ibi ſermo, magis conſtet, quæ mox ſubdit idem Auctor: (*o*) *Quum omnes regiones Galliæ Togatæ* (quæ eadem, ut diximus, cum *Ciſalpina*) *Cæſar percucurriſſet ſumma celeritate, ad exercitum Nemeticennam rediit:* dein, *T. Labienum Galliæ Togatæ præfecit, quo majore commendatione conciliaretur ad conſulatus petitionem.* Cicero autem, de M. Antonio tum conſulatum ambiente: (*p*) *Is per MUNICIPIA COLONIASQUE GALLIÆ, a quo nos tum, cum conſulatus petebatur, non rogabatur, petere conſulatum ſolebamus:* ac unde ipſe de ſua conſulatus petitione ait alibi ad Atticum, (*q*) *quoniam videtur in ſuffragiis multum poſſe Gallia*, h.e. *Ciſpadana*, ut ibi viderunt jam eruditi (quum Tranſpadana jus illud, quum ambiret conſulatum Cicero, nec dum foret adepta) quæ nempe municipiis & præterea coloniis Romanorum, quibus id jus ſuffragii erat jam ante indultum, abundabat. Cujuſmodi certe in Ciſpadana Gallia municipia vel colonias, Bononiam ſeu Felſinam, Brixillum, Lucam, Mutinam, Parmam, Placentiam, adde & Ravennam, aliaſque, non e Plinio ſolum, ant Feſto, ſed ex antiquioribus Scriptoribus, Cicerone, Livio, Strabone, aliiſque con-

(*n*) Ibidem c. 50.
(*o*) Ibidem c. 52.
(*p*) Philipp. II. c. 76.
(*q*) L. I. Epiſt. 1.

ſtat,

ſtat, exſtitiſſe: & quibus coloniis, quod adducta modo teſtimonia planiſſime arguunt, haud minus ac municipiis, jus ferendi in urbe ſuffragii iis temporibus jam fuerit impertitum. Etſi de quodam P. Cæſio, equite Romano, qui Ravennæ ageret, eoque fœderato ex populo (hiſce nempe Ciſpadanis) dicat pro (r) Balbo Tullius: quod eum Pompeius Strabo, qui res Italiæ maximas geſſit, civitate donaverit. Quod proinde, ac ſimul id quod de duabus Camertium cohortibus, quibus is civitatem ſit quoque largitus, ibidem additur, durante adhuc bello Italico, ac ante civitatem, eo confecto, toti Italiæ, aut mox Galliæ Ciſpadanæ datam, factum, debet omnino intelligi. Ita ſublata dein omni in eadem Gallia Ciſpadana, ſicut in Italia reliqua, coloniarum Latinarum & Romanorum civium, quod obtinuiſſe paullo ante e Cicerone ac Livio vidimus, diſcrimine, cujuſque nulla deinceps iis in oris, ſicut alioquin in Tranſpadana aut Comata etiam Gallia, ac, uti de ea jam ante, Hiſpania, occurrit apud antiquos Scriptores mentio; priores ſeu Latinæ coloniæ, pro jure Latii; coloniæ autem civium Romanorum, præter privata, quæ hactenus habuerant, Quiritium jura, optimum jus civitatis, quod in ferendo ſuffragio ac petendo magiſtratu erat ſitum, haud minus ac municipia, quæ illo jam gaudebant, ſint conſequuta. Qua ratione etiam factum videtur, ut eædem urbes *Galliæ* hujus *Ciſpadanæ*, ſicut ſubinde aliæ etiam coloniæ, modo *coloniæ*, modo *municipia* ſint appellatæ: prout id Bononiæ ac Placentiæ contigit, quæ, quum *coloniæ* paſſim a (ſ) Livio, (t) Velleio, (u) Tacito, aliiſque dicantur, *municipiis* tamen a (x) Feſto adnumerantur; immo (y) *Placentini* etiam *municipes* vocantur a Cicerone, quod proinde non

(r) Cap. 30.
(ſ) L. XXI. c. 25.
(t) L. I. c. 14. 15.
(u) Annal. XII. c. 58.
(x) In *Municipium.*
(y) In Piſon. c. 53.

debuit Asconio ibi negotium facessere, apud quem legas: *Magnopere me hæsitare confiteor, quid sit, quare Cicero PLACENTIAM MUNICIPIUM dicat: video enim in Annalibus eorum, qui Punicum bellum scripserunt, tradi Placentiam coloniam deductam prid. Cal. Junii primo anno ejus belli.* Unde etiam apud Festum, ubi is municipia distinguit, & potiora aliquot ex iis, quæ optimo nempe jure gauderent, tangit, ex eo genere hominum constare eadem dicit, (z) *qui ad civitatem Romanam ita venerunt, ut MUNICIPIA essent suæ cujusque civitatis & COLONIÆ, ut Tiburtes, Prænestini,* &c. Quamobrem ubi de ferenda a populo Quiritium, seu qui in urbe jus habebant suffragii, de reditu suo sententia, idque auctore P. Lentulo consule, actum, ipse in urbem redux ait ad Quirites Cicero: (a) *Salutem vobis, MUNICIPIIS, COLONISQUE omnibus commendavit*: ac paullo ante, facta prius aliorum præstantissimorum civium, qui olim ab exilio in urbem fuerant revocati, mentione: *Nullus in eorum reditu motus MUNICIPIORUM & COLONIARUM factus est: at me in patriam ter suis decretis ITALIA CUNCTA revocavit.* Qua in re nempe, etsi civitas toti tum *Italiæ*, aut *Cispadanæ* etiam *Galliæ*, dicta supra lege Julia, iisve quæ eas continuo sunt subsequutæ, cum jure suffragii foret jam data; potiorem tamen *Municipiorum* & *Coloniarum* præ reliquis earum gentium oppidis, seu præfecturis, rationem in ferendis suffragiis habitam, e modo dictis licet opinari. Nempe seu quod jam ab antiquo cives Romani ii forent municipes; aut coloniæ e civitate Romana, ut de hisce loquitur (b) Gellius, propagatæ: seu quod ad ferenda in urbe suffragia, maxime in municipum suorum aut patronorum gratiam, ac ubi de salute eorum ac honore agebatur; aut etiam eorum commendatione, (sicuti

(z) In *Municipium*.
(a) Ad Quirites c. 15.
(b) L. XVI. c. 13.

paullo

paullo ante de J. Cæsare vidimus) qui plurimum in iisdem coloniis vel municipiis poterant, majori numero, & tanquam ad gentiles ibi suos aut propinquos, facto velut agmine, confluxerint. Unde etiam objectum sibi a L. Torquato, *peregrini*, quod e municipio nempe esset, nomen diluit Cicero, & quidem Catonis, Coruncanii, Marii exemplo, quibus ortis itidem e municipiis, nemo id objecerat: *(c) Equidem*, ait, *vehementer lætor, eum esse me, in quem hic cum cuperes, nullam contumeliam jacere potueris, quæ non AD MAXIMAM PARTEM CIVIUM* (nempe qui itidem erant municipes) *conveniret.* Mitto, quod urbi viciniora ferme essent, ac inde suburbana antiqua illa Latii, quibus data primum cum jure suffragii civitas, municipia: ac unde de Atinati, quo ortus erat C. Plancius, præfectura seu municipio, præ Tusculo nempe ait Cicero: *(d) Hic est e præfectura Atinati, non tam prisca, non tam honorata, non tam SUBURBANA.* ac paullo post: *Plancius hoc non solum municipii, verum etiam VICINITATIS genere vincebat.* & alibi adhuc in eadem oratione: *Jam municipia conjunctione etiam VICINITATIS vehementer moventur.* Immo unde factum videtur, ut inter tria illa oppidorum, quæ Italiæ, post civitatem ei datam, subinde a Romanis Scriptoribus tribuuntur, genera, *municipia, colonias, & præfecturas*, harum postremarum seu *præfecturarum* in ferendis suffragiis, etsi illæ eodem jure tum gauderent, (ut eas mittam, quæ, ut vere monuit (e) Sigonius, ac vel e Cicerone de dictis modo Atratinis, vel e (f) Festo de præfecturis notatione licet colligere, simul erant municipia) haud æqua ac *municipiorum* ratio fuerit continuo habita. Unde in adducto paullo ante Suetonii loco, quo providisse dicitur Augustus, ne datum jam ante toti Italiæ suffragium ferendi beneficium, eidem, prout hæc ea

(c) Pro Sulla c. 23.
(d) Pro Plancio c. 19. & c. 22.
(e) De Ant. Jur. Ital. L. II. c. 11.
(f) In *Præfecturæ.*

de

de re verba enarrari ibi a magno Casaubono diximus, inutile redderetur, *Coloniarum* fit tantum mentio: nempe (g) *excogitato genere suffragiorum quæ de magistratibus urbicis decuriones COLONIÆ in SUA quæque COLONIA ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent.* Accedit, quod nullo etiam peculiari ad jus suffragii aut magistratus in urbe capiendos respectu dicta sint, uti apud Rei Agrariæ Scriptores, municipia, de splendidis aut munitis quibusvis oppidis; ac unde aliis a (h) *munitionibus*, aliis a *munificentia* leguntur appellata apud Agrimensorem Siculum Flaccum. & inde alibi: (i) *prima origo oppidorum quæ civitates dictæ sunt, MUNICIPIA in caussa supra dicta nominata.* Quomodo etiam deductas iidem tradunt in civitates, seu lata illa significatione, in *municipia* colonias: (k) *COLONIÆ inde dictæ, quod populus Romanus in ea MUNICIPIA miserant colonos, vel ad ipsos priores MUNICIPIORUM populos coercendos, vel ad hostium incursus repellendos.* Etsi illud statuere insuper liceat, a tempore datæ toti Italiæ ac dein Cispadanæ etiam Galliæ civitatis, præcipua & nobiliora præter Colonias (quæ in originis suæ memoriam, & ob peculiaria earum jura, appellationem illam retinuerunt) reliqua regionum illarum oppida, communi deinceps *Municipii*, cujus jure tum fruebantur, quodque haud ita pridem fuerat indultum, nomine, fuisse Ciceronis ævo nuncupata. Ita apud eundem Tullium (l) dicta Neapolis, loco supra jam adducto, *municipium*: nempe, quam urbem ante civitatem, ut ibi additur, sociis & Latinis datam, fœderatam tantum exstitisse aliunde liquet; atque ita unde crebra fit apud Ciceronem ac solemnis *municipiorum* & *coloniarum*, ubi de ferendis in urbe suffragiis ab eo agitur, aliosque veteres Scrip-

(g) In August. c. 46.
(h) De Condit. Agror. p. 2. Ed. Goes.
(i) Ibidem p. 2.
(k) Ibidem p. 2.
(l) L. 13. Epist. 30.

tores

tores, uti ea de re paullo ante, commemoratio: immo unde nomen illud *municipiorum* ab eo cum *coloniis* etiam, ficut cum Placentinis, & quod Afconius facile potuit intelligere, communicatum. Quod autem jam ab eruditiffimo (*m*) Sigonio monitum poftea animadverti: inde nempe factum, ut poft legem Juliam, multa oppida, quod fuffragii jure donata fint, *municipia*, etfi etiam præfecturæ, vel coloniæ eædem forent, fint nuncupata. Quomodo rurfus inde factum video, ut cum (*n*) Italiæ & (*o*) Galliæ Cifalpinæ oppida enarrat Plinius, nulla in iifdem, pro more alioquin fuo, ubi Hifpaniam aliafque provincias defcribit, *municipiorum* fiat ab eo mentio: quod nempe in eadem veterum illorum municipiorum, ut Acerranorum, Anagninorum, Privernatum, Laviniorum, Arpinatum, Tufculanorum, Veliternorum, aliorumque id genus (civitatem nempe Romanam quod adtinet,) jura tranfiiffent, reliqua vel Latii, vel totius Italiæ oppida: quæ proinde fingula, quod notandum eft, fine illo peculiari *municipiorum*, quod olim iis in oris obtinuit, difcrimine, ab eodem Plinio enarrantur.

(*m*) De Ant. Jur. Ital. L. III. c. 3.

(*n*) L. IV. Sect. 4.

(*o*) Ibid. Sect. 5.

CAPUT

CAPUT. XIII.

An Municipia *cum* jure suffragii, *inde* jus suarum legum *amiserint, quod statuit Sigonius? De varia* municipiorum *conditione cum* jure, *&* sine jure suffragii. *Gellii, Ciceronis, Livii, ac Festi potissimum, loca ea de re expensa. Libertas* suarum legum municipiis *vulgo relicta. Ulpianus emendatus.* Legum municipalium *mentio in libris juris civilis Romanorum, &* municipia *dicta in iis & alibi apud Auctores, totidem* Respublicæ: *immo deinceps de* civitatibus *promiscue, &* municipes *de earum* civibus, *nullo respectu ad primævam eorum significationem,* munera *nempe Romæ* capiendi *facultatem. Quæ iisdem* municipibus *ex jure Quiritium licerent, aut non licerent.*

AN vero illud inter *colonias* & *municipia* discrimen remanserit; ut illæ quidem, quod jam ante vidimus, acceptis Roma, tanquam a metropoli, seu antiqua patria legibus; hæc autem propriis suis legibus ac institutis regerentur; an vero post datum hisce seu *municipiis*, quæ eo prius caruerant, jus suffragii, suis eadem legibus sint continuo spoliata, & Romanis, quod statuit *(a)* Sigonius deinceps obstricta, haud immerito licet

(a) De Ant. Jur. Ital. L. II. c. 7.

licet ambigere. Illud enim aperte redarguit Gellius: (b) *Municipes ergo ſunt CIVES ROMANI in municipiis LEGIBUS SUIS & SUO JURE UTENTES, muneris tantum cum populo Romano participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla lege, ni in quam populus eorum fundus factus eſt.* De *municipiis enim in genere*, & quatenus a *coloniis* ea differant, loquitur ibi Gellius: non vero de una tantum municipiorum claſſe, uti cenſet Sigonius, quæ jus duntaxat haberent legionis, non vero reliqua Romanæ civitatis & quidem ſuffragii jura. Id enim vel ipſe totius illius capitis, quo inter colonias & municipia diſcrimen, quodque jus foret utrorumque, enarrandum ſuſcepit Gellius, intuitus abunde redarguit: tum quod inter eos municipes, *Prænestini* ibi adnumerantur: quos tamen cum *Tiburtibus*, *Arpinatibus* aliiſque conjungit (c) Feſtus; quos jura ſuffragii & honorum in urbe habuiſſe, aliunde inſuper, ac e (d) Cicerone quidem conſtat. Neque vero addita ibi in poſtremis Gellii verbis conditio: municipes nempe, etſi, ut ibi eos vocat, cives Romanos, nulla tamen populi Romani lege eſſe adſtrictos, *ni in quam populus eorum fundus factus eſt*, id infert, quod ſtatuit alibi (e) Sigonius, in omnes nempe populi Romani leges, omni amiſſo ſuarum legum arbitrio, ſeu qua antea gaudebant, autonomia, veniſſe, ſive *fundos factos* alios id genus populos ſeu municipes; ſed in eam tantum de jure civili Romanorum legem (quod varie de his populis fundis obſervarunt Viri doctiſſimi (f) Rigaltius & Valeſius, & aperte Gellii ea de re verba id notant) in quam iidem municipes, beneficio populi Romani conſenſerant, ſive cujus legis aucto-

(b) L. XVI. c. 13.
(c) In *Municipium*.
(d) Pro Plancio c. 22. pro Sulla c. 23. Pro Balbo. c, 53.
(e) De Ant. Jur. Ital. L.II. c.7.
(f) Vid. Theſ. Antiq. Rom. T. II. p. 1932. &c.

N res

res & subscriptores iidem populi fuerant. Quod omnino etiam adstruunt Tullii, ubi de hisce populis fundis agit, eorumque conditionem describit, consona plane cum Gellio verba: ut mirari ferme subeat, quod ea aliter viri eruditissimi, & Romanæ cæteroquin antiquitatis egregie periti, acceperint: *(g) Sed totum hoc, Judices,* (nempe populos fundos quod adtinet) *in ea fuit positum semper ratione atque sententia, ut cum jussisset populus Romanus aliquid, SI ID ADSCIVISSENT socii populi ac Latini, & SI EA LEX* (non omnes proinde populi Romani leges) *quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo, resedisset: ut tum LEGE EADEM IS POPULUS TENERETUR*; nempe, quod ait Gellius adductis paullo ante verbis, *in quam* legem *populus eorum fundus factus est.* Quæque insuper adstruit adlatum mox ibi a Tullio de iisdem Latinis, qui vel legem C. Furii de testamentis, aut Q. Voconii de mulierum hereditatibus, aut aliam aliquam de jure civili a Romanis latam, aut vero etiam legem Juliam, *qua civitas est sociis & Latinis*, ut ibidem ait, *data*, adsciverant, seu in eas fundi populi erant facti. Neque etiam hanc omnibus municipiis necessitatem incubuisse, ut cum Romana civitate, in Romanorum leges & jura, suis abdicatis, continuo venirent, infert, ut existimat, *(h)* Sigonius, id quod ibi a Tullio, post factam legis hujus Juliæ mentionem, exemplum additur: *In quo magna contentio Heracliensium & Neapolitanorum fuit; cum magna pars in iis civitatibus fœderis sui libertatem civitati anteferret.* Etsi enim non omnes quidem, uti censuit doctissimus *(i)* Valesius, at priores tamen Ciceronis, & juxta veterum librorum fidem adornatæ editiones, *fœderis sui*, non vero (juxta Cl. *(k)* Bullialdum, aut nuperam etiam Pa-

(g) Pro Balbo c. 20.
(h) Pro Balbo c. 21.
(i) Thes. Antiq. Rom. T. II. p. 1947.
(k) Ibidem p. 1936.

risien-

risiensem in usum Delphini editionem) *juris sui libertatem* hic habent; unde etiam ad eam solam conditionem ibi respici vere monuit contra eundem Bullialdum Valesius, qua qui in civitatem Romanam transibant populi, fœderati amplius esse non poterant; sed quibus tantum libertas fœderis adimebatur; non vero mutatio aut amissio propriarum legum, & quidem post Romanas adscitas præscripta. Quamquam, de quo silet ibi Valesius, neque negari illud possit, eam fuisse municipiorum aliquot conditionem, ut cum Romana civitate, Romanorum legibus, amisso proinde legum suarum arbitrio, iidem forent deinceps obstricti. Id enim haud obscure innuunt adducta jam a (*l*) Sigonio ejus rei e Livio de Hernicis testimonia: (*m*) *Hernicorum tribus populis Alatrinati, Verulani, Ferentinati, quia MALUERUNT, quam CIVITATEM, SUÆ LEGES REDDITÆ. Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas sine suffragii latione data.* dein ubi Æquos Romanorum hostes, ita de hoc Romanorum facto disserentes tradidit: (*n*) *Tentationem aiebant, esse, ut terrore incusso belli, ROMANOS se fieri paterentur, quod quantopere optandnm foret, Hernicos docuisse, quum quibus licuerit, SUAS LEGES ROMANÆ CIVITATI præoptaverint: quibus legendi quid mallent, copia non fuerit, pro pœna, necessariam CIVITATEM fore.*

Quæ insuper lucem ex iis capiunt, quæ de haud una *municipum* classe vel conditione tradit iis verbis Festus, quorum genuinum sensum non videntur satis percepisse, qui ea cæteroquin haud semel adduxerunt, viri doctissimi, & harum literarum principes, Manutius, Sigonius, aliique. Tria nempe ibi, non duo, ut vulgo iidem, *municipum* genera distinguit Festus: ac primum quidem, de quo primo loco ait: *Municipium id genus hominum di-*

(*l*) De Ant. Jur. Ital. L. II. c. 7.
(*m*) L. XXI. c. 42.
(*n*) Ibidem c. 45.

citur, qui cum Romam venissent, NEQUE CIVES ROMANI *essent: participes tamen fuerant omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus, præterquam de suffragio ferendo aut magistratu capiendo, sicut fuerant Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani, qui post aliquot annos Cives ROMANI effecti sunt.* Non veri proinde *municipes,* qui e patria Romam commigrabant id genus advenæ: dum iidem a munere in urbe capiendo erant exclusi: *neque* etiam, quod ibidem dicitur & notari in primis debuit, iidem *cives Romani:* quo jure tamen, quave appellatione *municipes,* & inde dicta in genere apud Plinium ac alibi, ut supra vidimus, *municipia civium Romanorum* censebantur; ac unde a L. Torquato objectum sibi, municipi nempe Arpinati, *peregrini* nomen miratur & explodit Cicero: *(o) At si nos tibi* peregrini *videmur, qui sumus* e municipio, *quorum jam & nomen & honor inveteravit & huic urbi, & hominum famæ, & sermonibus.* An vero in eam id genus *municipum,* quique *cives Romani* non essent, classem vel conditionem referri debuerint singuli illi, qui ibi hodie apud Festum leguntur, Latini populi vel socii, ex iis, quæ jam ante de *Lanuvinis* & *Tusculanis,* quibus ab initio civitas fuerit cum jure suffragii data, non vero *Fundanis, Formianis,* & *Acerranis,* quibus civitas primum sine suffragio impertita apud *(p)* Livium dicitur, constare jam potest. De *Cumanis* vero ad annum U. C. DXXXVIII. latum ad populum refert idem Livius, *(q) uti municipes Cumani* essent, prætérita omni, an cum suffragio, an sine suffragio, mentione. Alterum vero *municipum* genus, a Festo tangitur, quorum *civitas universa in Romanam civitatem venit,* ut *Aricini, Cærites, Anagnini:* qui nempe e sociis seu fœderatis populis, post civitatem lege Julia a populo Romano datam, &

(o) Pro Sulla c. 21.
(p) L. VIII. c. 14.
(q) L. XXIII. c. 31.

ab

ab iisdem acceptam, aut jam ante, vere Romani cives deinceps, & cum pleno suffragii jure, sunt effecti. Quibus alioquin populis, *Cæretibus* quidem & *Anagninis*, civitatem sine suffragio primum datam, e (r) Livio & (s) Gellio jam ante vidimus; ut proinde haud dispar ea in re illorum conditio fuerit, quam *Formianorum*, *Fundanorum*, aut *Acerranorum* etiam & *Cumanorum*, qui in primam tamen municipum classem a Festo sunt rejecti. Tertium denique *municipum* genus ab eodem Festo memoratur: *(t) qui ad civitatem Romanam ita venerunt, ut municipes essent suæ cujusque civitatis & coloniæ:* iidem nempe municipes, de quibus paullo ante dixerat, *qui ea conditione cives Romani fuissent, ut semper rempublicam a populo Romano separatam haberent.* Ac proinde in populi Romani leges & jura fundi non erant facti, nec se iisdem obstrinxerant. In quam postremi generis, quique proinde suis legibus ac institutis, non vero Romanis tenebantur, municipum classem, referuntur ibi continuo ab eodem Festo inter alios *Tiburtes*, *Prænestini*, *Arpinates*; quos tamen Arpinates diu ante civitatem lege Julia sociis ac Latinis datam, eadem civitate cum jure suffragii, jam donatos, e Livii verbis, quæ supra adduximus, liquet, ad consules M. Valerium Messalam & C. Livium Salinatorem, anno U. C. D.L.X.V. *(u) de Formianis Fundanisque MUNICIPIBUS & ARPINATIBUS, C. Valerius Tappus tribunus plebis promulgavit, ut iis SUFFRAGII LATIO (nam ante SINE SUFFRAGIO habuerunt civitatem) esset* : mox: *Rogatio perlata est, ut in Æmilia tribu Formiani & Fundani, in Cornelia ARPINATES ferrent* ut proinde merito redarguat, sicut paullo ante vidimus, L. Torquatum (x) Cicero: quod ipsum e tali municipio civem Romanum, & qui-

(r) L. IX. c. 43.
(s) L. XVI. c. 13.
(t) In *Municipium*.
(u) L. XXXVIII. c. 36.
(x) Pro Sulla c. 21.

dem

dem cum pleno civitatis jure, ortum, *peregrinum* nihilominus vocare sustinuerit: immo quo jure non primus inter suos municipes, vel ante eum C. Marius, ut e dictis Livii verbis liquet, sit jam usus. *Prænestinos* vero quod adtinet, eos sub Tiberio demum, atque ita diu post donatam civitate Italiam, e colonis jus illud municipale, seu suarum legum arbitrium demum nactos, ex Hadriani ea de re apud Gellium verbis constat: *(y) Prænestinos autem refert, maxima opera a Tiberio Imperatore petisse, orasseque, ut EX COLONIA in MUNICIPII STATUM redigerentur, idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuisse, quod in eorum finibus, sub ipso oppido ex capitali morbo revaluisset.* Eo enim *jure suarum legum*, utpote fœderati populi Romani, antequam colonia in illam urbem, post eam a Sulla excisam, fuisset deducta, usi erant olim juxta Tiburtes, *Prænestini:* unde exulibus populi Romani licuisse suo ævo in urbibus illis, Tibure, Præneste, ac Neapoli, degere, tanquam Romanorum fœderatis, observat *(z)* Polybius. Easdem vero Urbes, civitate lege Julia primum donatas, ex *(a)* Appiano liquere videtur; qui id de *Tibure* ac *Præneste*, paullo ante Cinnæ dominationem, quæ eandem legem Julianı brevi est subsequuta, sive data tum iis civitate tradit: de *Neapoli* vero, nominatim, dicto jam ante loco, *(b)* Cicero. Factum autem pro diversa nempe eorundem *Prænestinorum* conditione, ut modo *coloniæ*, modo *municipii* nomine, designetur eadem *Præneste* in antiquis lapidibus: sicut postrema appellatio ei tribuitur in Inscriptione, quam olim in Æde illius Urbis primaria, dum in id oppidum ditionis Principum Barberinorum, insigni eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini comitate fuissem deductus, describere mihi licuit:

(y) L. XVI. c. 13.
(z) L. VI. p. 462.
(a) Bell. Civ. L. 1. p. 489.
(b) L. 13. Epist. 30.

GEN

GEN
MUNICIP
C. TALONIUS. CYPARUS
PATER ET
C. TALONIUS CYPARUS
FILIUS.
D. D.

Unde alia etiam *coloniarum* atque *municipiorum*, pro diversa nempe id genus civitatum conditione, commoda ab Ulpiano indicari, & suo quidem ævo, proinde adhuc infra Gellii ætatem, videas: *(c) Si quis negotia sua non in COLONIA, sed IN MUNICIPIO semper agit; in illo vendit, emit contrahit: eo in foro, balneo spectaculis utitur: ibi festos dies celebrat: omnibus denique MUNICIPII commodis, NULLIS COLONIARUM fruitur, ibi magis habere domicilium quam ubi colendi ruris causa diversatur.* In quibus postremis verbis, ut id obiter moneam, pro *colendi*, & quod de cultu agrorum ibi explicant interpretes, mallem *incolendi*: prout frequens non solum *incolatus* & *incolarum*, qui in civitatibus domicilium haberent, mentio occurrit apud eosdem *(d)* Juris-consultos, sed ipsius quoque inter eosdem & *(e) municipes* aut *(f) cives* discriminis. Quod postremum tangit, & simul eandem Ulpiani, quod viderunt jam ibi interpretes, legem firmat Imp. Dioclesiani constitutio: *(g) Et in eodem loco singuli (cives* nempe & *incolæ) habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit.* Ut mit-

(*c*) Leg. XXVII. p. 2. D. Ad Municipal.
(*d*) Leg. V. L. XXIX. & L. XXXVII. Eodem.
(*e*) Leg. XX. & Leg. XXIX. Eodem. Leg. XVIII. p. 2. D. de Munerib.
(*f*) Leg. XXIX. D. Ad Municipal.
(*g*) Leg. VII. Cod. de Incolis.

tam

tam quod *incolæ*, præter diverſam *(h)* Modeſtini ea de re legem, dicantur a Pomponio, *(i) non tantum qui in oppido morantur, ſed etiam qui alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum ſe tanquam in aliquam ſedem recipiunt*: nempe prout *incolas* itidem dici *(k) qui in territorio alicujus civitatis commorantur*, in alia Diocleſiani conſtitutione legitur.

Ex iis vero, quæ hactenus adtigimus, abunde, ut opinor, percipitur illud quod, inter *colonias* & *municipia* diſcrimen, tradit dicto paullo ante loco Gellius: quod nempe vulgo *(l) municipes ſunt CIVES ROMANI LEGIBUS SUIS & SUO JURE* utentes: non proinde in Romanorum leges, ni quam ex iis forte adſciverant, ſeu, ut ibi additur, in quam iidem *fundi* continuo facti: *coloniæ* vero, ut poſtea ad illorum diſcrimen ab eodem tangitur, *quæ non veniunt extrinſecus in civitatem, NEC SUIS RADICIBUS NITUNTUR*: (ſicut nempe utrumque faciebant *municipes*) *ſed ex civitate quaſi propagatæ ſunt, & jura inſtitutaque omnia Populi Romani, NON SUI ARBITRII, habent.* Ne illud jam hic prætercam, quod *Municipalium* ſeu *Municipii* legum mentio haud ſemel occurrat in libris veterum Juris-conſultorum: ut apud Scævolam: *(m) MUNICIPII ita LEGE cautum erit*, ἐάν τις ἔξω τῦ συνεδρίε δικάσειε, *ſi extra ſynedrium judicaverit* &c. & ab Ulpiano: *(n) LEGE autem MUNICIPALI cavetur, ut ordo non aliter habeatur, quam duabus partibus adhibitis.* Idem rurſus alibi: *(o) Decuriones in albo ita ſcriptos eſſe oportet*, ut *LEGE MUNICIPALI præcipitur*: Modeſtinus denique: *(p) Etſi LE-*

(h) Leg. XXXV. D. Ad Municipal.
(i) Leg. CCXXXIX. p.2. D. de Verb. Sign.
(k) Leg. III. Cod. de Incolis.
(l) Leg. XVI. c. 13.
(m) Leg. VI. D. de Decret. ab Ord. Fac.
(n) Leg. III. D. Eodem.
(o) Leg. I. D. de Alv. Scrib.
(p) Leg. XI. p. 5. D. de Munerib.

GE

GE MUNICIPALI caveatur, ut præferrentur in heredibus certæ conditionis homines. Immo quomodo factum etiam liquet, quod *municipia* in genere totidem *Respublicæ*, & *municipales Magistratus* inde *Rempublicam gerere*, vel *administrare* dicantur sæpius in iisdem Romanarum legum thesauris. Sic ille, de quo modo, Ulpianus: *(q) si fuerit MUNICIPIO legatum relictum ab his, qui REMPUBLICAM GERUNT* (nempe Magistratus municipales) *fideicommissum dari potest.* Ita idem de patre, qui pro filio, creato municipii decurione, teneretur: *(r) proinde quidquid IN REPUBLICA GESSIT, pater, ut fidejussor præstabit:* & alia lege: *(ſ) AD REMPUBLICAM ADMINISTRANDAM, ante vicesimum quintum annum* &c. *nec decuriones creantur, vel creati suffragium in curia ferunt.* Callistratus denique, ne plura id genus obvia in iisdem veterum Juris-consultorum libris vel fragmentis hic tangam: *(t) Honor MUNICIPALIS est ADMINISTRATIO REIPUBLICÆ, cum dignitatis gradu.* Quod equidem de tertio *Municipum*, de quibus ibi agit, genere, a Festo dictum paullo ante vidimus, qui nempe ea conditione cives Romani fuissent, ut quod ibi continuo additur, *(u) SEMPER REMPUBLICAM a Populo Romano SEPARATAM haberent.* Unde & illud liquet, non id semper obtinuisse, quod alibi ab eodem Ulpiano dicitur, *(x) PUBLICA sunt, quæ sunt populi Romani;* & a Gaio J. C. jam ante: *(y) civitates enim privatorum loco habentur.* Ita *Respublicæ* a Romanis appellatæ omnes id genus civitates seu *municipia*, quibus nempe, ut de iis Græci aiunt, πολιτεῖαι, sui nempe juris & Magistratus municipalis libertas, erat a Romanis relicta: haud aliter ac liberæ & fœderatæ civitates, sicut Mas-

(q) Leg. V. D. de Legat. 3.
(r) Leg. II. D. Ad Municipal.
(ſ) Leg. VIII. D. de Munerib.
(t) Leg. XIV. D. Eodem.
(u) In *Municipium.*
(x) Leg. XV. D. de Verb. Sign.
(y) Leg. VI. Eodem.

silia *Reipublicæ* nomine, loco jam supra alia occasione adducto, apud (z) Tacitum dicta: aut nominatim *Reipublicæ Sardianorum* fit (a) a Marciano J. C. mentio eorumque *certaminis Chrysanthini*: aut vero in genere de iisdem Græcorum in Asiæ civitatibus, quæ jam Romano alioquin Rectori obtemperabant, sed quibus utrumque jus illud πολιτείας κ͵ νόμων, qua de re in sequenti Exercitatione plenius dicetur, seu *Magistratus* & *suarum legum* erat relictum, a Cicerone pro L. Flacco dicitur: (b) *GRÆCORUM autem totæ RESPUBLICÆ sedentis concionis temeritate administrantur*: nempe qui alibi integram illam Asiæ, de cujus civitatibus dicto loco agebatur, (c) *partem Reipublicæ*, Romanæ nempe, *male adfectam* vocat. Quamquam & illud, de obvia *municipiorum* ac *municipum* in dictis modo juris Quiritium libris mentione hic monendum est; quod ea tum ratio in Imperio Romano exstitit, ut communicata deinceps cum pluribus, non urbibus solum ac oppidis, sed gentibus etiam integris, uti mox uberius constabit, a Romanis Imperatoribus civitate, *municipia* ac *municipes* dicerentur postea in genere de civitatibus Romano Imperio subjectis, earumque civibus: nullo proinde amplius respectu ad illam *munerum* Romæ capiendorum, unde *municipia* primum appellata, facultatem. Id enim cum in iisdem juris Quiritium libris obvium, tum nominatim ab eodem Ulpiano observatum: (d) *MUNICIPES proprie appellantur muneris participes recepti in civitate, ut munera nobiscum facerent: sed NUNC abusive MUNICIPES dicimus, UNIUSCUJUSQUE CIVITATIS CIVES, ut puta Campanos, Puteolanos.* Unde etiam promiscue *civitates* ac *municipia* sumi alibi a priscis illis Romani juris

(z) Annal. IV. c. 43.
(a) Leg. XXIV. D. de Ann. Legat.
(b) Cap. VI.
(c) L. XIII. Epist. Fam. 68.
(d) Leg. I. D. Ad Municipal.

an-

antiſtitibus videas: ut quum a Paulo J.C. dicitur: *(e) civitatibus legari poteſt*: & a Marciano; *(f) ſi quid relictum ſit civitatibus*: ab Ulpiano autem: *(g) ſi fuerit municipio legatum relictum* &c. Quomodo plura quoque in locuplete illa Romanarum legum ſupellectile tradi liquet de Magiſtratibus cujuſcunque civitatis *municipalibus*, ac de *municipiorum* id genus conditione, quidnam illis nempe, præter relictam iiſdem ſuarum legum libertatem, ex jure Quiritium liceret: velut *(h)* poſſidere, uſucapere, *(i)* legata percipere: *(k)* ad exhibendum conveniri: aut vero quod non iiſdem continuo licitum, velut *(l)* muros civitatis, ſine Principis aut Præſidis auctoritate, non reficere; *(m)* ſupplicium de ſervo non ſumere: *(n)* non in integrum reſtituere, aut bona rei ſervandæ cauſa jubere poſſidere, aliaque id genus. Quamquam alicujus inter *civitatem* ac *municipium* diſcriminis exemplum ſuppeditet alibi, ut obſervo, & quod proinde hic adhuc monendum eſt, Ulpianus: nempe ubi ab eo dicitur: *(o) Domum accipere debemus, hoſpitium, ſi IN CIVITATE manent: quod ſi non ſit, ſed in villa, vel IN MUNICIPIO, illic ubi larem matrimonii collocarunt.* Verum ubi priori loco facta *hoſpitii in civitate* mentio, docet non de *originali*, ut ab iiſdem *(p)* Juris-conſulto ſubinde, quod antea vidimus, dicitur, mulieris, de qua ibi agitur, *patria*: vel de *domo*, ut alio loco iidem, ubi *(q) ſedes & tabulas haberet, ſuarumque rerum conſtitutionem feciſſet*, id intelligi: ſequentibus autem

(e) Leg. CXXII. D. de Legat. 1.
(f) Leg. CXVII. D. Eodem.
(g) Leg. V. D. de Legat. 3.
(h) Leg. II. D. de Alq. vel Amitt. Poſſeſ.
(i) Leg. V. D. de Legat. 3.
(k) Leg. VII. p. 3. D. Ad. Exhib.
(l) Leg. VII. p. 9. D. de Diviſ. Rer.
(m) Leg. XII. D. de Juriſd.
(n) Leg. XXVI. p. 1. D. ad Mun.
(o) Leg. I. p. 1. D. de Agn. & Al. Liber.
(p) Leg. XXII. D. Ad Municipal.
(q) Leg. CCIII. D. de Verb. Sign.

verbis *in municipio*, de eadem muliere dici, quæ tanquam loci illius civis vel municeps, ibi ſedem fortunarum ſuarum & larem, quod ibi quoque additur, cum marito collocaverat: Neque certe per *hoſpitia*, quæ ſupervenientibus in civitate aliqua militibus, qua de re alibi (r) Ulpianus, *præberi IN CIVITATE oportet*; aut vero, (quod ab (ſ) alio veteri Juris antiſtite traditur,) Grammaticis, Oratoribus, Medicis, Philoſophis; id utique de eorundem vel militum, vel qui artes illas aut ſcientias profiterentur, domicilio aut lare dici ſatis conſtat. Quæ autem vel eo nomine hactenus adtigimus, quod id exigeret argumenti, de quo hic agitur, tractatio: tum maxime, quod minus adtente vel feliciter in enarrandis commemoratis ſupra Gellii ac Feſti, de veteri *municipiorum* jure aut conditione, locis verſati ſint, quod ſuperiora abunde, ut opinor arguunt, viri cæteroquin in his literis principes.

(r) Leg. III. p. 12. D. de Munerib.

(ſ) Leg. XVIII. p. 30. Eodem.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Tranſpadanæ Galliæ municipiis *&* civitate Galliæ Ciſalpinæ *data. Item de interdicta Æ*gyptiis Romana *ac* Alexandrina *etiam* civitate. *Ciceronis, Joſephi, Plinii junioris, Iſidori Peluſiotæ loca adducta ac illuſtrata. De* civitate *denique* Tranſalpinis *& aliis extra Italiam oppidis, vel populis, ut* Gaditanis *in Hiſpania;* *aut* privatis *etiam, extremis Romanæ Reipubl. temporibus, data. Adde etiam* ſervis, *& quidem a partium civili bello ducibus, Cinna, Sulla, Domitio, ex Appiano & J. Cæſare.*

TRanſalpinæ vero *Galliæ*, haud minus ac *Ciſpadanæ*, qua de re paullo ante agebatur, municipia non ſolum, ſed colonias eodem etiam jure ſuffragiorum uſas, ante civitatem, integræ primum Tranſpadanorum legioni, dein univerſis Tranſpadanis a J. Cæſare Dictatore, quod paullo ante vidimus, datam; vel ex adductis ſupra Hirtii, ſeu Scriptoris ultimi libri de Bello Gallico verbis, licet ſtatuere, quibus Cæſar ante bellum civile, *(a) omnes Galliæ Togatæ*, ut municipiis nempe & coloniis commendaret cum auguratus pro M. Antonio, tum ſui conſulatus petitionem, *partes percucurriſſe* dicitur: & mox eundem in finem, ſui nempe conſulatus petitionis, *F. Labienum Galliæ Togatæ præfeciſſe*: qua autem *Gallia Togata*, tam *Tranſpadanam*, quam *Ciſpadanam* deſignari, aliunde notum eſt. Ne adducam huc, ac unde, quæ paullo

(a) L. VIII. c. 52.

ante

ante sunt ea de re dicta, denuo adstruuntur, nempe de potiori municipiorum & coloniarum in ferendis in Urbe suffragiis, præ aliis oppidis eo tamen jure donatis, conditione aut confluxu, Ciceronis in Philippicis verba, quibus memoratur *(b) consensus municipiorum coloniarumque provinciæ Galliæ*, h. e. Cisalpinæ, seu quæ tam Transpadanam, quam Cispadanam Galliam complectitur. Hæc enim ad ea tempora (post cædem nempe J. Cæsaris) respiciunt, quibus Transpadani haud minus ac Cispadani jam erant, ut paullo ante vidimus, civitate donati; ac proinde jus illud erant tum adeptæ, quæ a Suetonio dicuntur *(c) Latinæ coloniæ, de petenda civitate agitantes*, ad eas enim Transpadanorum colonias ibi a Tranquillo respici, statuunt haud male eruditi interpretes, ac ante eos monuerat ad Tacitum *(d)* Lipsius. Transpadanis certe, non nudum civitatis nomen, uti Comatæ Galliæ, qua de re *(e)* Tacitus, primoribus; sed cum latione suffragii & adipiscendorum Romæ honorum jure, a J. Cæsare datum liquet, cum e Suetonio in ejus vita, *(f) civitate donatos & quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam*, & quod de Togatis illis Transpadanis dici, vere ad *(g)* Tacitum monuit vir doctus; tum e Claudii Imperatoris apud Tacitum ea de re verbis, abunde licet colligere. Ibi enim, quum principes Comatæ Galliæ civitatem ante jam consequuti, jus adipiscendorum in Urbe honorum, quo carebant hactenus, expeterent, inter alia, quibus illud iis concedendum censet Claudius, ut quod Alba, Camerio, Tusculo, ac dein Etruria, Lucania, omnique Italia sint in Senatum acciti, addit: *(h) postremo ipsam* (nempe civitatem) *AD ALPES promotam, ut non modo sin-*

(b) Philip. III. c. 25.
(c) In J. Cæsare c. 9.
(d) Ad Annal. XV. c. 23.
(e) Annal. XI. c. 23.
(f) Cap. 76.
(g) Ad Annal. XV. c. 24.
(h) Annal. XI. c. 24.

guli

ſinguli viritim, ſed terræ gentesque in nomen noſtrum coaleſcerent. Tunc ſolida domi quies, & adverſus externos floruimus, cum TRANSPADANI IN CIVITATEM RECEPTI, & quidem, ut totus loci contextus docet, cum pleno ſuffragii & honorum petendorum jure. Quod etiam adverſantium huic Galliæ Comatæ primorum petitioni Senatorum verba, quæ paullo ante ibidem leguntur, ſatis evincunt: *(i) An parum, quod Veneti & Inſubres curiam irruperint*, qui Tranſpadani nempe populi: prout etiam Ciſalpinos ac Venetos, poſt civitatem, eamque, ut antea vidimus, cum jure ſuffragii datam, in eam receptos tradit, adductis ſupra verbis *(k)* Strabo. Quum alioquin, & quod præteriri hic non debet, Inſubres inter eos populos recenſeat in oratione pro Balbo Tullius, & memorabili ea de re loco, qui vi fœderum recipi in civitatem non poterant, nec proinde eſſent adhuc in eam adſciti: *(l) At enim quædam fœdera exſtant, ut Germanorum, INSUBRIUM, Helvetiorum, Japidum, nonnullorum itidem ex Gallia barbarorum, quorum in fœderibus exceptum eſt, NE quis eorum A NOBIS CIVIS RECIPIATUR.* Quo reſpicit proinde alibi in eadem oratione, ubi facta Camertini cujuſdam civitate a C. Mario donati mentione, addit: *(m) neque Juguinatium, neque Camertium fœdere eſſe exceptum, quo minus eorum civibus a populo Romano præmia virtutis tribuerentur.* Quam etiam dictorum modo fœderum cum Germanis, Inſubribus, Helvetiis, aliiſve, ne quis ex iis gentibus Romanus civis fieret, conditionem, ab iiſdem populis, non vero a Romanis profectam, licet ibi ex eodem Tullio agnoſcere: maxime autem ex iis, quæ paullo ante de diverſo omnino Romanorum ea in re inſtituto, clariſſime diſſerit: *(n) Defendo enim rem univerſam, NULLAM eſſe GEN-*

(i) Ibid. c. 23.
(k) L. V. p. 210.
(l) Pro Balbo c. 14.
(m) Ibidem c. 20.
(n) Ibidem c. 13.

TEM

TEM ex omni regione terrarum, neque tam dissidentem a populo Romano, odio quidem atque dissidio, neque tam fide benevolentiaque conjunctam, ex qua NOBIS INTERDICTUM SIT, ut ne quem adsciscere civem, aut civitate donare possimus. A quo tamen instituto non multo post resilierunt aliquatenus sub primis Cæsaribus, & quidem, ut licet statuere, sub Augusto Romani, seu ipse Augustus; dum devictis Ægyptiis, iis interdictum est, ne Romanæ aut etiam Alexandrinæ civitatis fierent participes; & quomodo alioquin a Dione dicitur, *(o)* Augustum nulli Ægyptiorum, senatorem esse Romanum permisisse. Docet id insigni eam in rem loco Josephus, ubi Apionem redarguit, qui quum Oasi in Ægypto, ut paullo ante dixerat, foret natus, præter fas tamen se Alexandrinum ferebat: *(p)* Γεννηθεὶς γὰρ, ὡς προεῖπον, ἐν τῷ βαθυτάτῳ τῆς Αἰγύπτου, πῶς ἂν Ἀλεξανδρεὺς εἴη, ΤΗΣ κατὰ δόσιν ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ, ὡς αὐτὸς ἐφ' ἡμῶν ἠξίωκεν, ἀναιρουμένης; καίτοι ΜΟΝΟΙΣ ΑΙΓΥΠΤΙΟΙΣ οἱ κύριοι νῦν Ῥωμαῖοι τῆς οἰκουμένης, μεταλαμβάνειν ἡστινοσοῦν ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ΑΠΕΙΡΗΚΑΣΙΝ. *Natus enim, ut antea dixi, in intima Ægypto, quomodo erit Alexandrinus, JURE CIVITATIS, quod ipse de nobis prædicat, SUBLATO? cum SOLIS ÆGYPTIIS orbis nunc Romani domini participare cujuslibet civitatis interdixerint.* Mirari vero haud immerito subit, ignorasse id eadem ætate cum Romanum Principem, tum eruditissimum consularem; quod medico Harpocrati, eique Ægyptio, civitatem a Trajano petit, eamque ab eo sine mora impetrat Plinius junior; donec postea aliunde edoctus, quid agendum prius fuerat, quo novus hic civis concesso uti posset Romanæ civitatis beneficio, Principem ipsum commonefacit: debuisse nempe illum Ægyptium Harpocratem, prius Alexandrinum civem fieri, antequam is civitate Romana do-

(o) L. II. p. 455.

(p) Adv. Apion. L. II. p. 1063. Ed. Genev.

nare-

naretur. Verum, & quod ab eruditis ad Plinium id non animadversum videam, nec is parum inde, uti vicissim Josephus, illustretur, illius ea de re ad Trajanum verba hic juvabit adponere: (q) *Ago gratias, Domine, quod & jus Quiritium libertis necessariæ mihi feminæ, & CIVITATEM ROMANAM HARPOCRATI, Jatraliptæ meo, sine mora indulsisti: Sed quum annos ejus & censum, sicut præceperas, ederem, ADMONITUS SUM a peritioribus, debuisse me ANTE ei ALEXANDRINAM CIVITATEM impetrare, deinde ROMANAM: quoniam esset ÆGYPTIUS. Ego autem, quia inter Ægyptios, cæterosque peregrinos nihil interesse credebam, contentus fueram hoc solum scribere tibi, eum scilicet a peregrina manumissum, patronumque ejus pridem decessisse. De qua IGNORANTIA MEA non queror, per quam stetit, ut tibi pro eodem homine sæpius obligarer. Rogo itaque ut beneficio tuo LEGITIME FRUI POSSIM, tribuas ei & ALEXANDRINAM CIVITATEM, & ROMANAM.* Quod jus Alexandrinæ civitatis, etsi in eo largiendo superiorum ante eum Principum exemplo, non illud facile impertiri constituisset, se eidem tamen Harpocrati sequenti ad Plinium rescripto, concedere significat Trajanus: ita tamen, & quo se lata illa de Ægyptiis a prædecessoribus suis lege, non teneri ostendat, ut novum seu duplicatum beneficium a se eidem Harpocrati, ac simul id roganti Plinio, conferri declaret; non vero sine quo is data jam civitate Romana perfrui legitime, sicut admonitus erat Plinius, non possit: (r) *Civitatem Alexandrinam, secundum institutionem Principum, non temere dare proposui: sed cum Harpocrati, Jatraliptæ tuo, JAM CIVITATEM ROMANAM impetraveris, huic quoque petitioni tuæ negare non sustineo.* Pro quo autem concessæ huic Ægyptio Harpocrati Alexandrinæ civitatis, post Romanam, beneficio, gratias Traja-

(q) L. X. Epist. 22. (r) L. X. Epist. 23.

no idem agit, ea, quæ *(ſ)* ante apud illum legitur, alieno proinde loco, epiſtola. Quum alioquin, ut id haud uno loco teſtatur Cicero, ac ſupra jam expendimus, civili Romanorum jure, ſed quod poſtea reſcriptis & conſtitutionibus Principum, ſubinde mutatum fuerit, nemo Romanæ ac ſimul alterius civitatis, quod apud Græcos licuit, civis eſſe poſſet. Quod obtinuiſſe tamen Dionem Pruſæenſem, ejuſque majores, ex eodem *(t)* oratore ſupra vidimus. Hiſce autem adductis modo Joſephi vel Plinii, de interdicta olim Ægyptiis Alexandrina, vel Romana, aut qualibet etiam civitate, teſtimoniis, addi poteſt illud Ægyptii Scriptoris, Iſidori Peluſiotæ, qui & cauſſam ſimul alterius interdicti tangit: *(u)* Αἰγυπτίοις μὲν δι' ἀπήνειαν ΝΟΜΟΣ εἴργει ἀρχῆς, *Ægytios quidem, ob morum immanitatem, LEX magiſtratu arcet.* Eadem autem, ne hanc propriam mihi notationem tribuam, Joſephi & Iſidori de Ægyptiis, quos lex civitate Romana vel magiſtratu arceret, loca, a me juxta adducta Plinii junioris ea de re verba, pridem animadverſa, vidiſſe quoque eruditiſſimum *(x)* Menagium nunc forte advertere mihi contigit.

Quamquam non conſtitutis ſolum intra Alpes, quod hactenus vidimus, & qui omnes poſtea in Italiæ appellationem tranſierunt, populis, ſed jam ante civitatem *Tranſpadanis*, ac ita omnibus tandem *Ciſalpinis*, a J. Cæſare impertitam, eam quoque ante ſecundum ejus conſulatum, *Tranſalpinis* hominibus, velut *Gaditanis* univerſis in ulteriori Hiſpania, ab eodem Julio datam, & quod populus dein ratum habuerit, tradit Dio: *(y)* καὶ τοῖς τῶν Γαδειρεῦσι πολιτείαν ἅπασιν ἔδωκε, ἣν καὶ ὁ δῆμος σφίσιν ἐπεκύρωσε, *Gaditanis etiam univerſis civitatem dedit, quam deinde populus*

(ſ) L. X. Epiſt. 4.
(t) Orat. XVI. p. 50.
(u) L. 1. Epiſt. 489.
(x) Amœnit. Jur. c. 30.
(y) L. XLI. p. 164.

ratam.

ratam esse jussit. Qua quidem civitate donatos jam ante a Sulla novem *Gaditanos;* a Pompeio autem, *Gaditanum* itidem Cornelium Balbum, vel e Tullii pro eodem *(z)* oratione constat; qua is illum, ob controversiam ei postea de civitate motam, tuetur, idque plurimis aliorum exemplis adstruit, qui superioribus Reipublicæ temporibus, e stipendiariis gentibus seu provinciis, ob merita in populum Romanum eorumque Imperatores, sunt subinde in civitatem adsciti: *(a) Nam & stipendiarios,* (quæ verba jam ante adduximus) *ex Africa, Sicilia, Sardinia, cæteris provinciis multos CIVITATE DONATOS vidimus, & qui hostes ad nostros Imperatores profugissent, & magno usui Reipublicæ nostræ fuissent, CIVITATE esse DONATOS.* dein: *(b) quod si Afris, Sardis, Hispanis, agris stipendioque multatis, VIRTUTE adipisci licet CIVITATEM.* ac tandem, adductis eorum nominibus comprobat, qui sigillatim a clarissimis Imperatoribus, *(c)* C. Mario, L. Sulla, Q. Metello Pio, patre Pompeii, ipsoque Pompeio, sint e peregrinis gentibus vel oppidis, iique non Itali solum, sed *Massilienses,* dicti modo *Gaditani, Saguntini, Mamertini, Uticenses;* Galli proinde, Hispani, Siculi, Afri, ob singularem eorum virtutem ac fortitudinem in civitatem accepti: ac prout ab eodem Tullio in Verrinis Halesinus in Sicilia Dio, *(d) nunc beneficio Q. Metelli civis Romanus factus dicitur.* Quomodo etiam lege, & de qua jam ante, a Saturnino tribuno plebis lata, Mario decretum alibi tradit *(e) ut in singulas colonias ternos cives facere possit:* & alia lege, quam L. Gellius & Cn. Cornelius consules ex senatus sententia tulerant, *(f) uti cives Romani sint, quos Cn. Pompeius de consilii sententia sigillatim civitate donaverit.* Adeo ut non

(z) Pro Balbo. c. 40.
(a) Ibidem c. 40.
(b) Ibidem c. 41.
(c) Ibidem c. 51.
(d) In Verrem. II. c. 20.
(e) Pro Balbo c. 48.
(f) Ibidem c. 19.

id in mero fortiſſimorum, liberæ Reipublicæ temporibus, Imperatorum arbitrio poſitum foret, civitate Romana quempiam *peregrinum*, etſi bene de ſe vel Romano populo meritum, donare; niſi id peculiari lege, aut ſenatus populique Romani decreto, foret iis nominatim conceſſum; aut ſaltem, ut de Cæſare paullo ante vidimus, Gaditanis civitatem largiente, a populo dein rati habitum. Quorum illud e Marii etiam facto dictove apud Plutarchum licet colligere; qui quum uno tempore mille Camerinos, (nempe ante civitatem toti Italiæ datam) quod ſtrenue fuerant contra Cimbros præliati, civitate donaſſet, (g) *idque tanquam contra leges factum* in reprehenſionem incurriſſet, dixiſſe fertur, *leges ſe per armorum ſtrepitum exaudire non potuiſſe*, ὅτι τοὺ νόμου διὰ τῶν ὅπλων ψόφον οὐ κατακούσειεν. In quo cæteroquin vel hujus Marii, vel aliorum, quos adtigi, Romanorum ducum, peregrinos, qui ſe ſtrenue in bello geſſerant, civitate donantium facto, licet illud Ennianum de Hannibale, quod refert alicubi Tullius, agnoſcere, (h) *hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginienſis, quiſquis erit, civitatis.* Quomodo etiam vel Siculum Mutinem, ob merita in populum Romanum, ſeu quod in Sicilia cum equitatu ſuo ad Romanos tranſierit, civem Romanum factum, tradunt (i) Livius & (k) Aſconius; vel Q. Lutatius Diodorus, qui Catuli ope a Sulla, teſte (l) Tullio, civitatem accepit; aut quod is alibi de eodem Sulla ait, (m) *Sulla cum Hiſpanos & Gallos donaret*, civitate nempe; & ibidem paullo ante de Pompeio, quod is Theophanem Mytilenæum (n) *in concione militum civitate donavit.* Ita, quod alibi ait in oratione pro Balbo Cicero: (o) *ad civitatem re-*

(g) In Mario p. 421.
(h) Pro Balbo c. 51.
(i) L. XXVII. c. 5.
(k) In Piſonian.
(l) In Verrem II. c. 37.
(m) Pro Archia c. 27.
(n) Ibidem c. 24.
(o) Cap. 52.

re-

recepti ex liberis fœderatisque populis; & quidem ex Transalpinis, aliisve, ut vel superiora arguunt, populi Romani provinciis, libera adhuc Republica: donec eadem civitas, cum integris etiam extra Italiam oppidis ac gentibus, extremis liberæ Urbis temporibus, ac dein sub Cæsarum imperio est paullatim latius communicata.

Quibus addi insuper hic debent *servi* subinde a Dominis, aut vero in publicum, de quibus (*p*) supra jam diximus, in urbe manumissi: aut vero, qui iisdem illis, de quibus nunc agimns, sive extremis liberæ Reipubl. temporibus, occasione bellorum civilium, a partium ducibus, ad libertatem traducti sunt subinde, ac inter cives continuo adsciti. Ita de servis a Cinna (*q*) ad pileum quidem, sed nemine tum accurrente, vocatis: haud ita vero diu postea, (*r*) agminatim ad eum transeuntibus, meminit haud uno loco Appianus: alibi vero a Sulla, plusquam decem servorum millia libertate simul ac civitate donata, & in Romanas tribus, ad ferenda suffragia, cum pleno proinde & optimo civium Romanorum jure, descripta: nempe, (*s*) ΤΩ δὲ ΔΗΜΩ ΤΟΥΣ ΔΟΥΛΟΥΣ τῶν ἀνῃρημένων τοὺς νεωτάτους καὶ εὐρώστους μυρίων πλείους ἐλευθερώσας ΕΓΚΑΤΕΛΕΞΕ, καὶ ΠΟΛΙΤΑΣ ἀπέφηνε ΡΩΜΑΙΩΝ. *PLEBI INSERUIT ex proscriptorum servis, florentissimum quemque ætate & viribus, plusquam decem mille libertate AC CIVITATE ROMANA donatos.* Quo consilio factum itidem, ut *servi pastores* a (*t*) Pompeio, ad militiam equestrem; & dein alii quoque ab uno ex ejus præfectis (*u*) Domitio vel a filio etiam (*x*) Pompeii, ad complendam eorum classem sint traducti, ut id in Cæsaris de Bello Civili libris traditur. Adde ab illo acerrimo Cæsaris adversario Catone

(*p*) Cap. III. p. 20. 21.
(*q*) Bell. Civ. L. I. p. 389.
(*r*) Ibid. p. 592.
(*s*) Ibid. p. 413.
(*t*) Bell. Civ. L. I. c. 24.
(*u*) Ibid. c. 57.
(*x*) Ibid. L. III. c. 5.

moni-

monitos similiter, juxta Auctorem Belli Africani, Uticenses, (y) *UT SERVITIA MANUMITTERENT, oppidumque defenderent.* Ut jam de P. Sulpicii, Marianæ juxta Cinnam factionis antesignani, servo sileam; qui, quum ejus indicio esset retractus e latebris & occisus Sulpicius, manumissus est quidem, sed mox ob scelus proditi domini, ut id in (z) Epitome Liviana legitur, e saxo dejectus. Nempe prout id constitutione quadam posterioris ævi Imperatorum Gratiani & Collegarum decretum in Codice legimus: (a) *SERVUM domini delatorem jubemus, in exemplum omnium proditorum, severissimis sententiis subjugari, ETIAM SI OBJECTA PROBAVERIT.*

(y) Cap. LXXXVII.
(z) Epist. LXXVIII.
(a) Leg. VI. C. de Delatoribus.

II.

II.

De CIVIBUS ROMANIS A JUL. CÆSARE AD ANTONINUM PIUM.

CAPUT XV.

De civitate *a J. CÆSARE* peregrinis *subinde* ac oppidis *etiam integris vel data vel* vendita. *De eadem toti* Siciliæ, *post ejus mortem, velut ex illius commentariis, data. Loca eam in rem e Cicerone ac Dione.* Latinæ *tamen* conditionis *pleræque* Siciliæ *Urbes adhuc ævo Plinii.*

EQUIDEM civitatis Romanæ extra Italiam, ac integris quidem, ut modo dicebamus, oppidis, impertitæ initium a JULIO CÆSARE factum est: a quo præter *Gaditanos*, sub initium belli civilis, ac secundo ejus consulatu, & confirmato iis a populo, ut paullo ante diximus, jure, civitate jam donatos,

natos, victis postea in Hispania Pompeii liberis, idem ex iis, quorum in ea gente benevolentiam fuerat expertus, (a) *aliis agros & immunitatem, aliis CIVITATEM, aliis ut essent coloniæ Romanorum, largitus*, a Dione, quod itidem supra vidimus, dicitur: ἔδωκε μὲν χωρία, καὶ ἀτέλειαν ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ τέ τισι, καὶ ἄλλους ἀποίκους τῶν Ῥωμαίων νομίζεσθαι· Adeo ut haud immerito sua in eam provinciam, neque unius generis, beneficia prædicare legatur Cæsar apud (b) Auctorem de bello Hispaniensi. Accedit, quod ante Cæsaris obitum, & quum is solus rerum potiretur, civitas *peregrinis* ad ejus lubitum deinceps sit data; uti, teste (c) Tranquillo, omnibus medicinam in Urbe professis, & liberalium artium doctoribus: prout olim Archagathum medicum, e Peloponneso Romam, anno U. C. DXXXV. profectum, jure Quiritium donatum, emptamque ei de publico tabernam, tradit (d) Plinius. Ita Siculo cuidam Demetrio Megæ, & rogatu quidem, ut ipsemet id tradit, (e) Ciceronis, ac interventu Dolabellæ, data a Cæsare civitas: adeo ut citra senatus vel populi consensum, beneficium illud, quibus vellet, Cæsar pro imperio tum largiretur; aut vero qui gratia apud eum valebant, aliis & indignis etiam illud vendere non dubitarent. Quam in rem exstant ejusdem Tullii verba in Epistola ad Acilium Siciliæ proconsulem: (f) *Cumque propter sordidos quosdam homines, qui Cæsaris beneficia vendebant, tabulam in qua nomina CIVITATE DONATORUM incisa essent, revelli jussisset, eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse quod de Mega vereretur: beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, ut eum CIVIUM ROMANORUM numero haberes.* Adeo ut jus illud, quod quondam

(a) L. XVIII. p. 233.
(b) Cap, 42.
(c) In Cæs. c. 42.
(d) L. XIX. Sect. 6.
(e) L. XIII. Epist. 6.
(f) Ibidem.

dam ne Senatus quidem (*g*) citra populi consensum tribuere cuiquam solitus, & inde quod *populi jus* exstitisse (*h*) alibi apud Livium dicitur; (haud aliter nempe ac idem in danda civitate apud Athenienses obtinuisse, ut nonnisi plebiscito, & iterato quidem, conferri eadem posset, in (*i*) oratione in Neæram traditur) jam ad unius hominis arbitrium, & quidem ut venale etiam esset beneficium, fuerit impertitum. Neque vero jam uni vel alteri Siculo, sicut illi Demetrio, quem modo diximus, Megæ, sed mox toti Siciliæ civitas, velut ejusdem J. Cæsaris testamento, lata ea de re lege, a M. Antonio est concessa, & quo nomine queritur apud Atticum suum Tullius: (*k*) *Scis quam diligam Siculos, & quam illam clientelam honestam judicem: multa illis Cæsar, neque me invito, etsi Latinitas erat non ferenda: verumtamen ecce autem Antonius accepta grandi pecunia, fixit legem a Dictatore comitiis latam, qua SICULI CIVES ROMANI, cujus rei, vivo illo, mentio nulla.* Quod factum tangit similiter alibi: (*l*) *CIVITAS DATA non solum singulis, sed etiam nationibus & provinciis universis a mortuo:* ac rursus: *CIVITAS non jam sigillatim, sed Provinciis totis DABATUR.* Ad quæ verba respicit Dio, ubi habitam hanc a Tullio orationem refert, & qua de eodem Antonio inter alia dicitur, multa cum Cæsaris acta evertisse, multa in commentarios ab eo relictos intulisse, & quidem (*m*) καὶ γὰρ χώρας, καὶ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ, καὶ ἀτέλειαν, καὶ ἄλλας τινὰς τιμὰς, τούς τε ἔχοντας, ἀφῄρηται, καὶ ἰδιώτας, καὶ βασιλέας, καὶ πόλεις, καὶ τοῖς μὴ λαβοῦσι δέδωκε, παραποιησάμενος τὰ τοῦ Καίσαρος ὑπομνήματα. *Agros CIVITATES, immunitates, aliosque id genus honores iis, quibus Cæsar ea dederat, privatis, regibus, urbibus, ademit: aliis ea adtribuit, corruptis ob hanc rem Cæsaris commentariis.* ac, ut addit, illis, qui ejus postulatis non satisface-

(*g*) L. VIII. c. 21.
(*h*) L. XXXVIII. c. 36.
(*i*) Demosth. p. 519. & 530.
(*k*) L. XIV. Epist. 12.
(*l*) Philipp. I. c. 10.
(*m*) XLV. p. 281.

rent, ea eripiens; aliis, qui quod petiisset, darent, ea atque alia vendens. Id quod jam antea, ubi testamenti relictas a J. Cæsare tabulas nactus esset Antonius, ab eo factum, retulerat idem *(n)* Dio: eum nempe, quasi ex Cæsaris præscripto, *aliis libertatem*, *aliis CIVITATEM*, *aliis immunitatem vendidisse*, τοῖς μὲν ἐλευθερίαν, ἄλλοις ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, ἄλλοις ἀτέλειαν πωλῶν. Quamquam non eo mortui Cæsaris beneficio, seu civitatis jure donatam continuo Siciliam, aut ea largitione deinceps gavisam, sed ea potius, quam illi provinciæ adhuc, uti ex adductis Tullii verbis liquet, indulserat, *Latinitate*, liceat ex Plinio percipere. Ab eo certe in describenda Sicilia, suo adhuc ævo una traditur *(o)* *Messana, civium Romanorum*; aliquot vero coloniæ, *Syracusæ*, *Taurominium*, *Thermæ*, *Tyndaris*: pleræque autem, quas ibidem enarrat, illius Insulæ urbes, dicuntur *Latinæ conditionis*. Unde etiam illustratur id, quod de Augusto refert *(p)* Dio, eum in Siciliam profectum, rebus in ea provincia ordinandis, Syracusisque & aliis quibusdam coloniis Romanorum ut essent, destinatis.

(n) L. XLIV. p. 268.
(o) L. III. c. 8.
(p) L. LIV. p. 525.

CAPUT

CAPUT. XVI.

De civitate *ab AUGUSTO* data, *aut* adempta *e Sueton. Dione Cassio. De venali* Romanorum civitate,*uti olim Atheniensium,e Dionysio Halic. & Demosthene.De* manumissis & libertis, *neq;una eorum conditione. Ejusdem Dionysii Halicar. & Constitutionum Imperialium ea de re testimonia. De variis* Hispaniæ Coloniis & Municipiis *sub AUGUSTO ac TIBERIO, e Plinio, ac e Nummis & Inscriptionibus antiquis.*

ENimvero hoc dandæ civitatis beneficium, usurpati jam a Cæsare illius juris exemplo, ad se quoque transtulerunt ejus successores; & quidem ut in eo largiendo parciores alii, alii vero liberaliores aut securi nimium extiterint. De AUGUSTO nempe tradit Suetonius: (*a*) *CIVITATEM ROMANAM parcissime dedit: dein & Liviæ pro quodam tributario Gallo roganti civitatem, negavit, immunitatem obtulit:* adfirmans, *se facilius passurum fisco detrahi aliquid, quam CIVITATIS ROMANÆ vulgari honorem.* Unde etiam ne venalis apud alios evaderet eorum civitas, Atheniensibus, ne quem civem accepta pecunia facerent, interdixisse Augustus apud (*b*) Dionem dicitur. Quod utique dudum apud Athenienses invaluisse, ut venalis nempe esset eorum civitas, ac unde hic Dionis locus haud parum illustratur, docet insignis & de quo obiter supra jam egimus eam in rem apud Demosthenem locus, ubi quum magnum quid Athenis, immo majus omni

(*a*) In Augusti. c. 40. (*b*) L. LIV. p. 525.

beneficio, habitam a majoribus civitatem dixiſſet, addit continuo: *(c)* Νῦν δὲ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, φθόρους ἀνθρώπους οἰκοτρίβων οἰκότριβας, ΤΙΜΗΝ, ὥσπερ ἄλλου τινὲς ΤΩΝ ΩΝΙΩΝ, λαμβάνοντες, ΠΟΙΕΙΣΘΕ ΠΟΛΙΤΑΣ. *nunc vero Athenienſes, homines perditos, ſervos ſervis genitos, accepto tanquam pro ALIIS MERCIBUS PRETIO, CIVES FACITIS*: & quomodo *(d)* alibi abjectum & vile dicit factum hoc civitatis Athenienſium donum, præ turpis lucri ſtudio eorum, qui illius urbis honores ac præmia levi omnino lucello addicerent. Quum alioquin, ſervis lege vetitum Athenis civitatem dare, tradat, ut id jam antea vidimus, *(e)* Dio Chryſoſtomus. Idem vero Romanæ civitatis ſuo ævo, ac proinde ſub Auguſto, quale extremis liberæ Reipublicæ, ac poſt Jul. Cæſaris obitum, temporibus, modo adtigimus, fatum deplorat alicubi Halicarn. *(f)* Dionyſius. Ubi nempe e manumiſſis plurimos olim gratis, ac honeſtatis & probitatis merito, libertatem ac inde (uti ea de re ante) civitatem conſequutos docet; paucos autem numerato pretio, quod labore per jus & fas conquiſiviſſent. Verum non ita, quod addit, ſuo tempore quo talis ſit rerum confuſio, ac adeo ad ſordes & ignominiam degeneraverit Romanorum probitas; ut e quibusvis & graviſſimis etiam flagitiis, collecta pecunia, libertatem redimant ſcelerati quique & impuri, καὶ εὐθύς εἰσι Ῥωμαῖοι, *& ita Romani cives continuo fiunt*: ac, ubi plures adhuc nefandas aut propudioſas nequiſſimorum ſervorum libertatem conſequendi artes enarraſſet, ſubdit, eorum adſpectum & conſuetudinem a plerisque reſpui, *(g)* ὡς οὐ πρέπον ἡγεμονικῇ πόλει, καὶ παντὸς ἄρχειν ἀξιούσῃ τόπου, ΤΟΙΟΥΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ ΠΟΙΕΙΣΘΑΙ. *Quo indignum clamant, Urbem rerum dominam, & totius orbis*

(c) Πε:.Συντάξ.p. 100.
(d) Actu. Ariſtocrat. p. 457.
(e) Orat. XV. p. 235.
(f) Antiq. L. IV. p. 227.
(g) Ibid. p. 228.

im-

imperium consequutam, *TALES CIVES ADSCISCERE*. Quam tamen inductam a Servio Tullio, ut supra vidimus, in manumittendis legem seu consuetudinem, & qua tot indignis civibus fœde urbs inquinatur, non ideo tollendam censet ibidem Dionysius; sed alia ratione, seu a Censoribus providendum, ut in agendo censu digni tantum civitate in tabulas referantur: scelerata vero & impura multitudo, honesta aliqua specie, foras seu in coloniam ablegaretur. Quod etiam brevi, ut hoc addam, ac sequutis adhuc temporibus, variis legibus & constitutionibus, quibus effrena hæc manumissionum, ac inde datæ civitatis licentia coerceretur, est provisum; sicuti celebratis illis legibus Junia Norbana, Ælia Sentia, Fusia Caninia, aliisque, & quarum peculiares exstant in jure Justinianeo tituli; nempe, *(h) Qui & a quibus manumissi, liberi non fiunt*, addo, nec proinde cives Romani: aut, *(i) Ne quibusvis ex caussis manumittere liceret*; sed justa & probata, uti ea de re in iisdem *(k)* legibus præcipitur, apud judices caussa. Qua ratione itidem cautum jam olim ex eadem juris penu constat, *(l)* ne omnes manumissi continuo Romani cives fierent: sed ii demum, *qui*, ut verbis utar Imp. Justiniani, *(m) magnam & justam libertatem consequebantur*, id est, *fiebant CIVES ROMANI*; non vero qui *minorem*, ut ibidem additur, aut *inferiorem* demum libertatem erant adepti: quorum illi *Latini*, seu Latinæ conditionis fiebant ex lege Junia Norbana: hi vero, *Dedititii*, ex lege Ælia Sentia: neutri vero cives Romani. Immo quomodo provisum insuper, latis ea de re Imperatorum constitutionibus, & de quibus jam ante, legitur, ut qui e manumissis Romani cives forent, amissa civitate, nempe tanquam in

(h) Dig. Lib. XL. Tit. IX.
(i) Instit. Lib. V. Tit. VI.
(k) Leg. IX. & XVI. D. de Manumis. vindict. Inst. Tit. VI. 6.
(l) Eodem & Ulp. Tit. I. s. 13.
(m) Inst. de Libertin. 3.

domi-

dominos ingrati, (n) *Latini* tantum fierent. Nam alioquin *a primis Romis cunabulis,* quod obſervat, poſt adducta modo ejus verba, Juſtinianus, *una atque ſimplex libertas competebat, id eſt, quam habebat manumiſſor:* ac proinde civis quoque Romanus factus juxta manumiſſorem manumiſſus. Unde etiam in quadam Diocletiani conſtitutione dici in genere videas: *(o) CIVES origo, MANUMISSIO adlectio, vel adoptio FACIT.* Auguſtum vero in id ſedulo incubuiſſe, ne promiſcuis id genus ac indignis, quas eo ævo tum maxime invaluerunt, uti de iis modo querentem vidimus Dionyſium, manumiſſionibus, Romanæ civitatis honor vilior evaderet, vel ex Suetonio conſtat, qui de hoc principe ait: *(p) & manumittendi modum terminavit:* mox: *cum & de numero, & de conditione, ac differentia eorum, qui MANUMITTERENTUR curioſe caviſſet, hoc quoque adjecit, ne vinctus unquam tortuſque quis, ullo libertatis genere CIVITATEM adipiſceretur.* Quod poſtremum a (*) Theophilo J. C. monitum proinde inter alia videas, ut ſervus manumittendus nullum eſſet ignominiæ genus perpeſſus: quod ſi ignominiæ nota ſuberat, *manumiſſus* fiebat *Dedititius.* Quibus alioquín *manumiſſionum,* ac inde Romanæ civitatis indignitatibus præcavendis, (quæ poſtea legum ſeveritas aliis dein legibus fuit mitiganda) reſpexerat itidem illud Auguſti in extremis ad Tiberium ac ad Senatum populumque Romanum mandatis, prudens inter alia monitum, quod apud Dionem legitur, & qui ex adducto Dionyſii, coævi Auguſto ſcriptoris, ut diximus, loco, haud parum illuſtratur: *(q)* Καὶ τὸ τέταρτον, ἐντολὰς καὶ ἐπισκήψεις τῷ Τιβερίῳ καὶ τῷ κοινῷ ἄλλας τε, καὶ ὅπως ΜΗΤ' ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΩΣΙ ΠΟΛΛΟΥΣ, ἵνα μὴ παντοδαποῦ ὄχλου τὴν πόλιν πληρώσωσι. ΜΗΤ' ἂν ΕΣ ΤΗΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ συχνοὺς ἐσγράφωσιν, ἵνα πολὺ τὸ διάφορον αὐτοῖς πρὸς τὸ ὑπήκοον ᾖ, *quarta mandata Tiberio ac Rei-*

(n) Leg. I. C. Th. de Herod. Petit.

(o) Leg. VII. Cod. de Incolis.

(p) In Auguſto c. 40.

(*) Inſt. de Libertin. 3.

(q) Lib. LVI. p. 541.

publicæ

publicæ data, interque alia, NE Multos MANUMITTERENT, ne promiscua turba urbs impleretur: NEVE MULTOS JURE CIVITATIS DONARENT, quo magnum inter ipsos & subjectos discrimen remaneret. Adeo ut vel inde etiam, seu e postremis hisce verbis vel mandatis constet, quam moriens alienus adhuc fuerit ab amplectendo eo consilio Augustus, quod ei dudum dedisse Mæcenas alibi apud eundem Dionem legitur, cujusque loci obiter & alia occasione facta est jam ante a nobis mentio, *(r)* ὥστε καὶ ΤΗΣ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ΠΑΣΙ σφίσι ΜΕΤΑΔΟΘΗΝΑΙ, φημὶ δεῖν, ἵνα καὶ ταύτης ἰσομοιροῦντες, πιστοὶ σύμμαχοι ἡμῖν ὦσιν, ὥσπερ τινὰ μίαν τὴν ἡμετέραν πόλιν οἰκοῦντες, καὶ ταύτην μὲν ὄντως ΠΟΛΙΝ, τὰ δὲ δὴ σφέτερα ἀγροὺς καὶ κώμας νομίζοντες εἶναι. *ut insuper addam OMNIBUS iis* (nempe imperio subjectis) *CIVITATEM ESSE DANDAM; ut hujus quoque participes, fideles nobis socii sint, nostram quasi unicam urbem ipsi quoque incolentes, eamque vere urbem, suas autem patrias agros demum & pagos reputantes.* Quod equidem consilium, quo omnes in orbe Romano, sublato nempe omni inter eos discrimine, cives Romani continuo fierent, nec sequutus est, ut vidimus, qui & contrarium prorsus ultimis tabulis mandavit, Augustus; nec nisi duobus circiter ab ejus morte seculis, constitutione Antonini Imperatoris, de qua infra dicetur, & cujus occasione, suscepta est omnis hæc commentatio, est demum sancitum. Id tantum de Augusto, quoad illam Romanæ civitatis communicationem adtinet, refert Suetonius: *(s) civitates merita erga populum Romanum adlegantes, immunitate, vel CIVITATE donavit.* Quod postremum a Dione similiter tangitur; Augustum nempe Gallicis, Germanicis, & Hispanicis bellis confectis, *(t)* τήν τε ἐλευθερίαν καὶ ΤΗΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, τοῖς μὲν δοὺς, τοῖς δὲ ἀφελόμενος, *libertatem ac JUS CIVITATIS aliis dedisse, aliis ademisse.* Adeo ut ultimo quidem hoc facto,

(r) Lib. LI. p. 370.
(s) In August. c. 47.
(t) Lib. LIV. p. 538.

a ma-

a majorum institutis religiose adeo libera adhuc Urbe, quod antea vidimus, servatis discesserit, Antonii, de quo paullo ante, aut Sullæ, de quo supra, exemplo, ac uti dein a Claudio etiam factum dicetur, Augustus: quibus nempe institutis, data semel civitas non poterat invito etsi tum hosti, ac in armis contra Urbem, ut supra de Volaterranis dictum, eripi. Quam in rem utique memorabilia sunt Ciceronis verba: *(u) Tum igitur majores nostri populares non fuerunt, quæ nec vis temporum* (Syllanorum nempe) *nec potentia magistratuum, nec res tum judicata, nec denique universi populi Romani potestas, quæ cæteris in rebus est maxima, labefactare possit.*

Prius vero illud Augusti beneficium, datæ nempe pluribus oppidis civitatis, arguunt etiamnum, ac unde adductis ea de re Tranquilli ac Dionis verbis, lux & auctoritas accedit, ea, quæ in residuis hactenus illius Principis nummis, inscripta leguntur cum MUNICIPII appellatione oppida; & cujusmodi nos olim protulimus, ac descripserunt quoque & divulgarunt celebres antiquarii; cum pridem, varia quod adtinet Hispaniæ municipia, Ant. Augustinus; tum nuper peculiari opere, de hisce antiquitatibus præclare meritus, Jo. Vaillant. Qualia nempe signantur in Augusti nummis *Hispaniæ Municipia*, illiusque vel *Ulterioris*, ut a Romanis, dicebatur, BILBILIS, unde *municipes Bilbilitani*, a (x) Bilbilitano poeta appellati: & quæ dicta est duorum Imperatorum Trajani ac Hadriani, etsi hic Romæ sit natus, patria, ac de qua etiam obiter supra, ITALICA: vel *Citerioris Hispaniæ*, CALAGURIS, ERGAVICA, ILERDA, TURIASO; & quibus addi debent, etsi hactenus in nummis Tiberii inscripta itidem tantum compareant, MUNICICIA, HIBERA, ILERGAVONIA, DERTOSA, GRACCURIS, CAS-

(u) Pro Domo c. 80.

(x) Martial. L. X. Epig. 103.

CAN-

CANTUM, OSICERDA; ac unde apud Plinium (y) *Osicerdenses*, non *Ossigerdenses*, bene autem juxta nummos apud Ptolemæum Οσικέρδα, ut obiter id tangam, quod præteriit postremus ac eruditus Plinii editor, legendum liquet. Etsi negotium hic facessere videatur idem Plinius, dum eosdem (z) *Osicerdenses*, uti & *Cascantes*, *Ergavicenses*, *Graccuritanos*, ac præterea *Leonicenses*, non oppida Civium Romanorum, sicut dicta ante municipia, *Calagurim*, *Ilerdam*, *Turiasonem*, sed *Latinorum veterum* vocet. Quum tamen indubia sit nummorum illorum, qui MUNICIPII appellationem iis civitatibus tribuunt, & quales ipsimet haud semel cum in Italiæ gazis, tum maxime in Regiis Gallorum thesauris versavimus, fides: nec statuendum videatur, ab Augusti vel Tiberii temporibus, imminutam eorum oppidorum sortem, ut e municipiis civium Romanorum, eædem coloniæ, & quidem Latinæ, seu cum Latii demum jure, fierent. Nisi id sub Vespasiano dicatur contigisse; a quo datum universæ Hispaniæ Latium, uti ea de re postea, tradit in fine ejusdem capitis Plinius. De *Celsa* quidem Tarraconensis Hispaniæ, ac in ea Cæsaraugustani conventus oppido id tangit idem (a) Plinius; quod e colonia (& prout in antiquis illis nummis sub Augusto & Tiberio inscribitur, C. I. V. CELSA, *Colonia Julia Victrix Celsa*) eadem municipium evaserit: ut indicant ea, quæ non adsequuti videntur interpretes, auctoris illius verba, *in his* (populis) *civium Romanorum*, *Bilbilitanos*, *Celsenses ex colonia*, factos nempe cives Romanos, seu municipes, prout (b) *civium Romanorum municipia* dicuntur ab eodem Plinio, quod jam monui, alia, quæ eo jure gaudebant, Hispaniæ oppida. Neque superiora Plinii verba, de Latinis illis, seu cum jure Latii Hispaniæ oppidis, quæ *municipia* dicuntur in Augusti vel Tiberii nummis, tueri alioquin posset id, quod

(y) L. III. c. 3.
(z) Ibidem.
(a) Ibidem.
(b) L. IV. c. 22.

ex Hadriani de Hispanis Italicensibus, unde ortus erat, habita in senatu oratione refert Gellius: (c) mirari nempe Hadrianum, *quod & ipsi ITALICENSES, & quædam item alia MUNICIPIA ANTIQUA, in quibus UTICENSES nominat, cum suis moribus legibusque uti possent, in JUS COLONIARUM MUTARE gestiverint: contra autem Prænestinos*, *ut EX COLONIA* (sicut de Celsa, adductis modo verbis Plinius) *in MUNICIPII statum redigerentur*. Neque enim illa *Italicensium* vel *Uticensium* e municipiis, quomodo eadem in antiquis Augusti, & ITALICA etiam in Drusi junioris nummis, dicuntur, mutatio in colonias Latinas, quæ jure demum Latii, non vero, sicut aliæ civium Romanorum Coloniæ, Quiritium gaudebant, ac deterioris proinde erant conditionis, facta ibidem ab Hadriano traditur. Immo ubi de coloniis ei sermo, quæ, ut in sequentibus tangit idem Gellius, *jura institutaque populi Romani habent*, nec proinde erant Latinæ conditionis. Utrumque alias & *municipii & coloniæ* nomen iisdem oppidis, pro mutata quandoque eorum conditione in antiquis monumentis ac apud Auctores subinde tribui, qui in iis non sunt plane hospites, norunt, & adducto etiam haud uno ejus rei exemplo, supra vidimus. Cui addere hic liceat, nobilitatum olim in Romanorum Annalibus *Veios* oppidum, quod *Coloniæ* nomine a Frontino, *Augustum* vero *Municipium* dicitur in veteri marmore ante paucos annos ibidem effosso: cujusque recens tum reperti exemplar continuo ad me transmisit, meam de illo sententiam sciscitatus, quique illud postea in præclaro veterum Inscriptionum opere divulgavit, Cl. Fabretti. Ita eam, de qua modo apud Gellium, Hadrianus, in *Africa* UTICAM, itidem concesso MUNICIPII jure prius usam, arguunt ejus sub Tiberio nummi; quales in Regia Gallorum gaza a me olim visos pridem *(d)* indicavi,

(c) L. XVI. c. 13. *(d)* Diss. de præst. num. 5. 768.

nempe,

nempe, MUNICIP. JUL. UTICENS. D. D. P. aut in vulgatis nuper a diligenti (e) antiquario Coloniarum Cæsareanarum nummis, M. MUN. JUL. UTICENS. D. D. P. P. *Municipes Municipii Uticensis Decuriones Posuerunt*, seu, ut legendum contendit vir (f) eruditissimus, *Decreta Decurionum*; & quod in antiquis MUNICIPIORUM id genus inscriptionibus aliter subinde exprimitur, nempe *Ex D. DD.* h.e. *Ex Decreto Decurionum*. JULII vero appellationem municipiis aut coloniis ab Augusto demum deductis, subinde tributam, vel ex eadem nummorum penu constat: ac prout alioquin de Augusto, uti id jam notarunt alii, tradit Dio, (g) quod is *Uticensibus Civitatem dedit*, καὶ τὰς Ουτικαίους πολίτας ἐποίησεν, jus nempe, ut e dictis nummis & (h) Gellio liquet, municipii. Adde insuper *Hispaniæ* in aliis adhuc, quos olim in Pyrrhi Ligorii collectionibus notavimus, aut describit Goltzius, nummis, MUNICIPIA, ut Tarraconensis, (i) CARACCA aut CARACCENSES; in nummis Tiberii, & (k) Goltzii quidem fide, BARBUSOLA, BURDOA, LOBETUM, OLEASTRUM, OSCONABA, RAUDA, SAGUNTUM, de quo itidem Plinius, (l) *Saguntum civium oppidum Romanorum*; VOLOBRIGA: in (m) Germanici autem nummis, qui ad eadem proinde tempora respiciunt, BISCARGOS, & filii ejus Caii Cæsaris Augusti, ARABRIGA, quæ inter Lusitaniæ municipia refertur in veteri inscriptione apud (n) Gruterum, ac præterea DACTUVIUM, JULIOBRIGA, LEONICA; totidem, ut e priscis liquet Geographis, Hispaniæ oppida. Quibus vero *Hispaniæ* sub Augusto *municipiis* adnumerari continuo debet urbs *Emporiæ*, de qua nempe, ubi

(e) Jo. Vaillant. de Colon. num. p. 124. Tit. I.
(f) Harduin. Antirrh. p. 121.
(g) L. XLIX. p. 401.
(h) L. XVI. c. 13.
(i) In MSStis Ligorii.
(k) In Thesauro Antiquit.
(l) L. III. c. 2.
(m) In Thesaur. Goltzii.
(n) Thes. CLXII. 3.

docuisset (o) Livius, eam e tribus constitisse oppidis, quorum unum a Græcis Phocæensibus fuerit conditum; alterum ab Hispanis; tertium autem colonorum genus a Divo Cæsare post devictos Pompeii liberos adjectum, addit: (p) *nunc in corpus unum confusi omnes, Hispanis prius, postremo & Græcis IN CIVITATEM ADSCITIS*, & Augusti proinde ætate, qua vixisse & historias suas condidisse Livium constat. Cujus rei insuper, seu civitate donati illius oppidi fidem facit, & qui inde quoque illustrari merebatur Plinius, (q) a quo inter *oppida CIVIUM Romanorum*, in ora citerioris Hispaniæ, urbs illa Emporiæ adnumeratur: etsi non triplex, juxta Livium, sed geminum duntaxat, juxta (r) Strabonem, oppidum, ibi agnoscat Plinius, h. e. veterum, ut ait, incolarum & Græcorum, qui Phocæensium fuere soboles, seu ut apud Strabonem aliosque, (s) Massiliensium.

His autem accedunt varia, quorum subinde meminit Plinius, (t) *Siciliæ, Sardiniæ, Dalmatiæ, Illyrici, Istriæ*, &c. vel inscripta rursus in lapidibus antiquis, quos collegerunt ac in lucem emiserunt viri præclari, Hispaniæ itidem aliarumve regionum municipia, seu civium Romanorum oppida: quæ postrema, vel ex Goltzii, aut Gruteriani Thesauri, & Reinesiani Syntagmatis indicibus; aut e novissimo Cl. Fabretti, & Gudiano, quod prœla jam exercet, opere, poterit Lector percipere; uti insuper e vulgaris Sponii Miscellaneis, in quibus nonnulla etiam, præter quædam Italica, leguntur Hispaniæ MUNICIPIA, ut (u) SUDITANUM; aut Siciliæ & Lucaniæ *Strengoli*, juxta (x) Holstenium, ut ibidem memoratur,

(o) L. XXXIV. c. 9.
(p) Ibidem.
(q) L. III. c. 3.
(r) L. III. p. 160.
(s) Scylax p. Stephanus in Ἐμπόριον.
(t) L. III. Sect. 13. 14. 23. 26. 30. &c.
(u) Miscell. Spon. p. 189.
(x) Ad Ital. Cluver. pag. 307.

moratur, & (y) apud Gualtherum, (*) LILYBITANUM, & (z) PETILINORUM: in Africa itidem, ſeu prope Melitam, Inſulæ, quam olim vidimus, (a) GAULITANUM. Verum de qua inſcriptionum ætate, aut quando datum iiſdem oppidis jus illud *municipii*, haud licet quid certi ſtatuere, nec eadem proinde ad Auguſti vel Tiberii ævum, ſi pauca mittas, continuo referre: id quod cæteroquin de alio Hiſpaniæ Tarraconenſis municipio dici poteſt, quod nempe MUNICIPIUM URGAVONE, ſeu Urgavonenſe in veteri (b) lapide, qui L. CÆSARI AUGUSTI FILIO, quem hic Princeps, ut vulgo notum, cum Caio fratre adoptavit, eſt dicatus. In quibus autem, quod obiter hic monendum eſt, adductis paullo ante *Hiſpaniæ municipiorum* nummis, bovem, qui ſubinde in averſa eorum parte conſpicitur, proprium eſſe municipii in iiſdem ſymbolum, ſtatuit, ſubinde in præclaro de (c) Coloniis Romanis ſub Imperatoribus opere, vir in hac palæſtra antiquaria valde exercitatus. Cui tamen, ne continuo accedam, obſtat, quod in eadem veteri nummorum ſupellectile, occurrat paſſim ſimilis bovis effigies: qua, & quod idem eximius vir alibi (d) etiam agnoſcit, non municipia ſolum, ſed coloniæ, tanquam agri ad arandum eis conceſſi intuitu, ſignantur: aut fertilitatis eorundem locorum, ſicut in variis quoque Græcarum urbium aut regionum nummis, inſigne denotat. In *Gallia* vero *Narbonenſi* plura quoque oppida civitate ſub Auguſto donata, liceret e Strabone colligere, uti a Lipſio (e) ad Tacitum fieri video, ubi de *Cavaris* in altera Rhodani ripa agens, ait eos ne barbaros quidem amplius

(y) In Italia p. 145.
(*) Miſc. Spon. p. 184.
(z) Ibid. p. 196.
(a) Ibid. p. 192.
(b) Grut. Theſ. CCXXXIV. 6.
(c) Jo. Vaillant. I. p. 30. & 37.
(d) Ibid. p. 105.
(e) Ad Annal. XV. c. 23.

eſſe,

esse, qui jam omnes Romanam formam, linguamque, & vitæ rationem, *quidam* etiam, ut ibi interpres (*f*) *civitatem adepti*, τινὰς δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ, nisi ea voce ibi, pro solita itidem hujus vocis apud Græcos Auctores significatione, non tam data Romana civitas debeat intelligi, quam regiminis seu reipublicæ eorum locorum forma; adeo ut linguam aliamque vitæ rationem, ad Romanorum morem ac instituta dicantur accommodasse iidem Cavari. Neque enim vel caput gentis *Narbo*, vel alia præcipua illius Provinciæ oppida, & a Romanis frequentata, *Nemausus*, *Biterra*, *Arausio*, *Avenio*, *Arelate*, aliaque, totidem municipia civium Romanorum, sed coloniæ; & quædam ex iis Latinæ tantum, uti de *Nemauso*, etsi potissimo tum illius oræ, juxta Strabonem, (*g*) emporio, Plinii etiam ævo leguntur (*h*) exstitisse. *Comatæ* quidem *Galliæ*, ac *Transalpinæ* proinde, primoribus, sed adhuc, qua de re agentem in rebus Claudii Tacitum supra vidimus, & mox dicendi adhuc erit locus, sine suffragio datam sub Augusto, dum Galliam nempe peragravit, vel nonnullis ante sub Julio, civitatem; singulatim nempe iis, qui de nomine Romano erant bene meriti: non vero universis adhuc illius gentis oppidis, licet omnino statuere. Quomodo etiam id subinde in amicorum gratiam factum constat; ut natales eorundem urbes, plurima a Cæsaribus beneficia, sicut autonomiæ, libertatis, immunitatis, restitutæ civitatis, uti (*i*) Alexandrinis Arius ab Augusto impetravit, & quandoque jus civitatis Romanæ adipiscerentur.

Cujusmodi certe largitionis, de qua hic agitur, exempla in Principe minime cæteroquin benigno, CAIO, nempe CALIGULA commendat, in literis ad eum scrip-

(*f*) L. IV. p. 187.
(*g*) Ibidem p. 181.
(*h*) L. III. c. 4.
(*i*) Themist. Orat. XIII. p. 173.

tis

tis apud Philonem, *(k)* Rex Agrippa, *φίλων ἐνίων πατρίδας ὅλας τῆς Ῥωμαϊκῆς ἠξίωσας πολιτείας, amicorum aliquot patrias integras civitate Romana donasti.* De quo alioquin Caio, tanquam jus illud Romanæ civitatis a prioribus ante se Principibus datum, præter fas eorundem civium posteris adimente, refert Suetonius: *(l) Negabat jure civitatem Romanam usurpare eos, quorum majores SIBI POSTERISQUE eorum impetrassent, nisi filii essent. Neque enim intelligi debere POSTEROS, ultra hunc gradum. Prolataque Divorum Julii & Augusti diplomata, uti vetera & obsoleta deflebat,* seu, ut eruditi e vestigiis veterum codicum, *deflabat.* Quod nempe prorsus iniquum erat ac absurdum, & in fraudem concessi illius Romanæ civitatis juris, servatæque hactenus perpetuæ ea in re, ut e Romanarum rerum Scriptoribus manifestum, consuetudinis; vel cæteroquin ab obvio ac usitato in omni actorum apud Romanos genere, aut immunitatum largitione, vocis *posterorum*, ut e libris juris civilis notarunt jam ad eum Tranquilli locum viri docti, erat plane alienum. Immo quod veteres datæ Romanæ civitatis *(m)* tabulæ adhuc superstites liquido comprobant; etsi in iis, consueta in talibus formula, & solita vocis *posterorum*, quæ ultra *liberos* extenditur, significatione, non *sibi posterisque* dicitur, sed *IPSIS LIBERIS POSTERISQUE EORUM CIVITATEM DEDIT*, Vespasianus nempe, vel Domitianus, aut Hadrianus, & qua de re mox, ubi de iis Principibus, sermo, seu data sub iis civitate, agetur. Nempe quomodo a prisco Jurisconsulto dicitur: *(n) Vacatio itemque immunitas, quæ LIBERIS ET POSTERIS alicujus data est,* &c.

(k) Legat. ad Caium p. 1032.
(l) In Caligula c. 38.
(m) Gruter. Thes. DLXXIII. 1. 2. 3. &c.
(n) Leg. XIII. D. de Mun. & Honor.

CAPUT

CAPUT XVII.

De civitate *data sub CLAUDIO, Senecæ loca ea de re expensa. Unde D. Paulus se civem Romanum dixerit, Viri magni sententia ea de re adducta & confutata. De* Judæis *olim donatis Romana civitate, aliisve eorum honoribus, e Philone, Josepho, Modestino. Ejusdem Modestini locus de superstitione Judæorum, non Christianorum; contra Alciatum, Budæum, aliosve Jurisconsultos, adsertus & explicatus. Dionis Chrysostomi de* Tarso *civitate loca adducta, & illustrata.*

CLAUDIUM, patruum ejusdem Caii & successorem quod adtinet, is pro varia Principis illius indole, modo severe, modo humaniter, aut vero temere vel sordide, in concedenda, neganda, aut in adimenda etiam civitate se gessit. Hinc de eo Suetonius: (a) *Civitatem Romanam usurpantes, in campo Esquilino securi percussit*: alibi autem, naves mercaturæ caussa fabricantibus, magna commoda constituisse Claudium: *(b) Civi vacationem lege Papia Poppæa, Latino jus Quiritum*; nempe non qui Latium incolebant Latini, lege Julia civitatem dudum jam adepti, sed Latinæ conditionis homines, quos nave non minori, quam decem millium modiorum fabricanda, ex hoc Claudii edicto, civitatem, quod ad

(a) In Claudio c. 25. *(b)* Ibidem cap. 19.

eum

eum Tranquilli locum opportune jam vidit Torrentius, consequutos tradit *(c)* Ulpianus. Sic apud *(d)* Dionem, legatum quendam, Lycium origine, sed patria Romanum, Latine interrogasse dicitur Claudius; ac non intelligenti, quid quæsivisset, civitatis jus (pro ea nempe, quam præter avita Civium Romanorum jura, uti ea de re jam ante, potestatem sibi arrogarant Cæsares) continuo ademisse: quum diceret, Romanum eum esse non debere, qui eam linguam nesciret. Eundem vero Claudium, *Galliæ* non solum *Comatæ* primoribus civitatem, quam ii jam ante, sed sine honorum petendorum jure erant adepti, cum optimo illo Civium Romanorum beneficio, ut supra e Tacito vidimus, concessisse; sed eandem civitatem universæ *Comatæ Galliæ* ab eodem Principe impertitam, indicare videtur Seneca, præclaro ea de re loco, & de quo alioquin ad Tacitum silent viri docti. Exstat ille Lib. VI. de Benef. cap. 19. *Quid ergo:* inquit, *si Princeps CIVITATEM dederit OMNIBUS GALLIS, si immunitatem Hispanis, nihil hoc nomine singuli debebunt? Quidni debeant? debebunt autem non tanquam proprium beneficium, sed tanquam publici partem. Nullam,* inquit, *habet cogitationem mei. Illo tempore quo universis proderat, noluit mihi proprie CIVITATEM DARE: nec in me direxit animum. Itaque quare ei debeam, qui me sibi non substituit, cum facturus esset quod fecit? Primum cum cogitavit GALLIS OMNIBUS prodesse, & mihi cogitavit prodesse: eram enim Gallus, & me etiam, si non mea, PUBLICA tamen NOTA comprehendit.* Quibus nempe verbis ad illud, cujus Tacitus meminit, & de quo mox, Claudii factum respici, quo universæ *Galliæ Comatæ* civitas sit ab eo data, notat ad eum Senecæ locum, de quo ad Tacitum siluerat, Lipsius. Quod præterea a Principe, ut hoc addam, in eadem Gallia Comata, Lugduni quippe nato, in popula-

(c) Fragm. Titul. III. (d) L. LX. pag. 676.

rium ſuorum gratiam factum liceret continuo ſtatuere; quippe (*e*) alibi ab eodem Seneca, *Marci* (*Antonii* forte, materni ejus avi, in cujus etiam nummis LUGDUNI exſtat ſignatum nomen ac loci typus, aut verius non *Marci*, ſed *Munatii* nempe *Planci*, quod viderunt jam alii) *municeps* vocatur. Cui tamen Lipſianæ de priori illo Senecæ loco interpretationi haud pauca obſtant: uti quod nec id e (*f*) Tacito, ubi ea de re agit, & de Gallorum tantum qui adepti erant jam ante civitatem, ſicut Æduorum, de quibus idem poſtea, primoribus, liceat colligere: nec e Plinio, (*g*) ubi poſt Claudii fata, Galliam Comatam, variaſque in eadem gentes ac civitates, quæque inter eas liberæ, aut fœderatæ, aut Romanorum coloniæ demum forent, tangit. Adde, nec ex iis, quæ de *Gallia Narbonenſi* a Romanis magis frequentata, neque tamen jus illud civitatis adhuc adepta: aut de *Hiſpania*, quæ præ aliis provinciis Romanorum confluxu florebat dudum, paullo ante diximus, vel adhuc in ſequentibus dicetur de *Latii* tantum *jure*, quod ei conceſſerit Veſpaſianus: quæ omnia, inquam, obſtant, ne toti illi, qua late patebat, *Comatæ Galliæ*, cujuſque incolæ pro barbaris a Romanis etiam tum habiti, civitas a Claudio impertita ſtatuatur. Adde, quod nec univerſæ Hiſpaniæ immunitatem tum a Claudio datam, quod utrumque conjungit ibi Seneca (*h*) *ſi Princeps civitatem dederit omnibus Gallis, ſi immunitatem Hiſpanis &c.* vel ex eodem, de quo modo, Plinio liqueat: nec etiam utrumque illud beneficium, tanquam a Principe jam Gallis & Hiſpanis revera datum, eadem Senecæ verba continuo adſtruant: immo quibus is videtur innuere voluiſſe, ſi Claudius civitatem dederit omnibus Gallis, uti data jam erat eorum primoribus, aut omnibus Hiſpanis, qua pluria inter eos jam

(*e*) In Ludo de morte Claudii.
(*f*) Annal. XI. c. 23. 25.
(*g*) L. IV. c. 17.
(*h*) De Benef. L. VI. c. 19.

gaude-

gaudebant oppida, teste eodem Plinio, immunitatem; quid tum singuli earundem gentium, qui ita alterutrius illius beneficii compotes forent, ea de re deberent statuere; & an id tanquam indultum sibi privatim a Principe illud donum, agnoscere. Quod ex alio rursus Senecæ loco luculenter adstruitur; ubi, sive in eleganti de Claudii morte satyrico libello, is cogitasse quidem dicitur, civitatem non omnibus solum Gallis, sed aliis etiam gentibus dare, ni mors eum prævenisset: *Sed Clotho: Ego me hercule,* inquit, *pusillum temporis adjicere illi volebam, dum hos pauculos, qui supersunt, CIVITATE DONARET. Constituerat enim omnes Græcos, GALLOS, Hispanos, Britannos, TOGATOS videre: Sed quoniam placet aliquos peregrinos in semen relinqui, & tu ita jubes fieri, fiat:* Quam autem, etsi jam ante receptam, at sub hoc Principe auctam mirum in modum Romanæ civitatis non largitionem solum, sed turpem nundinationem, docet, & quæ inde merentur omnino hic adscribi, Dionis ea de re verba: *(i)* Συχνοὺς δὲ δὴ καὶ ἄλλους ἀναξίους ΤΗΣ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ἀπήλασε, καὶ ἑτέροις αὐτὴν, καὶ πάνυ ἀνέδην, τοῖς μὲν κατ' ἄνδρα, τοῖς δὲ καὶ ἀθρόοις ἐδίδου. ἐπειδὴ γὰρ ἐν πᾶσιν, ὡς εἰπεῖν, οἱ Ῥωμαῖοι τῶν ξένων περοτετίμηντο, πολλοὶ αὐτὴν παρά τε ἐκείνου αὐτοῦ ᾐτοῦντο, καὶ παρὰ τῆς Μεσσαλίνης, τῶν τε Καισαρείων ΩΝΟΥΝΤΟ· καὶ διὰ τοῦτο μεγάλων τὸ πρῶτον χρημάτων πραθεῖσα, ἔπειθ' οὕτως ὑπὸ τῆς εὐχερείας ἀπευωνίσθη, ὥστε καὶ λογοποιηθῆναι, ὅτι κἂν ὑάλινά τις σκεύη συντετριμμένα δῷ τινὶ, ΠΟΛΙΤΗΣ ΕΣΤΑΙ. *Multos quoque alios indignos CIVITATE spoliavit; multis autem aliis singulatim, aut confertim eam & absque discrimine dedit. Quia enim omnibus fere in rebus, Romani peregrinis potiores habebantur, multi CIVITATIS jus ab ipso petebant, multi a Messalina, Cæsareanisque libertis REDIMEBANT. Itaque jus illud magna quondam pecunia venditum, adeo tunc vile factum est, ut vulgo jactatum fuerit, etiamsi quis alicui vasa vitrea confracta dedisset, CIVEM ROMANUM fore.*

(*i*) L. LX. p. 676.

Quod de venundato pridem, & quidem haud exiguo ære, illo Romanæ civitatis jure hic tangitur, a Salviano similiter monitum video: (k) *Itaque nomen civium Romanorum aliquando non solum magno æstimatum, sed MAGNO EMPTUM.* Quod vero idem jus aut nomen in indignos fuerit collatum, id jam ante ex adductis Ciceronis de Cæsaris familiaribus, aut qui gratia ejus ea in re abutebantur; vel ex aliis ejusdem Tullii ac Dionis, de simili M. Antonii post Cæsaris cædem facto, prolatis quoque supra verbis, licet colligere; aut vero e gravissima Dionysii Halicarn. de civitate, suo, seu Augusti, ævo, nefandis artibus, & collecta e turpissimis quibusque flagitiis pecunia, ab impuris hominibus, quod itidem vidimus, parta. Ut mittam quod de simili quoque Atheniensium, in vendenda quoque vili pretio & indignis quidem, eorum civitate, instituto, supra jam adtigi. Neque vero vel ab ipso Cæsare, Gaditanis primum, dein Gallis Transpadanis; aut ab eodem Julio vel Augusto, opulentis Hispaniæ oppidis, vel ditibus Comatæ Galliæ, etsi nec dum pleno jure, primoribus; aut hisce postremis a Claudio, cum honorum adipiscendorum jure, *gratuito* datam civitatem, licet utique arbitrari.

Hinc vero haud parum illustratur id, quod in (l) Actis Apostolorum, vel a tribuno militum, & quidem hujus Claudii temporibus, dicitur; quod multa pecuniæ summa esset civitatem Romanam consequutus; aut quod de D. Paulo, qui quum Tarsi in Cilicia natus, se (m) Romanum civem profiteretur, in (n) Græcorum ea de re commentariis legitur: quod nempe ejus pater pecunia sibi Romanam civitatem comparasset. *Tarsus* enim, non civitate quidem, ut minus accurate ad eum Actorum locum a viris eruditis est adnotatum, sed libertate tan-

(k) De Gubern. Dei L.V.c.5.
(l) Act. XXII, 28.
(m) Ibid. v. 25.
(n) In Græcis Scholiis.

tum:

tum ac immunitate, post hanc urbem a Cassio adflictam; a M. Antonio donata apud Appianum legitur: *(o)* Λαοδικέας δὲ καὶ Ταρσέας ἐλευθέρους ἀφίει, καὶ ἀτελεῖς φόρων, *Laodicenses autem ac Tarsenses liberos ac immunes a tributis reliquit.* Quod postremum immunitatis beneficium, in Athenodori Tarsensis præceptoris sui gratiam, ab Augusto itidem concessum, a Luciano *(p)* dicitur, nulla quoque facta datæ iisdem civitatis mentione; uti nec a Dione Chrysostomo, *(q)* ubi recenset eo loco, quem jam viderunt eruditi, varia in hanc urbem collata ab Augusto beneficia. Neque enim *honore*, quo inter alia adfectam ab Augusto Tarsum dicit ille oris aurei Dio, Romanæ civitatis beneficium, quod statuit ad eum Actorum locum *(r)* Vir magnus, innuitur; sed primatus gentis, seu, metropoleos dignitas, qua ornata fuit eadem Tarsus, quæque ei ab Augusto, ut vel nummi ejus sub Cæsaribus cusi abunde etiamnum arguunt, adserta fuerit vel confirmata. Ipsum vero ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ seu *Liberæ* nomen, quod eidem largitur *(s)* Plinius, huic Ciliciæ metropoli, in antiquo Regiæ Gallorum gazæ *(t)* nummo sub Caracalla percusso tribuitur; non vero, quod Cl. Patini fide olim credideram, *Coloniæ* itidem appellatio. Immo ut dies diem docet, etsi Romana Colonia sub primis Cæsaribus, quod de ea nusquam legitur, evasisset eadem Tarsus; haud ideo illa oppidum civium Romanorum, quod municipii, uti jam antea vidimus, non coloniæ fuit beneficium, exstitisset: aut inde D. Paulus, quod censent tamen eruditi, se *civem Romanum* continuo declarasset. Neque vero ullatenus statuendum est, libertate Tarsensibus data, eos inde municipes fuisse, & municipii jure donatos; ut ii dein se pro civibus Romanis ferrent, ac inde

(o) Bell. Civ. L. V. p. 675.
(p) In Macrobiis.
(q) Orat. XXXIV. p. 415.
(r) Dan. Heins. in Exercitat.
(s) L. V. c, 27.
(t) Specim. Morel. Tab. IV.

inde

inde Paulus eam quoque ſibi appellationem vindicarit. Qui enim Ciceronem, Livium, Plinium, alioſque rerum Romanarum ſcriptores vel obiter inſpexit, obvium inter *liberas* urbes & *municipia* diſcrimen haud ignorat: ut mirari haud parum ſubeat id excidiſſe viro magni in litteris nominis, *(u)* quique cæteris, ut idem præ ſe fert, accuratius hæc D. Pauli ſe *Romanum* profitentis verba ſibi expendenda ſuſceperat. Neque etiam, quæ ibi adfert idem vir illuſtri ingenio ac eruditione, ſi Judæi Antiochiæ habitantes, *Antiochenſes* ſint dicti, illius urbis civitate iis a Seleuco, quod tradit Joſephus, tributa: aut ſi Hiſpani veteres, Tyrrhenique & Sabini, juxta eundem graviſſimum ſcriptorem, *(x)* *Romani* dicerentur; inde Tarſenſes, *Romani* fuerunt etiam appellandi. Prior enim illa *Antiochenſium* appellatio Judæis data, qui Antiochiæ eſſent nati, vel collocarant domicilium; & pro conceſſo iis æquo cum reliquis Antiochenſibus civium, uti paſſim aliis in urbibus, Alexandriæ, Cæſareæ, ac alibi, jure; de quo ſæpe agit, non ſolum adverſus Apionem, ſed in *(y)* Originum libris, & de *(z)* bello Judaico Joſephus. *Romani* autem dicti priſci illi Iberes ſeu Hiſpani, ob crebra in ea gente, & de quibus jam ante, ut mox adhuc dicetur, civium Romanorum oppida ſeu municipia: Tyrrheni autem vel Sabini, poſt Romanam civitatem lege Julia iis tandem datam. Quomodo diſpar hic longe vel a Judæis *Antiochenſibus*, vel a *Romanis* illis Hiſpanis, aut Tyrrhenis vel Sabinis, horum *Tarſenſium* ratio: qui nec fixo Romæ domicilio, aut ibidem nati, haud æquo etiam cum aliis civibus Romanis jure gaudebant; nec aliunde erant civitate donati. Unde, quod miror non hic adtendiſſe viros eruditos, vel in tota hac

(u) Dan. Heinſio in Exercitat. ad Act. XXII. 225.

(x) Adv. Apion. L. II. p. 1063.

(y) Antiq. L. XII. c. 1. 3. 17.

(z) L. VII. v. 21.

de

de D. Paulo tanquam cive Romano, aut in ſequente etiam capite, vel jam (a) ante, quum is Philippis ageret, ea de re narratione, haud occurrit ulla Tarſi mentio; aut petita inde juris illius vel appellationis ratio.

Quare aliud omnino, ut bene etiam, & juxta veterum Græcorum adnotata vidit ὁ πάνυ Grotius, hic quærendum, & quod eidem Paulo ac majoribus ejus fuerit peculiare: ut nempe civitate Romana iidem, quacunque tandem de cauſſa, ſint donati: aut vero, ut eam, quod in Græcorum ſcholiis, ſicut ſupra jam adtigi, de Pauli patre dicitur, pecunia, haud inſolito maxime illa ætate, quod antea vidimus, more, iidem redemerint. Neque vero huic rei obſtabat, quod Judæus eſſet religione, ac Judæis ortus idem Paulus. Nec enim ſolum ἰσοπολιτεία, ſeu *æquum jus civitatis*, Judæis in variis Aſiæ, Ægypti, aliarumve regionum, ubi nati erant, vel domicilium conſtituerant, urbibus, Alexandri & ſucceſſorum ejus exemplo, a Romanis, qua de re paullo ante, fuerat adſerta, vel firmata, & *autonomia*, ſeu ſuis legibus vivendi arbitrium, paſſim iis indulta; aut a Romanis facta etiam cum illis fœdera, quorum omnium teſtis luculentus, qui ea ſubinde libris ſuis inſeruit, Joſephus: ſed ut omnium juxta reliquos Romano imperio ſubjectos, jurium aut privilegiorum fierent iidem Judæi participes. Adeo, ut in eadem jura, in quæ reliqui earundem urbium cives, tranſirent Antiochenſes, Alexandrini, Cyrenæi, Cæſarienſes, aliorumque locorum Judæi; ac proinde inſtar oppidanorum, qui frequenter jus illud, quod hactenus vidimus, conſequebantur, cives Romani fieri itidem poſſent. Id quidem in literis Agrippæ ſenioris ad Caium Imperatorem apud (b) Philonem exſtare memini; quod non auſus ſit ille patriæ ſuæ, nempe, ut de eadem paullo ante dixerat, Hieroſolymis, petere, *non Romanam quidem civitatem*, εἰ καὶ μὴ τὴν Ῥωμαϊκὴν πολιτείαν, ſed, quod ad-

(a) Act. XXIII. 27. (b) Ibidem XVI. 21. 37.

dit,

dit, ne libertatem quidem vel immunitatem: at non ideo ab eadem non libertate ſolum ac immunitate, ſed a civitate etiam excluſi, omnes ſeu in Judæa, ſeu extra eam nati in ſubjectis Romano imperio urbibus, & quales dicti inde Helleniſtæ Judæi. Ita Antipatrum ex Idumæo Judæum religione, *(c)* civitate Romana ac immunitate a J. Cæſare donatum; immo ſe quoque Heroſolymitanum quamquam, & quidem ſacerdotalis Judæorum generis, eodem *civitatis honore* a Veſpaſiano *adfectum*, πολιτείᾳ τε Ῥωμαίων ἐτίμησεν, tradit in *(d)* vita ſua Joſephus. Immo quam in rem, quæ non adtenderunt Viri docti, exſtant aperta Philonis de Judæis Romæ Auguſti ætate agentibus verba: *(e)* οὔτε ἐξῴκισε τῆς Ῥώμης ἐκείνους, ΟΥΤΕ ΤΗΝ ΡΩΜΑΙΚΗΝ αὐτῶν ἀφείλετο ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, *neque eos Urbe juſſit excedere, nec CIVITATEM eis ademit.* Quod itidem aliis paſſim Judæis, qui extra Judæam in variis Romani orbis provinciis nati, aut domicilium ibidem fixerant, contigiſſe, vel inde conſtare poterat: quod ii pari, ut diximus, jure & conditione cum reliquis eorundem locorum civibus agerent: indeque ad munera civilia in iis obeunda, aut ad curiales etiam honores ac adminiſtrationes, latis quoque Romanorum Imperatorum conſtitutionibus, *(f)* ſint admiſſi. Exſtant in theſauro Romanarum legum, cum Ulpiani, tum *(g)* Modeſtini ea de re verba: ut de poſterioribus Chriſtianorum Principum *(h)* Conſtantini, *(i)* Gratiani, Honorii, aliorumque, quæ idem ſanciunt vel renovant, & quæ in Codice Theodoſiano proſtant, edictis; donec poſtea *(k)* Leonis conſtitutione ſunt eadem abolita, nihil nunc dicam.

(c) Joſeph. Antiq. L. XIV. c. 15.
(d) Pag. 1031. Ed. Genev.
(e) Legat. ad Caium p. 1014.
(f) Leg. III. D. de Decurionib.
(g) Leg. XVII. 6. de Excuſation. Tutor.
(h) Leg. II. Cod. Th. de Judæis.
(i) Leg. V. Cod. Juſt. Leg. XXIV. Cod. Th. de Judæis
(k) Leon. Conſt. LV.

Adeo

Adeo etiam ut iidem *Judæi*, non *Romano* ſolum *& communi* jure, ut de iis a *(l)* Conſtantino dicitur, *viverent:* ſed & *cives Romanos* eos jam olim habitos, vel inde liquere poſſit, quod a tutela, quæ, ut aliunde notum, ac jam ante obiter adtigimus, erat civilis Quiritium juris, a quo excluſi erant peregrini, haud immunes eſſent iidem Judæi. Docent id Modeſtini *(m)* Dig. de Excuſatione Tutorum ea de re verba: *Jam autem & JUDÆI, non Judæorum* (nempe Gentilium) *TUTORES erunt, ſicut & reliqua adminiſtrabant: conſtitutiones enim in iis ſolis ſine moleſtia eos eſſe jubent, per quæ cultus inquinari videtur.* Neque enim Alciato vel Budæo, magnis quamquam nominibus, poſtremo autem debita mihi τῶ ἐκγόνῳ pietate venerando, jam accedo, iiſve, qui, illorum autoritate adducti, ut nuper eruditiſſimus primæ S. Juſtini Martyris Apologiæ editor, amicus noſter de *Chriſtianis* ea, quæ de *Judæis*, ſeu qui *(n) Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur*, ad honores, Severi & Antonini conſtitutione, admiſſis ab Ulpiano dicuntur, malunt interpretari. Notius enim jam & uſu tritum, *Chriſtiani*, ævo Ulpiani, nomen, quam ut ab eo, & quidem e Phœnicia oriundo, iidem Chriſtiani cum Judæis confunderentur; addo, & conſtitutione ab Imperatoribus, ſub quibus Chriſtiani ſævam ſunt perſecutionem paſſi, de Judæorum honoribus lata. Quum alioquin nec iis immunitatibus vel privilegiis uſi hactenus ſub Gentilibus Imperatoribus fuiſſent Chriſtiani, quæ Judæis, ſolemnibus pridem Romani Senatus & Imperatorum edictis, de quibus paullo ante, quæque Philo & Joſephus referunt & prædicant, indulta fuerant & impertita: nec ulla cæteroquin de Chriſtianis in toto Pandectarum opere fiat mentio. Quum

(l) Leg. II. C.Th. de Judæis.
(m) Leg. XV. S. 6.
(n) Leg. III. D. de Decurion.

alioquin de Judæis, quod ad Christianos utique nemo pertinere statuet, dicatur alibi in locuplete illo Romanarum legum Thesauro: *(o) circumcidere Judæis filios suos tantum rescripto Divi Pii permittitur, non vero*, ut additur, *in non ejusdem religionis.* Immo quomodo ab eodem Modestino, ut paullo ante vidimus, statuitur, ut Judæi etiam Gentilium tutelam gerant; *(p) constitutiones enim*, ut continuo additur, *in iis solis SINE MOLESTIA eos* (h. e. Judæos) *esse jubent, per quæ CULTUS inquinari videtur.* Idem nempe quod ab Ulpiano, de memorata supra Severi & Antonini constitutione, qua illi Judæis honores adipisci permiserunt, similiter dicitur, & quod miror non adtendisse clarissimi nominis Juris-consultos, *(q) Sed & necessitates eis imposuerunt, quæ SUPERSTITIONEM EORUM non læderent.* Quæ omnino ad eas Edictorum in Judæorum gratiam subinde concessorum a Romanis principibus formulas respiciunt, quibus, ut e memoratis modo Autoribus & Juris-consultis constat, liberorum circumcisionem, statasque sabbati, & aliorum solemnium ferias, aliaque, quæ ad religiosum eorum *cultum*, juxta Modestinum, aut *superstitionem* cum Ulpiano, pertinerent, Judæis, citra ullum impedimentum & molestiam, quod ait idem Modestinus, peragere concedebatur. Ita obvia & proprie veluti de Judæorum *superstitione*, apud Romanos Autores, qui eorum meminêre, mentio; ut apud Ciceronem pro Flavio, *(r) huic autem barbaræ superstitioni*, Judæorum nempe *resistere*; & apud Tacitum, *(s) gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa.* Ut jam mittam, quod *Judaica superstitio* similiter, idque a Christia-

(o) Leg. XI. D. Ad. Leg. Comed. de Sicar.

(p) Leg. XV. S. 6. D. de Excusation.

(q) Leg. III. D. de Decurion.

(r) Cap. 28.

(s) Hist. V. c. 13.

nis

nis Imperatoribus, ne quis itidem ad Christianos referat, nuncupetur, ut a Justiniano Imp. in *(t)* Codice. Adde alibi in eodem, & opportune ad hæc quæ de Judæis, communi Romanorum jure viventibus, paullo ante diximus, in constitutione Imp. Arcadii & Honorii *(u) a Judæis communi jure viventur in his causis, quæ tam ad SUPERSTITIONEM EORUM*, quam ad forum & leges ac jura pertinent, adeant solemni more judicia, omnesque Romanis legibus conferant & excipiant actiones. Ut proinde haud omnino opus fuerit, ut in eodem Ulpiani loco pro recepta ibi, & venerandi Codicis Medici firmata lectione, *D. Severus & Antoninus*, reponatur *D. Verus & Antoninus:* idque præter solemnem in eadem Romani juris penu morem, & de quo in sequenti Exercitatione dicetur, quo nuspiam *Veri* nomen, nempe *Lucii Veri* generi, *Marco Antonino* Socero ac Seniori Imperatori præmissum legitur. Quod alioquin, ut obiter hic tangam, de duobus illis, qui eam de Judæis constitutionem tulerunt, *Severo* & *Antonino*, patre quanquam & filio, factam subinde constat; nempe ab iis Juris-consultis Paulo & Ulpiano, qui Severo patre jam mortuo, & Antonino Caracalla superstite, constitutiones ab iis latas referunt: *(x) Imperatores Antoninus & Severus Augusti*: vel, *(y) Rescripti Imperatoris nostri & Divi Patris*; aut, *(z) ab Imperatore nostro & Divo Patre ejus*; aut vero ab ejusdem Caracallæ obitu, ut a Modestino alibi, *(a) D. Magnus Antoninus cum patre rescripsit.*

Ex iis autem, quæ de *Judæis* modo attulimus, mirari

(*t*) Leg. XXI. Cod. de Hæreticis &c.
(*u*) Leg. VIII. Cod. de Judæis.
(*x*) Leg. VIII. S. 1. D. de Jur. Immunit.
(*y*) Leg. VI. D. de Nundin. & Leg. I. S. 10. D. de Extraord. Cognit.
(*z*) Leg. XV. D. de Adquir. Rer. Domin.
(*a*) Leg. XI. S. 3. D. de Munerib.

haud amplius subit, D. Paulum, non Hierosolymis, aut alibi in Judæa, sed in urbe Græca seu Græcis orta natum, eaque Provinciæ Romanæ metropoli, multisque beneficiis a M. Antonio & ab Augusto ornata, & cujus incolis seu Tarsensibus Romam sub ævo abundasse, testatur *(b)* Strabo, se *civem Romanum*, & quidem *natum*, quocunque demum titulo aut jure id majores ejus essent adepti, profiteri. Quod haud alieno utique loco dicendum hic fuit, ubi de exteris civitate Romana sub Claudio donatis, aut eo tempore inter Romanos jam adscitis agitur: maxime quod in alia vulgo abeant, hisce haud satis accurate expensis, eruditi novi Fœderis interpretes: adde, minus etiam hic viderint, qui se præ reliquis, ut Plautino verbo nunc utar, occulissimos crediderant.

Qua occasione & illud obiter hic dicendum est, quod ipsa Tarsensium civitas quingentis drachmis, seu quinquaginta, quod aiunt, scutatis fuerit olim venundata, ut e *(c)* Dione Prusæensi licet colligere, ac ubi vulgi etiam fæcem ac inopes seu famelicos, quos λιμηρὺς ibi vocat, a Tarsensibus pro civibus habendos tradit, additque: *οὐ μὲν γὰρ ἄν τις καταβάλλῃ πεντακοσίας δραχμὰς, δύναται φιλεῖν ὑμᾶς, καὶ τῆς πόλεως εὐθὺς ἄξιος γεγένηται, non enim, si quis solvat quingentas drachmas* (peregrinus nempe in Tarsensium civitatem adscitus) *amare vos ideo potest, dignusque confestim fieri civitate.* Si vero, quod ibidem subdit, pauperis alicujus apud eos prognati nomen haud continuo sit in civium tabulas receptum, non utique is diligere civitatem poterit, eamque suam patriam reputare. Adeo ut non semper vel promiscue id apud Græcas, aut e Græcis ortas urbes, uti nec, quod jam vidimus, apud Romanos locum habuerit, quod alioquin de Græcis tradit eo loco, quem supra jam adtigimus, Cicero: quod etiam

(b) L. XIII. p. 670. (c) Orat. XXXIV. p. 420.

(d) me-

(d) *mediocribus multis, aut nulla aut humili arte præditis, GRATUITO CIVITATEM in Græcia impertiebantur.* Referuntur cæteroquin apud Goltzium, non Ciliciæ quidem, ſed inſcripta in Hiſpanicis quoque hujus Claudii nummis, eaque vix aliunde, niſi e Plinio forte vel Ptolemæo, nota MUNICIPIA: ut BEDUNIA & MIROBRIGA. quibus addi poteſt e veteri inſcriptione ſub Claudio, quam e Pyrrhi Ligorii Collectaneis Romæ olim a me deſcriptam, & cum pluribus aliis ad Cl. Reineſium miſſam, agnoſcit (e) idem ac refert, AMERINUM, Umbriæ nempe MUNICIPIUM, ſed quod ante Claudii tempora eodem jure uſum, vel e Tullio (f) liquet, a quo Sex. Roſcii pater *municeps Amerinus*; mox, *ſui municipii facile princeps* dicitur. Mitto quod pueros, qui ad Pyrrhicham ſaltationem fuerant in Urbem evocati, ea ſemel ſaltata, civitate donatos ablegaviſſe dicitur apud (g) Dionem Claudius: qualem cæteroquin Pyrrhicham ſaltaſſe Aſiæ Bithyniæque principum liberos, tradit in J. Cæſare Suetonius. (h)

(d) Pro Archia c. 10.
(e) Syntagm. p. 293.
(f) Pro Sex. Roſcio c. 15.
(g) L. LX. p. 669.
(h) Cap. 39.

CAPUT

CAPUT. XVIII.

De civitate *data sub NERONE, GALBA, VITELLIO, & Flaviis VESPASIANO, ac duobus filiis TITO & DOMITIANO. Tertulliani ac Plinii loca illustrata. De* classiariis *militibus, &* præsidiariis *in Imperii Romani limitibus* civitate Romana *itidem donatis. Id ex Inscriptionibus antiquis & Tacito adsertum.*

EQuidem de NERONE observat similiter Tranquillus, cum exhibuisse, (a) *Pyrrhichas quasdam e numero epheborum, quibus post editam operam diplomata singulis CIVITATIS ROMANÆ obtulit.* Idque pro recepto, quem supra jam tetigi more; quo præstantes athletæ aut citharœdi, earum urbium civitate donabantur, in quibus præclara suæ artis specimina ediderant. Quomodo insuper idem Nero, ubi victor in musicis & curulibus apud Olympiam agonibus, fuisset a judicibus proclamatus, decedens inde, Provinciam universam, nempe Achaiam, libertate donavit; simulque judices, teste rursus eodem Suetonio, (b) *CIVITATE ROMANA & pecunia grandi.* Id alioquin de eodem Nerone refert, quod supra jam vidimus, Tacitus, (c) quod is *nationes Alpium maritimarum in jus Latii transtulit,* ac proinde Ligures, aut magnam eorum partem; quos tamen a Pompeio Strabone, post datam Italis & Cispadanis Gallis civitatem ea quo-

(a) In Nerone c. 12.
(b) Ibidem.
(c) Annal. XV. 31.

que

que tum donatos statuebat, ut id antea jam adtigit Sigonius.

De GALBA vero, qui Neronem excepit, & cujus breve fuit, ut sat notum imperium, id monet Tranquillus: (d) *Civitatem Romanam raro dedit.* Leguntur quidem in hujus Galbæ nummis apud Goltzium, quatuor Hispaniæ municipia, e quibus duo Tarraconensis, cui is antea præfuerat, BARGIASIS, de qua (e) Ptolemæus, & LACCOBRIGA, cujus meminit (f) Plinius; tum duo Lusitaniæ tradita, DEOBRIGA a (g) Ptolemæo & a (h) Plinio, TALABRIGA; de quibus tamen oppidis, quod municipia fuerint, nulla apud eundem Plinium, qua de re mox, aut in memorata paullo ante veteris arcus, in quo (i) *Municipia Provinciæ Lusitaniæ* recensentur, inscriptione, facta occurrit mentio. Quibus cæteroquin Galbæ apud Goltzium Municipiis, additur quoque Sequanorum metropolis MUN. VESONTIUM; & cui fides continuo accedit e nummi illius icone, quam a parente suo acceptam, retulit Cl. Chiffletius (k) in accuratum de ea civitate commentarium. Mitto, quod in alio insigni ejusdem Galbæ nummo, qualem jam ad (l) Suetonium vulgavit Torrentius, dicatur, gentili illius Principis nomine, HISPANIA CLUNIA SUL. seu *Sulpicia*, ut de alio gazæ Gallorum Regiæ nummo, qualem inde adducit (m) vir doctus, & qui in eadem quod monuit jam diligens antiquarius, non comparet, nunc sileam, inscripto nempe MUN. seu *municipium* CLUNIA. Cujus equidem Hispaniæ Tarraconensis oppidi, & in quo faustis ominibus suscepit imperium Galba, sed sine

(d) In Galba c. 8.
(e) Geogr. II. c. 5.
(f) L. III. c. 9.
(g) L. 2. c. 5.
(h) L. IV. c. 21.
(i) Grut. Thes. CCLXII. 3.
(k) Vesont. L. 1. c. 28.
(l) In Galba. c. 9.
(m) Hard. Num. Urb. Ill. p. 120.

mu-

municipii aut coloniæ appellatione, cusum sub Tiberio nummum recondit eadem gaza. Ut jam singularem quendam Tertulliani locum hic memorem; ubi de Galbæ, in manumittendis, quod Romanorum *(n)* legibus erat alioquin vetitum, alienis servis, neque iisdem proinde civitate donandis, abstinentia dicitur: *(o) alienos enim servos ne GALBA quidem manumisit, facilius liberos soluturus.* Neque enim hic moror, quam nuper observare mihi licuit, viri præclari Vincentii Pinelli (*p*) conjecturam, ubi pro *ne Galba*, legendum ibi statuit *nec Alba*, veste nempe, cujus in manumittendis servis esset olim usus. Quod vero subdit ibidem Tertullianus, *non decebat manumissos, RURSUS JUGO SERVITUTIS id est, Legis adstringi*, cum iis quadrat, quæ in lata dein Gordiani Imp. constitutione leguntur: (*q*) *NON IN EO JUGO SERVITUTIS, quod manumissione evasisti, ITERATO cogeris succedere.*

De OTHONE vero refert Tacitus, quod is præter quasdam alias largitiones, quibusdam Italiæ oppidis, & Provinciæ Bœticæ factas, (*r*) *Lingonibus universis CIVITATEM ROMANAM dedit.* Ad quæ verba observat, qui postremus, Tacitum animadversionibus illustravit, (*s*) vir eruditus, ex eo loco patere jam tum vulgari cœpisse *civitatis Romanæ* jus. Verum id jam sub iis, qui prius decesserant, Imperatoribus & quidem J. Cæsaris exemplo, factum abunde vidimus; ut pluribus extra Italiam gentibus vel oppidis, non *Siciliæ*, solum, *Galliarum*, *Sardiniæ*, *Illyrici*, &c. sed *Hispaniæ* vel maxime, ad quam spectabant hi *Lingones*, civitas Romana sit continuo impertita.

(*n*) Vid. Leg. 9. D. de manumiss. Vind. & Leg. IV. Cod. D. H. Q. A Dom. Manum.
(*o*) Adv. Marcion. L. V. c. 11.
(*p*) Epist. Ad. Latin. Latinium in Latinii Lucubr. p. 349.
(*q*) Leg. I. Cod. de serv. Reip. Causs. Manum.
(*r*) Hist. I. 78.
(*s*) Theod. Rycquius.

Quod

Quod vero addit ibidem inter alia vir eruditus, per *civitatem Romanam debere jus Latii intelligi*, in eo utique gravius adhuc fallitur; ut vel ex iis, quæ supra de *jure Latii* antiquo, & perpetuo inter illud & *civitatem Romanam*, apud rerum Romanarum scriptores, discrimine diximus, abunde est manifestum. Neque certe ideo, quod per *jus Latii* daretur, ut id non e Plinio solum, sed abunde etiam ibidem expendimus, ad Romanam civitatem aditus, nempe per gestos in patria, quæ jure Latii gaudebat, magistratus, ideo *jus* ipsum *Latii* cum *Romanæ civitatis jure* confundi ullatenus debuit: aut quum de *jure Latii* a Romanis dato agunt Auctores, id de *Romana civitate* impertita intelligi. Unde nec idem Tacitus, quum de Nerone, ut paullo ante attigimus, ait, quod is *nationes Alpium maritimarum in* jus Latii *transtulit*, de *civitate Romana* iisdem nationibus concessa loqui censendus est: sed qua de re alibi adhuc in sequenti Exercitatione agendi erit locus. Sub FLAVIO autem VESPASIANO ac TITO, in præclaris eorum nummis, quales olim Romæ in Cimeliis Christinæ Augustæ a me inspectos, indicavi, *(t)* municipii in Macedonia, donati proinde Romana civitate, *Stoborum* signatur nomen: prout iidem nummi, seu a Vespasiano primum, seu jam ante id beneficium fuerat huic oppido indultum, sunt inscripti, MUNICIP. STOBENS. ac unde illustratur, ut id pridem jam monui, Plinius, *(u) Stobi oppidum civium Romanorum :* Paulus autem, *(x) Stobenses juris Italici sunt ;* & de quo Italico municipiorum seu coloniarum sub Imperatoribus jure, in sequentibus agendi erit locus. Duas vero in Palæstina colonias, *Cæsariensem* & *Æliam Capitolinam* fecisse dicitur ab Ulpiano, *(y)* & primam etiam

(t) Diff. de Prov. num. p.767.

(u) L. IV. c. 10.

(x) Leg. VIII. Sect. 8. D. de Censib.

(y) Leg.I. Sect.6. D. de Cens.

a Paulo, (z) Vespasianus: cujusque rei fidem etiamnum faciunt illius *Cæsareæ*, cum *Coloniæ* non solum, sed *Flaviæ* etiam appellatione, nummi, C. aut COL. FLAV. CÆSAREA; sed quas non inde oppida civium Romanorum, quod municipiorum, ut cum alibi, tum modo de *Stobis* a Plinio dictum vidimus, proprium fuit, jure quispiam dixerit. Adde quod nec Italici quidem juris, eas a Vespasiano factas tradit Ulpianus; etsi illas eo jure postea gavisas, nempe quoad immunitatem soli & capitis, e Pauli (a) de duabus hisce coloniis verbis, & qua de re dicetur infra opportunius, liqueat. Neque vero præteriri hic debet, quod, uti id tradit Plinius, (b) & qua de re supra obiter, *universæ Hispaniæ Vespasianus Imperator Augustus jactatus procellis Reipublicæ Latii jus tribuit*; iis nempe oppidis, quæ fœderata demum erant ac stipendiaria, ut sæpe de iis in describenda Hispania, & cujus ea longe maximam adhuc partem occupabant, agit Plinius; non vero municipiis in eadem gente, aut etiam coloniis civium Romanorum, quorum potior erat præ Latinis coloniis, ut jam ante vidimus, conditio. Ejusdem vero VESPASIANI, uti & DOMITIANI aliquot exstant signatæ in tabulis antiquis, Aquileiæ, Salonæ in Dalmatia, aut in Pannonia repertis, inscriptiones: in quarum nempe priore Vespasianus: (c) *Veteranis Qui Militaverunt in Classe Ravenate sub Sex. Lucilio Basso Qui Sena Et Vicena Stipendia Aut Plura Meruerunt Et Sunt Deducti in Pannoniam Quorum Nomina Subscripta Sunt IPSIS LIBERIS POSTERISQUE EORUM CIVITATEM DEDIT.* Quod CIVITATIS beneficium iisdem verbis a DOMITIANO collatum in aliis duabus Inscriptionibus legitur: in priori quidem: (d) *Peditibus & Equitibus Qui*

(z) Ibid. Leg. VIII. Sect. 8.
(a) Ibidem.
(b) L. III. c. 3. circa finem.
(c) Grut. Thes. DLXXIII. 1.
(d) Ibid. DLXXIV. 5. 6.

Mili-

Militant In Coborte III. Alpinorum Et in VIII. Voluntariorum Civium Romanorum, Et Qui Peregrinæ Conditionis Probati Erant: in altera: *(e) Iis Qui Militant In Classe Flavia Mœsica:* in utraque autem similiter: *IPSIS LIBERIS POSTERISQUE EORUM CIVITATEM DEDIT.* De quo cæteroquin Romanorum Imperatorum more, bene meritos, aut etiam præsidiarios in limitibus imperii milites, civitate donandi, occurret adhuc in sequentibus dicendi locus: quomodo alioquin, ac flagrante adhuc inter Vitellii ac Vespasiani in Italia milites bello, *a classicis Ravennatibus, legionariam militiam*, quæ tum adhuc constabat e civibus Romanis, *poscentibus optimus quisque*, ut ea de re *(f)* Tacitus, *adsciti.* Immo quod emeritis subinde libera adhuc urbe sociis similiter indultum, e Livio obiter jam supra vidimus. Quo referri omnino, & opportune quidem hic debet, militaris cohors, Trapezunte in extrema Ponti ora, civitate quoque a Romanis iisdem temporibus, ut id ab eodem Annalium conditore traditur, donata: nempe ubi de Aniceto, regiæ quandam Polemonis classis præfecto, dicitur, qui *(g) Vitellii nomine Trapezuntem, vetustam Asiæ civitatem, a Græcis in extremo Ponticæ oræ conditam subitus irrupit: Cæsa ibi cohors: regium auxilium olim: mox DONATI CIVITATE ROMANA, signa armaque in nostrum modum, desidiam licentiamque Græcorum retinebant.*

(e) Histor. III. c. 50.
(f) Ibid. c. 47.
(g) Ibid. DLXXV. 12

CAPUT XIX.

De civitate *data sub TRAJANO & HADRIANO.* Trajani *in sublevandis* novis civibus *ab onere* vicesimæ *benignitas Plinius junior, & veteres Inscriptiones illustrantur.*

TRAIANI autem ævo, seu sub eo Principe, signata subinde leguntur in antiquis monumentis *Hispaniæ Municipia :* quale *Italicæ*, quæ hujus Imperatoris patria, vicinum *(a)* MUNICIPIUM INLIPENSE, cujus cives in alio lapide dicuntur, *(b)* IMMUNES ILIENSES ILIPONENSES. præterea, si vera alterius lapidis scriptura, MUNIC. ALBENGENSE URAGAVONEN: sed quod postremum idem statuendum est. cum eo Bæticæ municipio, cujus fit mentio in veteri lapide, de quo supra, qui L. Cæsari, Augusti adoptione filio, dicatus & inscriptus, *(c)* MUNICIPIUM ALBENSE URGAONENSE; quodque apud Plinium, ad quem hujus lapidis meminit eruditissimus Harduinus, dicitur *(d) Urgo, quæ Alba.* A Trajano autem vel in gentis, unde erat oriundus, gratiam, multis in eadem oppidis civitatem primum datam, vel ex aliis lapidum monumentis licet colligere; & quidem ex inscriptione paullo ante memorata, in arcu pontis iis in oris Trajani jussu exstructi, ubi a *Lusitaniæ municipiis*, totidem proinde oppidis civium Romanorum perfectum illud opus dicitur; nempe, *(e)*

(a) Grut. Thes. CCXLVI. 6.
(b) Ibid. CCCLI. 5.
(c) Ibid. CCXXXIV. 6.
(d) Lib. III. c. 3.
(e) Ibid. CXLI. 3.

IMP.

IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ
F. NERVÆ TRAIANO. &c.
MUNICIPIA
PROVINCIÆ
LUSITANIÆ STIPE
CONLATA QUÆ OPUS
PONTIS PERFECERUNT
ICÆDITANI
LANCIENSES OPPIDANI
TALORI. (Plinius TAPOKI)
INTERRANIENSES
COLARNI
LANCIENSES TRANSCUDANI
ARAVI
MEIDUBRIGENSES
ARABRIGENSES
BANIENSES
PÆSURES

Quum tamen in Lusitaniæ descriptione, ac proinde sub Flaviis, Vespasiano ac Tito, apud Plinium, major quidem illorum oppidorum pars commemoretur; sed ita ut unum in eadem Lusitania municipium tum adhuc exstaret: *(f) Tota populorum XLVI. in quibus coloniæ sunt quinque, MUNICIPIUM civium Romanorum UNUM: Latii antiqui tria: dein,* ubi eadem sigillatim enarrat, *municipium civium Romanorum, Olisipo Felicitas Julia cognominatum.* Hic autem alia undecim Lusitaniæ sub Trajano enarrantur civium Romanorum municipia; & quæ proinde id beneficium, ac forte ob sumtus in ponte illo exstruendo ab iis factos, a gentili, seu qui Hispanus ortu esset, Principe sint adepta. Quibus addi adhuc possunt alia in antiquis lapidibus ejusdem

(f) L. IV. c. 22.

dem Lusitaniæ MUNICIPIA, ut SALACIA, non municipium quidem apud Plinium, (g) sed *cognominata urbs Imperatoria:* quod proinde oppidum, jus civium Romanorum municipii a Trajano, aut ab ejus successore Hadriano, sicut a postremo, de quo mox dicetur, in eadem Lusitania, CIVILITA, videtur consequutum. Ne singulos jam tangam, sicut Ægyptium illum Harpocratem, quem civitate, (h) Plinii secundi rogatu, a Trajano donatum ante vidimus; aut quam idem Plinius pro (i) Postumii Marini medici propinquis; alibi, (k) pro P. Acci Aquilæ centurionis filia, ab eodem Imperatore itidem efflagitasse ac impetrasse, apud eundem, ac e Principis ea de re rescriptis, legitur. In quem censum non jam referam, cujus facta in superioribus mentio, dati ab eodem Principe, Bithyno cuidam medico, non unius jam, sed septem civitatum juris. Illud enim licet omnino, vel ex iis quæ supra jam adtigi, de superiorum Principum, J. Cæsaris maxime, Claudii, aliorumve ea in re institutis, aut aliunde etiam statuere; etsi non consignata occurrat in priscis Romanorum annalibus vel monumentis, nec id præ eorum numero res ipsa exigeret, datæ nempe sigillatim civitatis commemoratio: haud eo minus eam cum pluribus passim peregrinis, neque una de caussa, a Romanis Principibus, etsi a quibusdam parcius, communicatam. Ut nunc eos mittam, quibus per Latium, qua de re jam ante, & mox rursus apud Trajani laudatorem, h.e. per gestos in patria Magistratus, patebat ad Romanam civitatem, ac ad honores in eadem aditus. Huic autem Trajani in multiplicandis Romanis civibus, propensioni, addi continuo debet ejus in sublevandis novis civibus benignitas, & quam e dicato illi Panegyrico licet continuo agnoscere. Quum enim edicto Au-

(g) Ibidem.
(h) L. X. Epist. 22.
(i) Ibid. Epist. 6.
(k) Ibid. Epist. 107. 108.

gusti

gusti Vicesimam hereditatis (cujus præter *(l)* Auctores, sæpe in Antiquis lapidibus facta occurrit mentio, ubi *(m) Procuratores XX.* seu *vicesimæ hereditatum*, & quidem *(n) per Gallias & utramque Germaniam* &c. commemorantur) persolvere tenerentur novi cives; adeo ut non haberent ii jura cognationis, nisi rescriptis ad eam rem a Principe seorsim acceptis; sed quando filius succedebat patri, succedebat tanquam extraneus heres, soluta hereditatis Vicesima. Nerva, amplificato eo jure, matrem in liberorum hereditate, & vicissim liberos ac filium in parentis bonis ea immunitate perfrui voluit. Trajanus vero id beneficium in tantum auxit, ut sicut in patris filius, ita in filii hereditate pater immunis esset: tum ut frater, avus, avia, neptis, nepos & invicem, absque diminutione Vicesimæ heredes esse possent: denique exiles hereditates, ad quoscunque heredes pertinerent, immunes itidem fecit. Verum audienda sunt ipsius Plinii, etsi eadem, qui de hac Vicesima egerunt viri docti, subinde jam commemoraverint, in præclara illius Principis laudatione, ea de re verba; ac vel ideo, quod de Romana civitate, seu quo in pretio eadem olim haberetur, luculenta ibidem exstant testimonia: *(o) Vicesima reperta est, tributum tolerabile & facile heredibus duntaxat extraneis, domesticis grave: itaque illis irrogatum est, his remissum.* mox: *Hæc mansuetudo legis VETERIBUS CIVIBUS servabatur: novi seu per Latium IN CIVITATEM, seu beneficio Principis venissent, nisi simul cognationis jura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus conjunctissimi fuerant. Ita maximum beneficium,* civitatis nempe Romanæ, *vertebatur in gravissimam injuriam, CIVITASQUE ROMANA instar erat odii & discordiæ & orbitatis, cum carissima pig-*

(l) Dio Lib. LV. pag. 565.
(m) Gru. Th. CCCCLXXXIX Spon. Misc. p. 203.
(n) Gru. Th. CCCCLXXXIX 2.
(o) Paneg. c. 37.

nora,

nora, salva ipsorum pietate, distraheret. Inveniebantur tamen, quibus tantus amor nominis nostri inesset, ut ROMANAM CIVITATEM, non vicesimæ modo, verum etiam affinitatis damno bene compensatam putarent; sed iis maxime debebat gratuita contingere, a quibus tam magno æstimabatur. Igitur pater tuus (Nerva) *sanxit, ut quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis pervenisset ad matrem, etiamsi cognationum jura non recepissent, CUM CIVITATEM ADIPISCENTUR, ejus Vicesimam ne darent. &c.* de Trajano dein: *Statim ergo muneri ejus liberalitas tua adstruxit, ut quemadmodum in patris filius, sic in hereditate filii pater esset immunis, ac eodem momento, quo pater esse desiisset, hoc quoque amitteret, quod fuisset.* ac rursus: *Nec vero contentus primum cognationis gradum abstulisse Vicesimæ, secundum quoque exemit, cavitque, ut in sororis bonis frater, & contra in fratris soror atque avus, avia in neptis nepotisque, & invicem illi servarentur immunes. His quoque, quibus per Latium CIVITAS ROMANA patuisset, idem indulsit;* & quibus illud, novis scilicet civibus gratulabundus, subdit laudator Consul: *Læti ergo adite honores, CAPESSITE CIVITATEM: neminem hoc necessitudinis abruptum velut truncum amputatumque destituet: iisdem omnes, quibus ante pignoribus, sed honestiores perfruentur.* denique: *carebit onere Vicesimæ, parva & exilis hereditas.* E quibus abunde jam liquet, quo insigni beneficio macti sint a Trajano novi inter Romanos cives; neque tamen adhuc, quod supra jam innui, eos plena Quiritium jura habuisse, seu veteribus civibus prorsus in omnibus, quoad eadem jura, adæquatos, qui erant adsciti in Romanam civitatem, aut per Latium, aut Principis rescriptis seu *libellisre scripti*, uti de iis adductis supra locis apud Trajanum *(p)* Plinius, peregrini.

Ab ejus autem successore HADRIANO multa quidem in socias atque subjectas Romano imperio urbes collata

(p) L. X. Epist. 108.

legun-

leguntur beneficia, quibus ille eas magnifice juverit, ſed nulla nominatim datæ iis civitatis facta mentione; niſi referri illuc debeat, quod, ubi ea de re agit Dio, honoribus etiam haud minus ac ornamentis aliis eaſdem urbes ab illo Principe auctas & locupletatas tradit: *(q)* Πολλὰς μὲν γὰρ εἶδεν αὐτῶν, ὅσας οὐδεὶς ἄλλος αὐτοκράτωρ. πάσαις δὲ, ὡς εἰπεῖν, ἐπεκούρισε, ταῖς μὲν ὕδωρ, ταῖς δὲ λιμένας, σῖτόν τε, καὶ ἔργα, καὶ χρήματα, καὶ ΤΙΜΑΣ ἄλλαις ἄλλας διδούς. *Earum tam ſociarum, quam ſubditarum urbium, multo plures, quod nullus Imperator, vidit, & omnibus, ut ita dicam, ſubvenit: dum aliis aquam, aliis portus, annonam, opera quædam publica, pecunias, HONORES aliis alios præbuit.* nempe aliis, ut arbitrari licet, civitatem; aliis demum jus Latii, vel immunitatem; quæ duo poſtrema in eo Principe tangit Spartianus: *(r) Latium multis civitatibus dedit, tributa multis remiſit.* Ab Hadriano certe, cujus majores in Hiſpania & quidem Italicæ in Bætica conſtiterant; unde tamen *externus*, uti vel Nerva, vel ipſe Trajanus, quod viderunt jam alii, ab utroque Victore dici neutiquam meruit; ab eo inquam, nonnullis *Hiſpaniæ* oppidis, ſicut a Trajano quoque, datam civitatem arguit continuo vetus inſcriptio memorati paullo ante municipii, in qua nempe legitur, *(ſ)* MUNICIPES MUNICIPI. T. ÆLI HADRIANI. AUG. CIVILITANI, qui nempe *Civilitani*, ſeu, quod idem, *Cibilitani*, inter Luſitaniæ non municipes, de quibus ſupra, ſed ſtipendiarios, *(t)* Plinii adhuc ævo, recenſebantur. Leguntur quidem in alio *(u)* lapide huic Principi ſimiliter dicato, SUESSANI MUNICIPES: Sed quod municipii beneficium huic in Campania Su-

(q) L. LXIX. p. 790.
(r) Cap. 21.
(ſ) Grut. Theſ. CCLXII. 5.
(t) L. IV. cap. 22.
(u) Grut. Theſ. CLI. 3.

essæ jam Ciceronis ævo indultum, ex eodem liquet, dicente de Antonio: *(x) Lautissimum oppidum nunc MUNICIPIUM, honestissimorum quondam colonorum, SUESSAM, fortissimorum militum sanguine implevit.* Huic autem Hadriano, quod præteriri hic non debet, male a nonnullis tribuitur, quasi is auctor fuisset amplissimi illius beneficii, seu constitutionis, quæ expendenda nobis nunc veniet, qua omnibus in orbe Romano civitas data dicitur. Id utique a D. Chrysostomo traditum, primus monuit ad Spartianum ὁ πάνυ Casaubonus *(y)*, & deinde ad Aurelium Victorem *(z)* alii: nempe cujus facundissimi Johannis exstant ea de re ad Acta Apostolorum verba: *(a)* Ἀπὸ ΑΔΡΙΑΝΟΥ, φασὶ, ΠΑΝΤΑΣ εἶναι ΡΩΜΑΙΟΥΣ. τὸ δὲ παλαιὸν, οὐχ οὕτως. *ab HADRIANO dicunt OMNES factos esse ROMANOS: antiquitus vero non ita fuit.* Quod, ne alia jam hic tangam, abunde redarguunt ipsa Constitutionis illius verba, quibus auctor hujus beneficii Antoninus Imperator ab Ulpiano dicitur. Quia vero haud inde continuo liquidum multis, & magni etiam in literis aut in juris scientia viris, visum est, quod plures scilicet Imperatores hoc *Antonini* nomen tulerint, quis inter eos memorabilis adeo legis lator exstiterit: immo inde non inter recentiores solum, sed inter veteres etiam, & quos cæteroquin minime id latere debuerat, Auctores, id legatur controversum; ad primum autem inter Cæsares *Antoninum* ac Hadriani successorem, suscepta hac de re, seu de Romana civitate sub Cæsaribus tractatio nos tandem deduxerit: hinc de singulari hac lege, quis nempe, quod alioquin luculento Dionis in

(x) Philipp. XIII. cap. 19.
(y) In Hadriano c. 21.
(z) In M, Antonino.
(a) Ad Act. Apost. c. XXV. p.875. T. IV. Edit.Savil.

Excer-

Excerptis ejus Valesianis testimonio jam videtur transactum, ex *Antoninis Imperatoribus* eam tulerit; ac dein, quænam legis illius in Orbe Romano vis & ratio fuerit, & quod postremum maxime argumentum, haud injucundæ nec protritæ disquisitionis materiam præbet, in sequenti Exercitatione, agendi nobis nunc est locus.

EZECHIELIS SPANHEMII
EXERCITATIO SECUNDA
DE
CIVIBUS ROMANIS
AB *ANTONINI* P*II*
TEMPORBUS;
ET

De Conſtitutioue ANTONINI IMPERATORIS, *qua omnes in orbe Romano cives Romani ſunt effecti.*

POSTQUAM a primis Urbis natalibus, ad ANTONINI PII Imperatoris tempora, Romanorum civium ortum, progreſſum & incrementa, ſuperiori Exercitatione, quod ſuſcepti argumenti tractatio id omnino flagitaret, deduximus: nunc de diffuſo adhuc latius ſub ſequutis Imperatoribus, & communicato tandem, non cum pluribus duntaxat extra Italiam oppidis, aut gentibus etiam aliquot univerſis, ſed cum omnibus Romani orbis incolis, eodem Urbium Principis ac Reginæ civitatis jure, nobis porro nec indiligenter agendum eſt. Ab ANTONINO autem PIO, eo opportunius ejus rei auſpicium hic faciendum jam incumbit: utpote ad quem nobilem illam ANTONINI IMPERATORIS memoratam ab Ulpiano Conſtitutionem, EX QUA IN OR-
BE

BE ROMANO QUI SUNT, CIVES ROMANI EFFECTI SUNT, non doctiſſimis ſolum hac aut ſuperiori ætate viris; ſed ipſi Romani juris conditori ſeu ordinatori verius Juſtiniano referre, quamquam minus conſulte, viſum eſt. Unde, ut quid ea de re, ſeu unde habitus ſit auctor inſignis illius beneficii idem Antoninus, aut juxta alios, ſucceſſor ejus Marcus, liquidius deinceps conſtare poſſit; & quæ ſub iiſdem, quique ſunt eos ſubſequuti, Principibus, juris illius, ſeu eorum, qui illo deinceps perfruerentur, multiplex primo, ac effuſa dein & communis largitio ſit tandem facta, hæc eadem, quam hactenus inſtitui, via perſcrutari conſtitui: ipſamque poſtea, cujus potiſſimum intuitu ſuſcepta eſt hæc omnis commentatio, Antoninianam Conſtitutionem, ubi ad eum, qui illam tulit, Antoninum devenietur, paullo intentius expendere adgrediar.

CAPUT. I.

An hujus Conſtitutionis Auctor juxta Imp. Juſtinianum, alioſq; præclaros juris Antiſtites, ANTONINUS PIUS? Quæ id ſuadere videantur. Quomodo idem in libris Digeſtorum deſignatur; aut quo ſenſu AMPLIATOR CIVIUM in veteri & præclaro ejus nummo dictus. Quæ obſtant ne eadem conſtitutio illi tribuatur.

EQuidem ad ANTONINUM PIUM quod adtinet, obvia ſunt Juſtiniani, quibus hanc immenſam Romanæ civitatis largitionem, eidem Imperatori aperte

te tribuit, in Novellis verba: (*a*) *Sicut enim ANTONINUS PIUS cognominatus est (ex quo etiam appellatio hæc ad nos pervenit) JUS ROMANÆ CIVITATIS, prius ab unoquoque subjectorum petitus* (immo *petitum*, ut juxta Græca ibi verba, τὸ τῆς Ῥωμαϊκῆς πολιτείας πρότερον παρ' ἑκάστου τῶν ὑπηκόων αἰτούμενον) *& taliter ex iis, qui vocantur peregrini, ad Romanam ingenuitatem deducens, HOC ILLE OMNIBUS IN COMMUNE SUBJECTIS DONAVIT.* Ut minus proinde mirari subeat, si illius loci Augustique Scriptoris auctoritate moti, hanc relatam ab Ulpiano Antoninianam constitutionem eidem *Pio* certatim adscripserint præclari juris ac literarum Antistites, & quorum ea de re testimonia haud opus est pluribus hic enarrare, Alciatus (*b*), Antoninus Augustinus (*c*), Guido Pancirollus (*d*), Cujacius (*e*), dum hi *Antoninum*, non adjecto *Marci* prænomine, aut alio cognomine, auctorem hujus constitutionis faciunt; Casaubonus, (etsi idem aliter alibi) (*f*), ad Spartiani Severum (*g*); & Salmasius (*h*) itidem, aliique dein minorum gentium juris interpretes ac eruditi. Neque vero pauca erant vel levia, quæ id insuper suadere videbantur: seu quod ille primus *Antonini* nomen ad imperium adtulit: successor autem ejus, *Marci* ut plurimum prænomine in libris Juris-consultorum, vel eodem *Antonini* nomini præposito, apud Auctores nuncupatur: seu ob beneficam ejusdem Principis naturam, unde non solum nomen illud PII primus inter Imperatores tulit, sed etiam, ut hoc addam, Cyri exemplo, ut de eo alicubi Pausanias, (*i*) *PATER HOMINUM appellari meruit*, ΠΑΤΗΡ ΑΝΘΡΩΠΩΝ *καλούμενος*, & a quo non abit alter Aur.

(*a*) Novell. LXXVIII. c. 5.
(*b*) L. II. Dispunct. c. 21.
(*c*) Lib. singular. ad Modestinum.
(*d*) Varior. L. II. c. 64.
(*e*) Observ. L. IV. c. 5.
(*f*) Ad Spartiani Hadrianum c. 21.
(*g*) Cap. I.
(*h*) Ad Vopiscum in Probo c. 14.
(*i*) L. VIII. p. 526. Ed. Wech.

Vic-

Victor de eodem Pio, *(k) adeo trementibus eum atque amantibus cunctis Regibus, nationibuſque & populis, ut PARENTEM ſeu patronum magis, quam dominum Imperatoremve reputarent.* Quæ proinde *Parentis* ſeu *Patris Hominum* appellatio ei, qui omnes Romani orbis incolas, tanquam unius Orbis ſeu Parentis progeniem, Romanos effeciſſet, omnium optime convenire videbatur. Idem nempe Princeps, qui a Dione ſeu Xiphilino dictus, *(l) cunctis benignus ac mitis,* πρὸς ἁπάντων χρηστός τε καὶ ἤπιος. a Capitolino ſimiliter, *(m) mitis & largus* : alibi: *(n) Qui tanta indulgentia ſubjectos ſibi populos rexit, ut omnia & omnes, quaſi ſua eſſent, curaret, & quod provinciæ ſub eo cunctæ floruerint* : quæ ſingula, ſi forte Marcum mittas, de nullo ex aliis Imperatoribus *Antoninis*, Commodo nempe, Caracalla, Elagabalo, Diadumeniano, dici poterant ac prædicari. Unde etiam, ſi reſpicias inſuper ad diuturnum ejuſdem Pii, ac in ſumma quidem Romani orbis pace & tranquillitate, imperium, hæc univerſalis Romanæ civitatis largitio ad eundem opportune referenda videbatur. Accedit, neque obſtare videtur, quod, ut (*o*) alibi pridem adtigi in iiſdem Ulpiani, vel aliorum veterum, & qui σύγχρονοι fuerunt, Juris-conſultorum, Papiniani, Pauli, Calliſtrati commentariis, vulgo hic Princeps ſub nominibus aut *(p) Imperatoris Titi Antonini*; aut *(q) Di-*

(*k*) In Epitome.
(*l*) L. LXX. p. 800.
(*m*) In Pio c. 2.
(*n*) Ibidem c. 7.
(*o*) Diſſ. de Præſt. Num. p. 715.
(*p*) Leg. VIII. D. de Statu Hom. L. III. D. de Pactis. L. VIII. D. de Poſtulando L. XII. D. Ad S. C. Tribell. L. III. D. Cond. Indeb. L. VI. S. 3. D. Ut Leg. Serv. Cauſ. L. XI. D. Ad Municipal. L. III. S. 6. D. Ut in Poſſeſſ. L. V. S. 25. Eodem L. XLV. S. 1. D. de Min. Vig. Qu. An.
(*q*) Leg. V. S. 2. D. de Cenſib. L. I. D. de Auctor. Tutor. Leg. IV. D. de Extraord. Cogn.

vi Pii Antonini; aut (r) *Antonini Augusti Pii*, (quod postremum ab uno e (ſ) præcipuis quibus est usus idem Pius, juris peritis Volusio Mæciano dictum, ad *Antoninum Caracallam* referri a (t) præclaro earundem legum enarratore nullatenus debuit) aut vero, quod passim *Divi Pii* appellatione ab iisdem designetur. In constitutionibus vero Imperatorum, non solum (u) *Imp. Antoninus Pius*, sed cum tribus etiam, quibus insignitus erat, & qua de re mox, nominibus, (x) *Imp. Titus Ælius Antoninus* inscribitur; nuspiam cæteroquin, ut obiter hoc addam, cum *Hadriani*, quod idem Pius, proxime decessorum, ipsius nempe (y) Hadriani ac Trajani exemplo, adsumpserat, & illius nummi subinde ei tribuunt, nomine. Quæ tamen, etsi alioquin, liquida, haud obstant tamen, quin idem hic Princeps *Imperator Antoninus*, quomodo hujus constitutionis auctorem vocat Ulpianus, in iis quique juris civilis libris dici subinde videatur. Ad eum certe referri videas, quod in iis a Mauriciano alicubi traditur; (z) *Et hoc nuper Imperator Antoninus ad libellum rescripsit*: & apertius alibi; (a) *Sicut Divus Hadrianus in Plotinæ, & proxime Imperator Antoninus in Faustinæ Augustæ persona constituit.* Ex eo enim loco, non post Antoninum Caracallam, nec sub Alexandro demum Severo, juxta Antonium Augustinum aut Bertrandum, sed sub hoc Antonino Pio vixisse eundem Mauricianum monuit nuper in vitis veterum Juris-consultorum eximius magni Hugonis frater, & quod jam ante viderat præclarus Romani juris

(r) Leg. XLII. de Fideicom Libertat.

(ſ) Vid. Capitol. in Anton. Pio c. 12.

(t) Dion. Gothofredus.

(u) Leg. I. Cod. de Edendo.

(x) Leg. I. Cod. D. de Pœnis.

(y) Nempe *Trajanus Hadrianus*, & *Nerva Trajanus* in eorum nummis & lapidibus antiquis.

(z) Leg. XXIII. D. de Usu & Usufr.

(a) Leg. LVII. de Legat. 2.

ris hac ætate interpres, *(b)* Jac. Gothofredus; adeo ut iisdem Mauriciani verbis, ad P*ium*, non vero ad *Marcum Antoninum* respici, debeat omnino statui; etsi *Marci* uxor, ut abunde notum, *Faustina Augusta* itidem, sicut mater, fuerit appellata: idem vero *Marcus* haud semel alibi *Imperator Antoninus* ab aliis, qui sub eodem Principe floruerunt, juris Romani peritis, & qua de re mox, dictus occurrat.

Verum alia adhuc sunt, quæ pro *Antonino Pio*, tanquam auctore insignis hujus largitionis, qua data omnibus in orbe Romano civitas ab Ulpiano dicitur, stare adhuc validius possunt. Mitto, quæ sub successore ejus Marco, de subjectarum Romano imperio gentium, quæ eadem perfruebantur, conditione ac felicitate, & quidem tanquam de *una tum domo*, & *communi unius velut civitatis Republica*, aliisque eam in rem, uti paullo post videbitur, ab Aristide prædicantur *(c)*: quorum autem constituta jam ratio, ad hujus Marci decessorem Pium, seu latam ab eo, de qua hic agitur, legem, referri haud incommode poterat. Quibus autem majus & præcipuum quoddam pondus accedebat, & quod ab eruditis adverti merebatur, e veteri hujus Antonini Pii nummo, eoque tanquam in hujus largitionis fidem ac memoriam percusso; seu ex ejus inscriptione, quam retulerat pridem Goltzius *(d)*, ac nuper illustrissimus Occonis locupletator Comes Biragius, nempe AMPLIATORI CIVIUM. Ne autem de illius nummi fide, quod Goltzianis subinde nummis, jure an injuria jam non dicam, contigit, liceret cuipiam dubitare; nec ab aliis, quod equidem sciam, penus hujus antiquariæ promicondis esset ille hactenus divulgatus; opportune nuper id a me ad Juliani *(e)*

(b) Hist. Jur. Civ. Cap. VII.
(c) Orat. in Romam p. 374. 395. T. 1.
(d) Thesaur. Antiq.
(e) Pag. 83.

Imp. Cæsares in linguam Gallicam conversos ac illustratos factum; & opportunius adhuc ejusdem memorabilis nummi effigies ab erudito lectore hic conspicienda exhibetur. Dum enim in Ubiis, illud calcatum olim a Romanis solum, ante hosce viginti tres annos, ad muniendum Bonnam oppidum effoditur, est ibi ille nummus, cum pluribus aliis antiquis ac æreis probæ notæ nummis repertus; isque ab earundem munitionum, summoque ibi Cæsareani exercitus tunc præfecto, magno autem harum antiquitatum æstimatore, Bournonvillæ Duce, summa cum voluptate, quum e vicina Agrippina, ubi tum agebantur de pace, ad quæ missus eram, comitia, eo me contulissem, æruginosus adhuc coram est ostensus:



Adeo ut tam insigni monumento haud parum utique confirmari videantur, quæ accedente haud levi Justiniani Augusti auctoritate, latam ab hoc *Antonino Imperatore* eam, qua omnes in orbe Romano, ingenui nempe, cives Romani sunt effecti, Constitutionem suadere videbantur. Nempe haud aliter ac sequutis ætatibus Imp. Justinianus *ampliandi* verbo eandem in rem usus legitur in ea constitutione, ubi de manumissis, quocunque modo ii essent libertatem consequuti, sancit. (*f*) *ut sint*

(*f*) Leg. II. Cod. de Commun. Manum.

omnes

omnes cives Romani constituti: AMPLIANDAM enim magis CIVITATEM nostram, quam minuendam esse censemus.

Cui tamen sententiæ, quæ *Antonino Pio* hanc constitutionem, de qua hic agitur, tribuit, ne suffragari continuo liceat, præter memoratum jam ante, & de quo in Antonino Caracalla dicetur accuratius, Dionis Cassii, luculenti & coævi tum Auctoris, testimonium, alia adhuc obstant, & de quibus mox dicetur, quæ necdum sub Antonino Pio, aut vero sub ejus successore Marco, cum omnibus in orbe Romano ingenuis communicatum jus illud Romanæ civitatis arguunt. Adeo ut *ampliatum* quidem ab eodem Pio, quod vel adductus modo ejus nummus evincit, Romanorum civium numerum; ac proinde jus illud pluribus imperio subjectis, qui ejus erant hactenus expertes, sub eo Principe munifice datum, liceat omnino statuere: non vero (qui haud unus Justiniani Imperatoris, seu verius Triboniani, in ampla illa novarum, uti sunt appellatæ, constitutionum accessione lapsus) in universum, & sublato inde omni in Romano orbe *Romanorum civium*, *Latinorum*, & *peregrinorum*, quod alioquin *(g)* Ulpiani, ac infra eam, ætate, uti ea de re postea, adhuc supererat, discrimine. Undo etiam in veteri sub hoc Pio Tergestanæ civitatis inscriptione, natus in eadem Fabius quidam Severus, *(h)* *A Divo Augusto Pio* (seu hoc *Antonino*, de quo facta ibidem paullo ante mentio) dicitur impetrasse, *uti Carni, Catalique Adtributi A Divo Augusto Pio Reip. Nostræ Prout Qui Meruissent Talia Absque Censu Per Ædilitatis Gradum In Curiam Nostram Admitterentur, AC PER HOC CIVITATEM ROMANAM ADIPISCERENTUR.* mox: *Et Universam R. P. N.* (seu Rempublicam Nostram) *Cum Eo Mœniis AMPLIAVIT, Admittendo Ad Honorum Communionem & Usurpationem ROMANÆ CIVITATIS, Ut Optimum*

(g) Fragm. Tit. XIX. 4. *(h)* Grut.Thes.CCCCVIII.1.

 Et

Et Locupletissimum Quemque, &c. E quibus utique verbis liquet, Antonini Pii, ejusque jam fato functi, quod *Divi* appellatio arguit, ætate, prædicari ibi beneficium, quo Carni & Catali *per Ædilitatis* apud Tergestanos *gradum*, ac proinde per jus Latii antiquum, de quo in priori Exercitatione diximus, Romanæ civitatis fiebant participes; necdum proinde communicato promiscue cum omnibus in orbe Romano ingenuis, eodem civium Romanorum jure. Haud aliter ac in memorata jam ante Carthaginis in Hispania inscriptione *(i)* quidam C. *Æmilius* dicitur *Civis Adlectus Ob H.* (seu *Honorem) Ædilitatis*; ac unde illustrari potest Diocletiani, de qua jam ante, & adhuc postea dicetur, constitutio: *CIVES quidem origo, manumissio, ADLECTIO vel adoptio facit.* Sed quod jus illud Romanæ civitatis, seu ejusdem illo ævo largitionem adtinet, liquidius adhuc ex iis, quæ de successore ejusdem Pii Marco dicenda nunc venient, constabunt.

(*i*) Ibidem CLXXIV. 3.

CAPUT

CAPUT II.

An MARCO ANTONINO sit ea constitutio cum Aurelio Victore tribuenda? Quibus nominibus idem Imperator designari solet in libris juris civilis. Corrupta varia Codicis loca de Antonino Pio & Marco Antonino *emendata. Quæ eidem MARCO hanc constitutionem tribuere videantur. Varia Aristidis, Dionis Cassii, & veterum Juris-consultorum loca ea de re expensa & illustrata. De Aproniano senatusconsulto clarissimi Juris-consulti sententia expensa.*

EQuidem MARCO ANTONINO eadem hæc constitutio de civitate omnibus in orbe Romano data, a Victore Schotti, aliisque dein ejus auctoritate inductis, aut ideo quod *Imperatoris Antonini* apud Ulpianum verba de eo debere intelligi censuerint, tribuitur. Ita Victor in Marco: *data cunctis promiscue civitas.* Unde præter alios ejus enarratores, & magna in literis celebritate viros, ὁ πάνυ Casaubonus (qui tamen alibi, ut paullo ante vidimus, eandem legem *Antonino Pio* adjudicat) ad Spartiani Hadrianum observat: *(a) nondum enim jus civitatis promiscuum fuit commune. Atqui non desunt, qui Hadriano tribuant illam legem, PER QUAM CIVTAS OMNIBUS DATA, quos & hic locus refellit, & Juris-consulti, qui M. Antoninum faciunt auctorem, suffragante*

(a) Ad cap. 21.

Aure-

Aurelio Victore. Quod de Juris-consultis seu Ulpiano hic dicitur, esset omnino liquidum, *si Marci* prænomen, ut fit a Casaubono, nomini *Antonini Imperatoris* esset ab Ulpiano præpositum: ac prout vel *(b) M. Antoninus*; vel *(c) MarcusImperator*; aut *(d) Imperator Marcus Antoninus* ab eodem Ulpiano, Papiniano, Paulo, aliisque, qui Antonini Caracallæ ætate floruerunt, juris antistitibus dici consuevit: aut vero quod huic Ulpiano inprimis familiare, *(e) Divus Marcus*; vel *(f) Divus Augustus Marcus*; subinde etiam *(g) Divus Antoninus*; ac ut id de *Marco*, non de alio *Antonino* dici constet: *(h) Paulus libro singulari ad orationem Divi Antonini & Commodi.* Adde, prout de eodem *Marco*, & consorte Imperii L. Vero, passim in iisdem libris juris Romanorum civilis est obvium; *Divi Fratres*, & alicubi a Papiniano, *(i) Fratres Imperatores* appellantur. Quamquam *Imperator Antoninus* de eodem *Marco* interdum, sed ab ejusdem ætatis, qui de jure respondebant, adsessoribus dicatur; ut a *(k)* Gaio, *(l)* Licinio Rufino, *(m)* Papirio Justo, *(n)* Volusio Mæciano; qui

(b) Ulp. Leg. III. S. 2. D. de Off. Præf. Vigil. Papinian. Leg. I. D. in Quib. Caus. Pign.

(c) Papinian. Leg. LXVII. Sect. 10. D. de Leg. & Fideicom. 2. Leg. LXXII. Sect. 10. D. Ad Leg. Falcid. Leg. I. in Qu. Caus. Pign.

(d) Papin. Leg. XI. D. Ad Leg. Falcid. Leg. V. Sect. 1. D. de Legation. Leg. VI. Sect. 11. D. Ad Leg. Jul. de Adult. Leg. III. D. de Usur.

(e) Ulp. Leg. XXXIX. D. de Adoption. Leg. III. D. de Legitim. Tutor. &c.

(f) Ulp. Fragm. Tit. XX. S. 10.

(g) Leg. XV. D. Locat. Cond. Leg. I. D. de P. Q. A. V. Su. Jur. Leg. VII. D. de in Integ. Rest.

(h) Leg. LIX. D. de Ritu Nupt.

(i) Leg. XXXVIII. S. 4. Ad Leg. Jul. de Adult.

(k) Leg. XI. D. de Jurisd.

(l) Leg. XLI. D. de Donat. Int. Vir.

(m) Leg. LX. D. de Pactis.

(n) Leg. IX. D. de Leg. Rhod.

postre-

poſtremus *amici noſtri* elogio ab eodem principe & Collega Lucio, in quodam eorum reſcripto condecoratur; a (o) Scævola etiam (p) *Imperator noſter D. Marcus*; & ſubinde cum eodem Lucio, (q) *Imperatores Antoninus & Verus*; a Marcello, (r) *ſententia Antonini Imperatores Auguſti, Pudente & Pollione Conſulibus*, h. e. anno Æræ Chriſtianæ CLXVI & imperii hujus Marci Antonini, VI. Adde, quod etiam *princeps Antoninus*, ut a Gaio, qui ſub eodem & poſt ejus fata adhuc vixit, (ſ) *ex indulgentia principis Antonini*: a Marcello vero alibi, (t) *Aurelius Imperator Antoninus* appellatur. Ad hunc enim principem, non vero ad *Pium*, ut nuper eſt viſum (u) viro magni nominis, iis verbis reſpici, vel inde liquet, quod nuſpiam *Aurelius* de *Antonino Pio*, ſed de *Marco* dicatur in antiquis eorum nummis; nempe, & quod in iis tralatitium, *Aurelius Cæſar* (ſicut alibi ab hoc Marcello de eodem principe, (x) *Antoninus Cæſar*) ac ſubinde etiam apud (y) Græcos Scriptores *M. Aurelius*, vel *M. Aurelius Antoninus*. PIUS autem quamquam ex gente Aurelia, vel cum ſolo ANTONINI nomine in iis effertur; aut quandoque in Digeſtis, quod ſupra vidimus, *Titus Antoninus*; vel, ut ſemel in Codice Juſtinianeo, ac prout omnino ibi legendum, ſicut aliæ præferunt editiones, *Imp. Titus Ælius Antoninus A.* vel *Aug.* non vero, ut in noviſſima & alioquin emendatiſſima Batava Juris Romanorum Civilis editione, neque uno ibi errore, aut qui typothetis adſcri-

(o) Leg. XVII. D. de Jur.Patron.

(p) Leg. XXXIX. D. de Legat. & Fideicom. 3.

(q) Leg. III. de Ad Leg. Jul. Annon. Leg. XXXVIII. D. ad Municipal.

(r) Leg. III. D. de H. Q. I. Teſt. Del.

(ſ) Leg. XLII. D. de Donat. Int. Vir.

(t) Leg. XLVIII. D. de Credit. & Donation.

(u) Gul, Grotius de Vit. Juriſc. p. 119.

(x) Leg.III. de H. Q. I. Teſt. Del.

(y) Euſeb. H. Eccl. L. V. c. 5.

ben-

bendus videatur, (z) *Imppp. Titius, Ælius, Antoninus, AAA.* Quod qua ratione, quove consilio sit factum, haud equidem possum statuere, ac ne hic juris veterisque historiæ tironibus illius postremæ editionis splendor imponat, obiter hic monendum duximus. Quis enim nescit, quod præter Auctores, e nummis antiquis & lapidibus est obvium, quod nempe tribus hisce nominibus dictus fuerit unus ac primus ex Antoninis Principibus, *Titus* (non *Titius*) *Ælius Antoninus*? aut quis ferat tres *Imperatores* vel *Augustos*, quum neque duo tum simul fuerint, sed unus idem *Pius*; quo adhuc superstite in Cæsarem quidem, ut vel e nummis ejus constat, est adscitus, sed non primi cum eo fastigii consors *Marcus*; neque is adhuc *Antoninus*, sed *Aurelius Cæsar*, passim, ut dictum, appellatus. Unde itidem emendanda hic venit aliquot locis obvia, ut observo, in eodem Codice Inscriptio; nempe ubi pro duobus principibus, (a) *Impp. Ælius & Antoninus*, unus itidem Imperator constituendus *M. Aurelius Antoninus*, sicut (b) in duabus aliis constitutionibus, *Imp. M. Ælius Ant.* vel *Antoninus*: supplendis nempe in nomine *Ælius*, & quæ pridem librariorum culpa ibi exciderunt, duabus literis, *Aurelius* pro *Ælius*. Neque enim ad *Antoninum Pium*, sed ad *Marcum* spectare easdem leges, omnino arguunt, cum præpositum, non T. seu *Titi*, quod habuit *Pius*, sed M. seu *Marci* prænomen, & consueta eidem Marco, *M. Aurelii Antonini* nomina: tum denique adscripti binis prioribus constitutionibus Consules, & annus Æræ Christianæ, quibus eædem sunt latæ, nempe *Clero & Cethego Coss.* 171. qui incidunt in annum imperii hujus *Marci* undecimum, sive, juxta aliorum calculos, decimum. Plures vero in legum inscriptionibus Codicis Justini-

(z) Leg. I. Cod. de Pœnis.
(a) Leg. I. Cod. de Impub. Substit.
(b) Leg. I. Cod. de Petit.Hered. Leg. I. Cod. Quom. & Qu. Jud. Sent.

stini-

ſtinianei exſtare librariorum culpa errores norunt eruditi; ut id cum ab aliis jam ante, tum nuper a Cl. Pagi in (c) Critica Baroniana eſt vere monitum, & pluribus aliis documentis hic poſſemus evincere. Unum & notabile ſatis obiter memorare hic liceat, quod (d) legi unicæ de ſententiis Præfectorum Prætorio præponuntur *Imp. Diocletianus & Maximianus* AA: data autem dicitur in fine eadem conſtitutio, *Theodor.* A. *XVII.* & *Feſto U. C. Con.* 439, hoc eſt centum triginta & quatuor annis poſt abdicatum a Diocletiano & Maximiano, qui tamen legis illius auctores ibi inſcribuntur, imperium. Quomodo, obvio itidem errore, *Imp. Cari* nomen pro *Imp. Theodoſii*, nempe *Junioris*, præſcriptum legitur (e) conſtitutioni latæ in beneficium Theſſalonicenſis Eccleſiæ, & quidem anno Æræ Chriſtianæ 414. Mitto leviora, ſed unde tamen confunduntur Imperatorum, qui leges illas tulerunt, nomina: ut quum, ſicut ſupra *Ælius* pro *Aurelius*, ita (f) *Maximianus* C. ſeu *Cæſar*, pro *Maximinus*, qui cum Severo Cæſar exſtitit, a Diocletiano nuncupatus, inſcribitur; aut *Imp. Conſtantinus*, pro *Conſtantius* ut in (g) conſtitutione lata anno, ut ibidem additur, 357. *Conſtantio* A. & *Juliano Cæſare II. Conſulibus*: ut plura id genus jam non tangam. Quamquam iis, quæ de *Marco* Principe modo diximus, illud addendum ſit, ipſum, quod negabant viri præclari, *Imperatoris Antonini* nomine ab Ulpiano quoque, ſed ubi filii ejus Commodi a patre in imperii conſortium jam adſciti, ſit ſimul mentio, quandoque deſignari: (h) *Oratio Imperatoris Antonini & Commodi, qui quaſdam nuptias in perſonam Se-*

(c) Vid. ad Ann. Chr. 286.
(d) Lib. VII. Cod. Tit. XLII.
(e) Leg. VIII. Cod. de ſacris. Eccl.
(f) Leg. VII. Cod. Q. Adm. ad Bon. Poſſeſſ.
(g) Leg. II. Cod. de Epiſcop.
(h) Leg. XVI. D. de Sponſal.

natorum inbibuit: ac similiter in Fragmentis: *(i) sed postea Imperatorum Antonini & Commodi Oratione in Senatu recitata,* & ad quam Paulum scripsisse librum singularem, non in Indice quidem Justinianeo Digestis præmisso, sed *(k)* alibi tamen in iis dicitur. Nempe prout aliis in locis plurima fit ab eodem *(l)* Ulpiano, & a Gaio jam ante, Orationis ab eo Principe habitæ, & quæ vim constitutionis obtinuerit, mentio: *(m) sacratissimi Principis nostri Oratione cavetur;* ac similiter Orationis *D. Marci* circa Silonianum Senatus-consultum factæ, meminit quoque *(n)* Justinianus Imp. Quomodo itidem, ut obiter hoc addam, vel *(o)* Hadriani, vel *(p)* Severi, ad quam quoque exstabat *(q)* Pauli liber singularis, vel *(r)* Antonini filii seu Caracallæ orationes, sive totidem constitutiones, dein Senatus-consultis firmatæ, memorantur ab eodem Ulpiano, vel Paulo in Digestis; & ab Impp. *(s)* Gordiano ac *(t)* Diocletiano in Codice. Nempe prout missas a Principe ad Senatum orationes jubet *(u)* Theodosius, pro *legibus generalibus* haberi: *leges ut generales ab omnibus in posterum observentur, quæ vel missæ a nobis ad venerabilem cœtum ORATIONE condiuntur.*

Verum alia ac potiora adhuc adferri possunt, unde, & qua de re hic agitur, *Marcus Antoninus*, quod de eo aperte satis Victor videtur innuere, auctor hujus Con-

(i) Tit. XXVI. S. 6.
(k) Leg. LX. D. de Rit. Nupt.
(l) Leg. VIII. D. de Transac. Leg. LVI. D. de Re Judic. Leg. I. D. de Tutor.
(m) Leg. IX. D. Ad S. C. Tertull.
(n) Leg. XI. Cod. Ad S. C. Silon.
(o) Leg. XXII. & Leg. XV. D. de Hered. Petit.
(p) Ulp. Leg. I. D. de Kil. Eor. Rei Tutel. Leg. II. S. 2. D. A quo Appellat.
(q) Leg. II. & XIII. Eod.
(r) Leg. XXXIV. D. de Ritu Nupt.
(s) Leg. II. Cod. de Curator.
(t) Leg. IX. Cod. de Præd.
(u) Leg. III. Cod. de Legib. & Constit.

sti-

ſtitutionis, qua data omnibus in orbe Romano civitas, habendus videretur; aut certe ſub eo Principe conſtituta jam ea Romani imperii ac regiminis forma & ratio. Cujuſmodi nempe ſunt, quæ ab Ariſtide, qui ſub eo Imperatore floruit, &, quod ſupra obiter adtigi, dicuntur in ejus oratione in Romam, quæ jam omnibus impertitum illud Romanæ civitatis beneficium haud obſcure videntur innuere. Qualia nempe, & quæ aliquatenus ab iis, qui ad eam Antoninianam Conſtitutionem reſpexerunt, adtendi debuerant, ac proinde prætermittere hic non licet: *(x)* Πρόκειται δὲ ἐν μέσῳ πᾶσι πάντα, ΞΕΝΟΣ δ' οὐδεὶς, ὅστις ἀρχῆς, ἢ πίστεως ἄξιος, *cunctis*, nempe orbis Romani incolis, *in medio cuncta patent, nec PEREGRINUS cenſetur quiſquam, qui vel magiſtratu, vel fide dignus.* Idem poſtea Romanos dicit eximie Urbem Romam eſſe dimenſos, atque inde admirabilem ab iis redditam, non quod eam cum nemine communicarent, *(y) ſed quod COMPLEMENTUM ea dignum quæſiviſtis* (ad Imperatores hunc M. Antoninum & L. Verum ſermo) *ut jam ROMANUM eſſe, non URBIS alicujus, ſed GENERIS TOTIUS, nec unius quidem e cunctis, ſed quod reliquis omnibus æquaretur: nec in Græcos jam & Barbaros gentes omnes ſint diviſæ* &c. *Sed in eos, qui ROMANI & NON ROMANI:* ΤΟ ΠΛΗΡΩΜΑ αὐτῆς ἄξιον ἐζητήσατε, καὶ ΤΟ ΡΩΜΑΙΟΝ εἶναι, ἐποιήσατε ΟΥ ΠΟΛΕΩΣ, ἀλλὰ ΓΕΝΟΥΣ ὄνομα ΚΟΙΝΟΥ τινος. Καὶ τούτου οὐχ ἑνὸς τῶν πάντων, ἀλλ' ἀντιῤῥόπου πᾶσι τοῖς λοιποῖς. Οὐ γὰρ εἰς Ἕλληνας καὶ Βαρβάρους διαιρεῖται νῦν τὰ γένη. &c. ἀλλ' ΕΣ ΡΩΜΑΙΟΥΣ ΤΕ, καὶ ΟΥ ΡΩΜΑΙΟΥΣ. Adde ſequenti adhuc pagina: Διὰ γὰρ τὸ ΚΟΙΝΗΝ εἶναι ΤΗΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, καὶ οἷα ΠΟΛΕΩΣ ΜΙΑΣ, εἰκότως οὐχ ὡς ἀλλοτρίων, ἀλλ' ὡς οἰκείων ἄρχοντες ἄρχουσι. *Exin enim, quod COMMUNIS ſit RESPUBLICA, & tanquam UNIUS CIVITATIS, ſuis ut domeſticis, non ut alienis*

(*x*) Orat. in Romam p.372. T. I. (*y*) Ibid. p. 374.

imperant : & alio rurſus loco, eoſdem Principes adloquens, καὶ συντάξαντες ὥσπερ ἕνα οἶκον, ἅπασαν τὴν οἰκουμένην, *& Orbis totius, tanquam unius domus, adminiſtrationem conſtituiſtis.* Quomodo utique non poſt Antoninum Caracallam demum, latamve ab eo, juxta Dionem, uti ea de re poſtea, conſtitutionem; ac prout inde a Modeſtino (z) ſub Alexandro Severo, & jam ante a Calliſtrato, (a) *Roma omnium patria* dicitur; ſed jam ante ab Ariſtide ſub hoc Imperatore Marco Antonino habita fuiſſet eadem Roma.

Quorum tamen, quæ ex hoc Smyrnæo Rhetore modo protulimus, ea demum habenda eſt ratio, maxime ſi cum aliis, quæ in eadem leguntur oratione, conferantur; ut, ſicut de Antonino Pio paullo ante diximus, non promiſcue quidem omnes in Orbe Romano, cives Romani, ſub Marco ſint effecti; ſed ampliatus fuerit haud parum, ut in Pii nummo vidimus, eorum numerus: neque unius urbis aut gentis in orbe Romano finibus circumdatus; ſed ad plures, qui vel magiſtratus in patria geſſiſſent, in eaque præ cæteris civibus dignatione & potentia eminerent; vel inter Romanos militarent, ſeu in imperii finibus præſidiarii milites agerent, illius beneficii largitio dimanarit: & quidem ita, ut nemo natalis ſoli conditione, civitatis Romanæ jura & honores conſequi deinceps prohiberetur. Id enim in eadem Oratione in Romam haud obſcure docet alibi idem Ariſtides; ubi quum dixiſſet Orbem Romanum in duas partes diviſum, addit: (b) Τὸ μὲν (nempe μέρος) χαριέστερόν τε καὶ γενναιότερον καὶ δυνατώτερον πανταχοῦ, ΠΟΛΙΤΙΚΟΝ ἢ καὶ ΟΜΟΦΥΛΟΝ ΑΠΕΔΩΚΑΤΕ· τὸ δὲ λοιπὸν ΥΠΗΚΟΟΝ καὶ ἀρχόμενον, καὶ οὔτε θάλαττα διείργει, ΤΩ ΜΗ ΕΙΝΑΙ ΠΟΛΙΤΗΝ, οὔτε πλῆθος τῆς ἐν μέσῳ χώρας, οὐδ᾽ Ἀσία καὶ Εὐρώπη διῄρηνται ἐνταῦθα. *Qui quidem vel*

(z) Leg. VI. Sect. 11. D. de Excuſation.

(a) L. ult. D. de Interd.

(b) Pag. 373. T. I.

gratia,

gratia, vel generis potentia præstabant, utique eos CIVITATE & TRIBU veluti DONASTIS, reliquis inter SUBJECTOS relatis: ita fit, ut nec intermedia regio, CIVITATE quemquam PROHIBEAT, nec ea in re Asia ab Europa distinguatur. Quibus addi debent, quæ tangit idem orator in sequentibus: ubi nempe prudenti Romanorum consilio provisum docet, ut delecti in Provinciis milites, quique ad tutandos imperii fines mittebantur, Romana civitate continuo sint donati, *(c)* iique ἐν τιμῆς αὐτοὺς μέρει λήψεσθαι ΤΗΝ ΜΕΤΟΥΣΙΑΝ ΤΗΣ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ, *honoris ergo in civitatis communionem admitti sese intelligerent.* Quod an alibi legatur, haud ejusdem memini, nisi quod eadem ratione factum jam ante Marci tempora inde intelligimus: ut, & quod in priori jam Exercitatione adtigi, militaris Ponticorum cohors, Trapezunte in extrema Ponti ora, ad loci præsidium relicta, civitate fuerit a Romanis Principibus, tradente id Tacito, donata. Adde, & quod ibidem quoque vidimus, emeritos milites, & qui sena vicena plurave stipendia meruerant in Dalmatia, vel in classe seu prætoria Ravennate, Misenensi, aut Flavia Mœsica, a Vespasiano jam ante, Domitiano ac Hadriano civitate donati legantur in aliquot *(d)* inscriptionibus antiquis. Quibus accedit id, quod ab Ulpiano in Fragmentis ejus adhuc residuis traditur, de Latinæ conditionis hominibus, seu Latinis, de quibus postea adhuc dicetur, libertis, qui Romæ per sex annos vigiles, jus Quiritium seu privata Romanorum jura, de quibus itidem supra a nobis actum; consequebantur: *(e) MILITIA JUS QUIRITIUM accepit Latinus, si inter vigiles sex annos militaverit ex lege Visellia. Præterea ex Senatusconsulto concessum est, ut si triennis INTER VIGILES MILITAVERIT, JUS QUIRITIUM consequatur.* Verum latius diffusa exstitit hæc, cu-

(c) Pag. 382.
(d) Histor. III. c. 47.
(e) Tit. 3. Sect. 1.

jus

jus Ariſtides locis modo indicatis meminit, Romanæ civitatis largitio, eaque data promiſcue omnibus, quorum delectus fiebat in Provinciis, militibus: non quidem ut ii Romæ, ſed in extimis Imperii & Barbarorum incurſioni proximis oppidis conſtituerentur: quibuſque exin jus eſſet, ſeu, ut ait dictis paullo ante verbis Ariſtides, *μετουσία τῆς πολιτείας* Romanæ *civitatis participatio.* Duo proinde hominum genera tangit in eadem oratione Ariſtides, qui in Orbe Romano ea ætate, ſeu ſub hoc Principe M. Antonino, illius Romanæ civitatis erant aut fiebant participes: primo delectos illos in Provinciis, & in imperii limitibus præſidiarios milites conſtitutos; qui adempta eis, ut hoc ſuperiori Exercitatione, ubi de ſingulari illo Romanæ civitatis jure agebatur, jam adtigimus, naturali patria, Romana inde civitate donabantur, (*f*) *ὁμοῦ τῆς τε πατρίδος ἀπηλλάξατε, καὶ τὴν ὑμετέραν αὐτοῖς πόλιν ἀπέδοτε αὐτοῖς, ſimul & ſua quemque patria liberaſtis, & veſtra civitate viciſſim donaſtis*: adeo quidem, quod continuo addit, ut non auſint amplius præ pudore antiquam profiteri originem, ſed *ποιησάμενοι δὲ πολίτας, οὕτω καὶ στρατιώτας ἐποιήσατε, civitatem vero iis dantes, ita milites eos effeciſtis.* Quum alioquin, ut hoc addam, non id ad omnes promiſcue, qui in Romanam militiam nomina dederant, milites adtineret; & de quibus, ut alia mittam, in genere dicit infra hujus Marci tempora Hermogenianus: (*g*) *Miles ibi domicilium habere videtur, ubi meret, ſi nihil IN PATRIA poſſideat.* Alterum vero civium Romanorum e Provincialibus genus ex iis conſtitutum obſervat Ariſtides; qui, juxta adducta ejus ea de re verba, potentia, opibus, aut dignatione plurimum ſuis in urbibus poterant: idque callido Romanorum conſilio, quo eadem oppida in fide ac veneratione Romani nominis eo ſecurius validiuſque ad-

(*f*) Orat. in Romam pag. 380.

(*g*) Leg. XXIII. Sect. 2. Ad Municipal.

ſere-

ſererentur. Quod uttumque aperte adhuc tangit his verbis Orator Smyrnæus: (*b*) ΠΟΛΛΟΙ *μὲν ἐν ἑκάστῃ* ΠΟΛΕΙ ΠΟΛΙΤΑΙ ΥΜΕΤΕΡΟΙ, *οὐχ ἧττον ἢ τῶν ὁμοφύλων, οὐδ' ἰδόντες πω τινὲς αὐτῶν τὴν πόλιν. φρουρῶν δὲ οὐδὲν δεῖ τὰς ἀκροπόλεις ἐχόντων, ἀλλ' οἱ ἑκασταχόθεν* ΜΕΓΙΣΤΟΙ *καὶ* ΔΥΝΑΤΩΤΑΤΟΙ *τὰς αὐτῶν πατρίδας ὑμῖν φυλάττουσι, καὶ διπλῇ τὰς πόλεις ἔχετε, ἐνθένδε τε, καὶ παρ' αὐτῶν ἑκάστας.* *Jam & MULTI ſunt in urbibus ſingulis VESTRI CIVES, non minus quam urbis ſuæ, licet eorum aliqui nunquam civitatem ſuam viderint: nec præſidiis ad arces tuendas opus eſt, quum MAXIMI & POTENTISSIMI quique ſuam vobis patriam ſinguli cuſtodiant: & biſariam urbes occupatis, partim hinc, partim per ipſos ſingulos.* Haud aliter nempe, ac Galliæ Comatæ primoribus datam a Julio vel Auguſto civitatem, e Tacito jam ſupra vidimus; immo prout hiſce Marci temporibus, in inſcriptione Tergeſtanæ civitatis paullo ante memorata legitur, (*i*) *Admittendo Ad Honorum Communionem Et Uſurpationem Romanæ Civitatis ET OPTIMUM ET LOCUPLETISSIMUM QUEMQUE.*

Adeo ut ex hiſce abunde, ut opinor, liqueat; tum quæ hujus *M. Antonini* Imperatoris ætate, Romanæ civitatis paſſim exteris dandæ ratio vel occaſio fuerit; ac unde in provinciis haud parum multiplicari Romanorum civium, qui tamen, quod ait Ariſtides, civitatem ſuam, ſeu Romam, nunquam viderant, (quomodo facti e provincialibus, ſeu peregrinis, juxta Pauli (*k*) ea de re legem, Senatores, domicilium inde mutare, ſeu Romam adire non cogebantur) numerus debuerit: tum jus illud neutiquam commune adhuc fuiſſe, ſeu omnibus datum in Orbe Romano, qui, quod paullo ante dixerat idem Ariſtides, in duas partes etiamnum, ſeu in *cives* & *ſubjectos*

(*h*) Orat. in Romam p. 375.
(*i*) Grut. Theſ. CCCCVIII. 1.
(*k*) Leg. XI. D. de Senatorib.

distin-

diſtingueretur, (*l*) πολιτικὸν ἢ ὁμόφυλον, τὸ δὲ λοιπὸν ὑπήκοόν τε καὶ ἀρχόμενον. Quæ vel ſola ſatis utique arguunt, non debuiſſe eidem *Marco* eam conſtitutionem, qua omnes in orbe Romano cives Romani ſunt effecti, ſeu, quod ait Victor, *data cunctis promiſcue civitas Romana*, vel ab eo, vel ab aliis dein tribui. Immo unde adſtrui videretur, id quod (*m*) viro eruditiſſimo & ad præclara ſurgenti nuper viſum eſt, ea voce *promiſcue* in Victoris verbis notari duntaxat, juxta receptum illius vocis uſum, a Marco ſublatum perſonarum vel conditionis diſcrimen; non vero omnibus & ſingulis jus illudcivitatis datum. Quamquam haud fruſtra aliter eadem Victoris verba, & ob ea, quæ ſupra jam adtigi, ab eruditis hactenus accepta exiſtimem; aliud etiam velit, qui eam in rem adducitur, de eodem Marco Capitolini locus: (*n*) *Philoſophum infinitos ex gentibus in Romano ſolio collocaſſe*; quod ſine data civitate fieri ſolitum ſatis conſtat, niſi dein, ubi ea poſt Antonini Caracallæ tempora omnibus Romani orbis incolis fuit impertita. Accedit haud diſſimilis e nominis communione ortus ejuſdem Victoris error: (*o*) dum Didium Julianum Imperatorem, Edicti Perpetui auctorem tradit, quod a Salvio Juliano ſub Hadriano fuerat conditum. Quæ alioquin de Marco Principe ex Ariſtide vidimus, firmantur præterea ex iis, quæ de eodem Principe leguntur apud Dionem: (*p*) Ὁ Μάρκος γὰρ τοὺς πρεσβευομένους τῶν ἐθνῶν ἐδέχετο, οὐκ ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς πάντας. ἀλλ' ὡς πῶς ἕκαστοι αὐτῶν ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, ἢ ἀτέλειαν, ἢ ἀΐδιον, ἢ καὶ πρὸς χρόνον τινὰ ἄφεσιν τοῦ φόρου λαβεῖν, ἢ καὶ τὴν τροφὴν ἀθάνατον ἔχειν ἄξιοι ἦσαν. *Marcus legatos gentium ad ſe miſſos, non omnes iiſdem conditionibus admittebat; ſed prout quilibet eorum digni erant, ut ad CIVITATEM ROMANAM, vel immunitatem a tributis, vel perpetuam, aut*

(*l*) Orat. in Romam p.373.
(*m*) Petr. Burman. de Vect. P. R. p. 220.
(*n*) In M. Antonino c. 29.
(*o*) In Didio Juliano.
(*p*) LXXXI. p. 809.

tempo-

temporariam remiſſionem vectigalium, vel annonas perennes conſequerentur. Unde quæ ex Ariſtide paullo ante adduximus, & quibus in Orbe Romano ſublatum jam omne inter cives ac peregrinos diſcrimen videbatur, ad æquabilem demum juris inter Romani Orbis incolas conditionem reſpiciunt; ut ille alibi in eadem oratione haud ſemel tangit, *(q)* ὑπὸ πάντων καὶ πανταχοῦ ἴσον ἄρχεται, *æquali autem ubique regitur imperio.* ac prout ipſe Marcus in commentario de vita ſua ait: *(r)* καὶ φαντασίαν λαβεῖν, πολιτείας ἰσονόμου, κατὰ ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν διοικουμένης, *& quod imaginem Reipublicæ animo conceperam æquo jure, ſeu ſecundum æqualitatem & æquabilitatem juris adminiſtratæ.* Et quam proinde, qua revera ſub hoc Principe ac filio ejus Commodo, in imperii conſortium adſcito, perfruerentur Romani orbis incolæ (ut hæc nuper ad Julianum Imp. adtigi) ἰσονομίαν prædicat in Oratione ad eoſdem Principes Athenagoras: Διόπερ τὸ πρᾶον ὑμῶν καὶ ἥμερον, καὶ τὸ πρὸς ἅπαντα εἰρηνικὸν, καὶ φιλάνθρωπον θαυμάζοντες, οἱ μὲν ΚΑΘ' ΕΝΑ ΙΣΟΝΟΜΟΥΝΤΑΙ, *ideoque clementiam veſtram & manſuetudinem, & in omnibus pacis ſtudium atque humanitatem admirantur, qui quidem ÆQUO JURE SINGULI REGUNTUR.* Quum cæteroquin diſcrimen adhuc in orbe Romano ſub eodem Principe, inter cives Romanos, & non cives ſeu peregrinos exſtitiſſe, vel ex aurea illa Viennenſium & Lugdunenſium apud *(ſ)* Euſebium epiſtola omnino liqueat: ubi & de Attalo, uno e martyrum, de quibus ibi agitur, numero dicitur, quod eſſet *civis Romanus.* mox autem: καὶ ὅσοι μὲν ἐδόκουν πολιτείαν Ῥωμαίων ἐσχηκέναι, τούτων ἀπέτεμνε τὰς κεφαλὰς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἔπεμπον εἰς θηρία, *quicunque Romani cives reperti ſunt, capite truncati, reliqui traditi beſtiis,* Unde ſub Pio necdum datam omnibus Romanam civitatem vere colligit eruditiſſimus Sam. Petitus: *(t)* addo nec ſub Marco, cu-

(q) Orat. in Romam p. 360.
(r) L. I. Sect. 14.
(ſ) Hiſt. Eccl. L. V. c. 1.
(t) Comm. ad Leg. Attic. p. 136.

jus demum extremis vitæ annis, ſeu anno ejus Principatus, juxta Euſebium, decimo ſeptimo, quod alioquin ſeptimo in ejus Chronico, ſed minus accurate adſcribitur, contigerit: nec ante obitum id ab eodem Marco conſtitutum, aliunde, ut continuo videbitur, conſtat.

Ne illud inſuper hic prætercam, quod nuper admodum ab eximio Juris antiſtite, in noviſſimo & luculento ad (*u*) Pandectas Commentario, adnotatum forte video; inde nempe Antonino Pio, vel Marco Antonino Philoſopho, non vero Antonino Caracallæ, ut monuerat, & qua de re infra, ad Tacitum eruditiſſimus Rickius, hanc conſtitutionem omnino tribuendam: quod nempe Aproniano Senatusconſulto, juxta Pauli J. C. legem (*x*) ad S. C. Trebellianum, omnibus civitatibus, quæ ſub Imperio Romano ſunt, & ipſis quoque municipibus, juxta Ulpianum, reſtitui debere hereditatem fideicommiſſariam caveatur. Id vero fieri non potuiſſe, ut continuo addit clariſſimi nominis Juris-conſultus, niſi ſimul cives Romani fuiſſent effecti. Verum hoc de *Pio* jam & de *Marco*, utroque *Antonini* nomine, quod notum, nuncupato, modo evicimus, nec dum iis principibus communicatam fuiſſe cum omnibus in orbe Romano civitatem; immo, ut e ſequentibus luculenter ac idonee conſtabit, id ſub Antonino Caracalla demum contigiſſe. Adde, & quod a præclaro legum antiſtite adtendi omnino ibi debuit, aliam fuiſſe jure Romano Quiritium rationem faciendi teſtamenti, aliam fideicommiſſariæ hereditatis. Prior equidem, ſeu teſtamenti factio, quod obvium juris tyronibus, fuit ſolum inter cives Romanos. Verum fideicommiſſaria hereditas, de qua cavebatur Aproniano Senatusconſulto, dari poterat iis, quibus legari poteſt, teſte (*y*)

(*u*) Joh. Voer. Com. in Pand. ad Tit. V. p. 51.

(*x*) Leg. XXVI. D. Ad S.C. Trebell.

(*y*) Tit. XXV. Sect. 6.

Ulpia-

Ulpiano in Fragmentis, & quidem quod paullo (z) ante monuerat, id a Nerva jam, ac ab Hadriano dein accuratius adhuc ſtatutum: *civitatibus vero omnibus, quæ ſub imperio Prætoriani ſunt* (h.e. Populi Romani) *legari potuiſſe, idque a Divo Nerva introductum, poſtea a Senatu, auctore Hadriano, diligentius conſtitutum.* Docent vero alibi cum *(a)* Marcianus, tum *(b)* Paullus Juriſconſulti, quid maxime civitatibus olim legari fuerit ſolitum: & in eundem ſenſum Aproniani Senatusconſulti, juxta receptas ea de re leges, a *(c)* Modeſtino quoque dictum: *cum alicui civitati per fideicommiſſum reſtitui juſſa eſſet hereditas.* Quo ſpectat inſuper illud Papiniani: *(d) civibus civitatis legatum, vel fideicommiſſum datum, civitati relictum videtur.* Prout etiam, ut præterea obſervo, *Latinum Junianum libertum*, fideicommiſſum quidem capere potuiſſe, non vero hereditatem ex lege Junia, quæ Auguſti temporibus lata eſt, docet (*e*) haud uno loco Ulpianus: quod nempe talis *Latinus, libertus*, & quod in priori Exercitatione jam adtigimus, civis non eſſet, nec teſtamentum proinde poſſet facere, ut ex (*f*) iiſdem priſcis Romani juris auctoribus ſat conſtat. De *legatis* vero, quæ ad municipes pertinent, id non ab eodem Ulpiano primum, ſed jam ante *(g)* lege Falcidia conſtitutum in eodem legum Romanarum corpore legitur. Adeo ut ex Aproniano Senatusconſulto, neutiquam probari poſſe abunde liqueat, etſi alia aperte non refragarentur, *Antoninus, Pio*, vel *Marco* eam, de qua hic agitur, Conſtitutionem eſſe tribuendam.

(z) Ad Tit. XXIV, Sect. 28.
(a) Leg. CXVII. D. de Leg. 1.
(b) Leg. CXXII. Eodem.
(c) Leg. XXVI. D. de Negotiis.
(d) Leg. II. D. de Reb. Dubiis.
(*e*) Vid. Tit. XXII. S. 3. & Tit. XXV. Sect. 6.
(*f*) Caii Inſt. I. 5. Ulp. Tit. III. Juſtin. Inſt. de libertin. S. 3.
(*g*) Leg. I. S. 5. D. Ad Leg. Falcid.

CAPUT. III.

An eadem constitutio sub Imperatoribus, COMMODO, PERTINACE, SEVERO, locum jam habuerit? Spartiani locus illustratus: Casaubonus notatus: de discrimine inter veteres *ac* novos Romanos cives. *Alius Spartiani in Severo locus explicatus.*

NEque vero, ubi post M. Antonini obitum solus imperio præfuit, qui patris ANTONINI itidem cognomen, ut e nummis ejus & lapidibus constat, tulit COMMODUS: aut successor ejus PERTINAX: vel, qui eum mox excepit, DIDIUS JULIANUS; dandæ omnibus Romanæ civitatis auctores leguntur exstitisse; aut ea in re novum quidpiam, nec prius usitatum excogitasse. De COMMODO quidem illud facile licet opinari; sub eo non datum adeo promiscue, quam, uti sub J. Cæsare, M. Antonio & Claudio factum in superiori Exercitatione vidimus, passim & indignis jus Romanæ civitatis fuisse venundatum: de quo nempe Commodo ait in ejus vita Lampridius: *(a) Tuncque primum viginti quinque Consules in unum annum; venditæque omnes provinciæ; omnia Cleander pecunia venditabat.* & alibi: *(b) Vendidit etiam provincias & administrationes.* Id vero a PESCENNIO NIGRO, qui post Juliani cædem arripuit imperium, constitutum refert in ejus vita Spartianus: *(c) Ut nemo adsideret in sua provincia: ut nemo administraret Ro-*

(a) Cap. 6.
(b) Ibidem c. 8.
(c) Cap. 8.

ma

mæ, nisi Romanus, hoc est, oriundus Urbe. Quorum prius, ne quis nempe in patria sua adsessoris officio fungeretur, legibus etiam, quas ad eum Spartiani locum jam indicavit ὁ πάνυ Casaubonus, & quorum mentio fit in jure *(d)* Justinianeo, sancitum sub aliis dein Principibus legitur: immo prout id jam ante Pescennium, & quod obiter moneri ibi merebatur, a M. Antonino prohibitum docet Dio: *(e)* Ἐνομοθετήθη γὰρ τότε μηδένα ἐν τῷ ἔθνει, ὅθεν τὸ ἀρχαῖόν ἐστιν, ἄρχειν, *constituit, ut nemo cum imperio in ea provincia esset, unde antiquitus ortus foret.* Adeo ut ea, quæ tam *imperii* erant, quam, ut ea distinguit alicubi Paulus J. C. *(f) jurisdictionis*, seu juris dicendi in provinciis, magistratibus municipalibus, ab his Principibus Marco & Nigro interdicta inde liqueat; & prius quidem, uti id sequutis temporibus ab Anastasio cautum legitur: *(g) ut nulli patriæ suæ administratio, sine speciali permissu Principis, permittatur.* Adde, quomodo a quibusdam etiam muneribus exclusi in patria decuriones: unde Ulpianus: *(h) Decurio etiam suæ civitatis vectigalia exercere prohibetur.* Alteram vero Pescennii, & a priori illa valde diversam, constitutionem quod adtinet, nempe, *ut nemo administraret Romæ, nisi Romanus, hoc est,* ut ibi continuo additur, *oriundus urbe*, minus provide hæc inde explicat magnus Casaubonus: quod scilicet lege Antonini jam omnes facti essent cives Romani, ac discrimen ideo ibi a Nigro constitui censeat inter veteres & novos cives: ut proinde ii tantum Romæ administrarent, qui non solum in Urbe nati, sed cujus pater & majores fuissent cives Romani. Quum tamen neque lata adhuc esset, quod hactenus vidimus, lex

(d) Leg. III. D. de Offic. Adsessor. & Leg. unic. Cod. Lib.I. Tit.XLI.

(e) L. LXXI. p. 813.

(f) Leg.XXVI. D.Ad Munic.

(g) Leg. VII. Cod. L. I. Tit. XLI.

(h) Leg. VI. D. de Decurionib.

illa,

illa, qua data omnibus Romana civitas; neque alia quærenda esset hujus Pescennianæ constitutionis ratio, nisi quam ipsa suppeditant ea de re verba, ut nemo Romæ administraret, jus nempe (ad quod ea prohibitio ibi restringi videtur, ac prout *administratio judicum* dicitur in Codice Justinianeo) *(i)* nisi qui non solum jure municipii, vel aliunde civis & a majoribus etiam foret, aut fixo præterea Romæ domicilio, sed in Urbe insuper esset natus; seu cui naturalis patria, non vero *communis* duntaxat, prout appellari postea meruit, foret Roma. Quomodo olim *peregrini* subinde nomen, ortis quamquam e municipiis, quique dudum jure civitatis gaudebant, civibus, ab indigenis illis Quiritibus, uti Ciceroni *(k)* a L. Manlio Torquato, quod supra vidimus, objectum constat, eundemque inde *inquilinum* a Catilina, quod apud Appianum *(l)* legitur, appellatum; aut inter novos, vel Cassiano, de quo supra, fœdere, vel Julia dein lege, donatos civitate Latinos aut Italos, ac inter veteres Romanos cives, seu, ut Græci loquuntur, Ῥωμαίους ἄνωθεν, discrimen quæsitum. Unde etiam novi cives a parentum & agnatorum hereditatibus erant exclusi; ni singulari Principis rescripto & indulgentia id beneficium fuissent consequuti: & prout novis civibus juxta constitutum ea de re ab Augusto, & de quo supra ac mox adhuc dicetur, vectigal, hereditatum vicesima irrogata; a qua vero immunes erant, quibus integra servabantur cognationum jura, veteres cives. Hinc ea de re junior Plinius: *(m)* *Hæc mansuetudo legis VETERIBUS CIVIBUS servabatur: NOVI seu per Latium in civitatem, seu beneficio Principis venissent, nisi simul cognationis jura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus conjunctissimi vixerant.* Immo, & quod propius ad Pescennii hujus constitutionem facit, juxta quam,

(i) Leg. IX. Cod. de Adsessor.
(k) Orat. pro Sulla c. 22.
(l) Bell. Civ. L. II. p. 428.
(m) Panegyr. c. 36.

na-

natis tantum in Urbe civibus, ac proinde vere Romanis, patuit Romæ adminiſtratio, haud diſſimile exſtitit, & quod jam in ſuperiori Exercitatione adtigimus, Athenienſium inſtitutum: juxta quod *(n)* novi cives, ſeu aliunde in civitatem adſciti, & quamquam fixo in urbe domicilio, in curias Athenienſium forent conjecti, ab omni tamen novem Archonton, ſeu ſupremorum in urbe magiſtratuum, omnique præterea ſacrorum adminiſtratione erant excluſi: non vero eorum liberi, qui nempe Athenis dein, & quidem e muliere cive erant ſuſcepti. Quam autem memoratam Peſcennii conſtitutionem non tenuiſſe, aut ad civilem publicamve honorum, qui Romæ gerebantur, adminiſtrationem, non ſpectaſſe, vel inde, ut alia nunc mittam, liquet; quod ipſemet Niger, non Romanus, ſed Italus, ut a Dione *(o)* dicitur, foret. Ne jam huc adducam, id quod a Juliano Principe in Conſtantii laudatione dicitur, (*p*) quod *etſi* non Romani, ſed *aliunde orti ſint* Imperatores, *haud eo minus ad civitatem* Romanam *ac Rempublicam ſint adſcripti*, ὅτι κἂν ἀλλαχόθεν τυγχάνωσι, τῆς μετέχειν ἅπαντας ἤδη τοῦ πολιτεύματος.

In conſignanda vero SEVERI, qui ſublato eodem Nigro, ſolus imperio eſt potitus, vita, ea tradit ab ejus initio Spartianus; unde ambigua rurſus & perplexa datæ omnibus Romanæ civitatis ratio, ſeu illa eodem Principe antiquior ſtatui videtur: nempe *(q) Severus Africa oriundus, imperium obtinuit, cui civitas Leptis, pater Geta, majores Equites Romani, ANTE CIVITATEM OMNIBUS DATAM.* Quibus autem poſtremis verbis, non ſub hujus demum Severi filio Antonino, uti ea de re mox; ſed dudum antea latam fuiſſe Conſtitutionem, qua omnes in orbe Romano, cives Romani ſint effecti, aperte ſatis innui

(n) Demoſth. in Neæram. p. 530. 532.
(o) Lib. LXXIV. p. 842.
(p) Orat. I. p. 5. ult. edit.
(q) Cap. I.

vide-

videtur. Unde etiam, quod obiter supra monui, Antonino Pio eam legem ad hunc Spartiani locum, tribuit ὁ πάνυ Casaubonus. Quod quum ex iis, ut jam ante vidimus, quæ necdum sub Marco, minus sub decessore ejus Pio, *datam omnibus* Romanam *civitatem* arguunt, abunde refellitur : tum ex iis quoque, quæ ea de re mox dicenda veniunt, quæque viderunt jam alii, luculenter constabit. Unde doctissimus Valesius, *(r) omnibus* ibi apud Spartianum, de *Leptitanis*, qua civitate Lepti oriundus ibidem Severus dicitur, intelligendum putat ; & præterea in manuscripto codice, non *omnibus*, sed *sibi*, quod sit rectius, legi, ibidem observat. Quod equidem de civitate *omnibus*, nempe *Leptitanis*, data, eo minus mirum videri continuo potest ; quod præter *Uticense* memoratum e nummis antiquis in priori Exercitatione *municipium*, jam Plinii *(ſ)* ævo *oppida civium Romanorum* XV. in Africa dicantur extitisse : e duabus autem in eadem, quæ Leptis nomen tulerunt, urbibus, una seu minor, Colonia etiam Romana sub Tiberio in nummo Regiæ Gallorum Gazæ cum Mercurii capite, signetur, COL. VIC. JUL. LEP. *Colonia Victrix Julia Leptis :* adeo ut, quod aliis id genus oppidis contigisse supra diximus, ex eadem colonia, municipium seu oppidum civium Romanorum fieri continuo eadem Leptis potuerit. Cujus tamen rei, quum non aliunde constet ratio ; ac alienum ferme illud & coactum videatur, ut *omnibus* in hisce Spartiani verbis, *ante civitatem omnibus datam*, de Leptitanis in genere intelligatur, quorum tamen facta non fuerat mentio, sed tantum de Severo dictum, quod Lepti esset natus, *cui civitas*, h.e. patria *Leptis, pater Geta, majores Equites Romani ;* hinc probabilius forte, ut conjecit nuper vir eruditissimus, *(t)* illud

(r) Ad Dionis Excerpt. p. 109.

(ſ) L. V. Sect. 4.

(t) Burmann. de Vectigal. P. R. p. 123.

omni-

omnibus, ad majores Severi, quorum commemoratio præcesserat, referendum; ac inde legendum, *ante civitatem omnibus datam*, iisdem nempe Severi majoribus. Etsi, ut verum fatear, ea vel Valesii, vel alterius viri eruditissimi tradita hujus loci explicatio se mihi minus probet; illudque Spartiani ea de re verbis magis consentaneum videatur, & quod præterea recepta lectio, quæ *omnibus* hic habet, non *sibi*, plurium ac meliorum codicum auctoritate sit firmata, quamque retinuerunt etiam viri summi; ut equidem iis verbis, *ante civitatem omnibus datam*, ad sequuta, quod Auctoribus familiare, latæ illius ab Antonino Caracalla, uti mox dicetur, legis tempora respexerit Spartianus: nempe Leptitanos Severi, ac proinde ipsius Caracallæ majores, in Romanam civitatem adscitos, antequam eadem promiscue omnibus orbis Romani incolis, quod sub hoc Antonino demum contigit, esset data. Ni tamen illud sit potius statuendum: ut qui sub Diocletiano demum & Constantino etiam vixit Spartianus, Pium forte vel Marcum auctorem illius constitutionis, quæ ab *Antonino Imperatore* lata dicebatur, & qua civitas est omnibus data, ea nominis illius *Antonini* appellatione deceptus, uti id eadem ferme ætate ab Aurelio Victore, aut postea a Justiniano Imperatore factum vidimus; non vero Antoninum Caracallam, qua de re silet etiam prorsus in ejus vita, crediderit. Idque eo magis, quod tantum humano velut generi impertitum beneficium, a truculenti adeo ac sævi, uti eum Caracallam describit Spartianus, magis quam a Pii vel Marci Antoninorum moribus, quorum celebrata adeo humanitas, & qui ab eodem dicuntur in vita Severi, (u) *Antonini Pius & Marcus, numina Reipublicæ*, ac eorum intuitu, illud *Antonini nomen sanctum & venerabile*, alienum omnino censuerit. Ut minus etiam mirum videri possit, deceptum ea in re, &

(u) Cap. 21.

proclivi adeo ejus lapsus occasione, Spartianum; quem in describendis eorum Principum vitis, Juliam Severi, ejusdem Caracallæ non matrem, sed novercam, (x) & cum qua post patris obitum incestas duxerit nuptias: (y) Getam vero solum ex eadem Julia genitum: eumque Cæsarem, (z) aut vero Imperatorem vel Augustum, ab exercitu tantum, non vero a patre Severo, primi quoque fastigii cum Antonino fratre, etsi annis aliquot interjectis, participem nuncupatum, contra coæva aliorum Auctorum & veterum etiam nummorum vel lapidum monumenta, tradiderit.

(x) In Caracalla c. 10.
(y) Ibidem & in Sever. c. 20. in Geta c. 7.
(z) In Severo c. 16. Caracalla c. 1.

CAPUT

CAPUT IV.

Constitutionis hujus de civitate omnibus in orbe Romano datæ auctor ANTONINUS CARACALLA. Id e verbis Ulpiani, ac præcipue e testimonio Dionis Cocceiani, coævi Auctoris, adsertum. Quod δωρεαὶ de legatis *dicantur a Græcis, contra Salmasium. Hugonis Grotii de Ulpiano, quasi eam constitutionem* Marco, *non* Antonino Caracallæ *tribuerit, sententia confutata. De* Vectigali Vicesimæ hereditatum, *quale illud fuerit: a quibus Imperatoribus inductum, aut immutatum. De eodem ad* peregrinos *seu* provinciales, *hac Antonini constitutione, & quare, extenso. De sublata ab eodem Imperatore* succedendi ab intestato immunitate, *quæ agnatis antea competebat.*

NUNC vero ad ANTONINUM, vulgo CARACALLAM, tandem devenitur: seu ad verum illius, quam in suum ad Edictum Perpetuum commentarium retulerat Ulpianns, quæque inde in jus Justinianeum est relata, legis auctorem: nempe, uti supra eadem jam memoratur: (*a*) *In Orbe Romano qui sunt, ex Constitutione IMPERATORIS ANTONINI, CIVES ROMA-*

(*a*) Leg. XVII. D. de Statu Hominum.

NI effecti sunt. Ita enim ibi, e venerando illo seu Hetrusco (quem non eruditis quidem, ut ait Cicero, sed avidis, immo avidissimis, olim oculis adspeximus) codice, *in orbe Romano*, non ut antea, *in urbe Romana*, primus legendum vidit, qui primus veterum eruditionem ac ingenium ad juris scientiam adtulit, Alciatus: *(b)* ac ut certissimum dein & indubitatum merito amplexi sunt sequuti dein juris interpretes, vel omnes, quæ ex eo fonte prodierunt Romanarum legum editiones. Hujus autem, de qua in memorata modo lege agitur, rei seu auctoris, quum non obscuram significationem ipsa Ulpiani præberent verba; quibus consueto ei in tot legibus ex illo, in locuplete Romani juris thesauro, prolatis more, *Antoninus Imperator* de Caracalla, non autem de aliis, qui ante eum hoc *Antonini* nomen tulerant, Principibus Pio, vel Marco, præter unum forte vel alterum, quem paullo ante adduxi, ea de re locum, dici demum solet: mirum est utique id in versandis iisdem legibus summe exercitatis accuratique præterea judicii viris, quos supra jam enumeravi, eidem, de quo modo, Alciato, Ant. Augustino, Pancirollo, Cujacio, ut de Casaubono, Salmasio, ipsoque Hugone Grotio in libris de Belli jure & Pacis, *(c)* etsi aliunde postea, uti dein dicetur, sit edoctus, non suboleviffe: aut eosdem, vel Spartiani, de quo modo nobis sermo, vel Aur. Victoris, vel Justiniani, de quibus antea, auctoritate; aut vero Caracallæ ipsius, quam itidem jam adtigi, immanitate motos, eos nobilem hanc Constitutionem eidem Antonino abjudicasse. Nude equidem *Imperator noster*, *(d)* aut *Imperator noster Antoninus*,

(b) Dispunct. L. I. c. 51.
(c) Lib. II. c. 9. Sect. 11.
(d) Leg. IV. D. de Off. Procos. L. III. Sect. 4. de Admin. Tutor. L. IV. de Censib. L. IV. Sect. 10. de Extraord. Cognit. &c. Collat. leg. Mosaic. Tit. XVI. Leg. IV. D. Ad S. C. Velleion. &c.

(e) in

(e) in veteri Romani juris penu ab Ulpiano, qui sub eo Principe ejusque patre Severo adsessor exstitit, dici frequenter constat, uti & a Paulo (f) etiam, Papiniani, juxta Ulpianum, adsessore. Prout nempe a Scævola, (g) *Imperator noster D. Marcus*, sub quo nempe principe ejusque filio Commodo floruit hic legum antistes, alicubi, ut jam antea vidimus, dicitur: solo autem (h) *Antonini Imperatoris* nomine, interdum (i) *Antonini Augusti*, aut (k) *Imperatoris Antonini Augusti* idem Princeps haud semel ab eo iisdem in libris designatur: immo non ab Ulpiano solum, sed ab aliis ejusdem ætatis jurisperitis, Paulo (l), ac Modestino (m), Immo quum in ipso Justinianeo Codice, quod fugere non poterat viros in eo versando & explicando haud parum exercitatos vel etiam assiduos, non de alio, quam de hoc *Antonino Caracalla* dicatur præpositum tot Constitutionibus, quæ ibi & quidem toties in fronte titulorum (o) sunt obviæ, illud ipsum *Imp.* seu *Imperatoris Antonini*, qui eas nempe tulerit, nomen. Neque enim alteri *Antonino* tribui easdem leges posse, e-

(e) Leg. IV. D. de Off. Proconf. L. III. de Donation. L. XII. de Incendio. L. IX. de Captiv. L. XXX. Sect. 15. de Fideicom. libert. &c.

(f) Leg. VIII. D. de Censib. Leg. VI. D. de Prævaricat.

(g) Leg. XIX. Sect. 9. D. Locat. Cond. Leg. XII. D. de Divortiis.

(h) Leg. XXXIX. D. de Legat. & Fideicom. 3.

(i) Leg. XV. Sect. 6. D. Locat. Cond.

(k) Leg. XXXII. D. de Rit. Nup

(l) Ulpianus Leg. VI. Sect. 3. D. de Off. Procon. L. XVIII. de Minorib. L. II. Sect. 2. Solut. Matrimon. L. V. Sect. 16. Ut in Possess.

(m) Leg. XXXI. Sect. 4. D. de Fideicomm. Libert.

(n) Leg. III. D. de Senatorib.

(o) Leg. I. Cod. de Jur. & Facti Ignorant. L. I. C. de Advocatis Fisci. L. I. C. de Tutor. L. I. C. de Usucap. L. I. C. de Re Militari. L. I. C. de Servitut. L. I. Si Adv. Creditor. L. I. C. de Libertis &c.

vin-

vincunt, quod similiter de alia Codicis lege paullo ante diximus, adscripta iisdem Consulum nomina, & additæ frequenter Æræ Christianæ, quibus latæ eædem leges, anni, nempe 212. aut 213. 214. 215. &c. quæ autem in secundum, tertium, quartum & quintum annum incidunt, quibus post Severi obitum imperio præfuit Caracalla, seu decimum quintum, decimum sextum, decimum septimum & decimum octavum suscepti jam ab eo cum patre Severo imperii annum. Adeo,ut quamquam eadem *Antonini Imperatoris* appellatio, *Pio* vel *Marco*, quod supra vidimus, in iisdem libris tributa subinde legatur: id a prioribus jurisperitis, quique sub iisdem Principibus, aut iis proxime defunctis, vixerunt, Gaio, Scævola, Marcello, Papirio Justo; vix autem a posterioribus, Ulpiano nempe, aliisque factum, qui eosdem Imperatores aliis, quas supra jam adtegi, appellationibus, ut *Titi Antonini; Divi Pii Antonini: Marci Imperatoris*, aut *Imperatoris Marci Antonini*, vel *Divi Antonini*, uti de eodem mox dicetur; frequentius autem *Divi Pii; Divi Marci: Divorum Fratrum*, de eodem nempe *Marco* & *Vero*, quæque est ferme perpetua Ulpiani in iis memorandis consuetudo, indigitare consueverunt. Unum quidem vel alterum adduximus paullo ante Ulpiani locum, ubi *Imperator Antoninus*, de *Marco* ab eo dicitur: sed ubi de constitutione quadam ab eo Principe simul & a filio ejus Commodo lata, & quidem oratione, utroque eorundem Principum nomine, ea de re in Senatu recitata agebatur: nempe, ut jam vidimus, *(p) Oratio Imperatorum Antonini & Commodi*, &c. aut *(q) Imperatorum Antonini & Commodi oratione in Senatu recitata, id actum est*, &c. Quod vero alias nuspiam ab Ulpiano factum putem, ubi hujus *Marci* tantum, aut conjuncta ejus & *L. Veri*, qui cum eo imperavit, men-

(p) Leg. XV. D. de Sponsalib.

(q) Fragm. Tit. XXVI. II. 6.

tio

tio fuit ei facienda. Adeo ut mirari ferme ſubeat, quod iſtud, nempe Antoninum Pium & M. Aurelium, ab Ulpiano deſignari *Divi Pii* aut *Divi Marci* nominibus, ac erat utique obvium, ſe demum ab ampliſſimo Hieron. Bignonio edoctum profiteatur Cl. Valeſius; idve tanquam ex arcana juris penu depromptum foret, ad Dionem Cocceianum (r) tradere non refugerit: ni potius id ſingulari viri illius, cujus alioquin excellens fuit eruditio, modeſtiæ adſcribi unice debeat. Id vero jam ante, aut eodem tempore, quo eadem Valeſiana ſeu Conſtantiniana verius Dionis Excerpta ederentur, a duobus viris eruditiſſimis ſolerter obſervatum video: prius quidem a celebri Juris-conſulto, Matthæo Weſenbecio (ſ), qui ad hanc conſtitutionem ſeu juris Juſtinianei, ubi eadem legitur, titulum, eam non *Pio*, aut *Marco*, ut plerique alii ac nobiliores Romani juris interpretes, ſed huic *Antonino Baſſiano* ſeu Caracallæ opportune tribuit. Quod factum itidem a Samuele Petito in Commentariis ad Leges Atticas, cujus hæc ſunt ea de re verba: (t) *At vero ut Antoninus, quem auctorem hujus conſtitutionis laudat Ulpianus, eſt, aut ego valde fallor, Antoninus Divi Severi filius, quo imperante ſcripſit Ulpianus: nam* Antoninum, *ſive is ſit* Pius, *ſive* M. Aurelius, *non ita nominare ſolet Ulpianus*: ne jam alterum huc adducam, quam ibi continuo ſubdit Petitus, ſed minus ſolidam aut opportunam, uti ea de re poſtea dicetur, ejuſdem rei probationem.

Quod vero a duobus viris illis præſtantibus, poſthabita Spartiani, Victoris, aut ipſius Juſtiniani, vel præcipuorum juris aut literarum ſuperiori aut hoc etiam ævo antiſtitum auctoritate, de auctore illius Antoninianæ conſtitutionis recte erat obſervatum; id mox evicit, quod eodem tempore, quo ille Petiti commentarius typis erat commiſſus,

(r) Not. ad Excerpt. p. 108.
(ſ) Paratit. ad L. XVII. D. de Statu Hom.
(t) Pag. 136.

in

in lucem ab Henr. Valesio eadem in urbe, anno hujus seculi XXXIV. exiit præclarum e Dione, & aliis antiquis Historicis, Græcorum Excerptorum, idque e Constantini Porphyrogennetæ Collectaneis, opus. Ibi enim opportune a Dione Cocceiano in rebus Antonini Caracallæ, facta occurrit illius, de qua hic agitur, Constitutionis Antoninianæ mentio: ita ut cum de illius auctore, tum insuper de ejusdem latæ occasione ac instituto, quod nec ibi fugit doctissimum Valesium, plene ac liquido tandem constet. Sed audienda sunt ipsa Dionis ea de re verba, quibus singula hæc enarrantur: (u) Τῶν τε τελῶν, τῶν τε ἄλλων ἃ καινὰ προσκατέδειξε, καὶ τοῦ τῆς δεκάτης, ἣν ἀντὶ τῆς εἰκοστῆς ὑπέρ τε τῶν ἀπελευθερουμένων, καὶ ὑπὲρ τῶν καταλειπομένων τισὶ κλήρων καὶ δωρεᾶς (lege δωρεῶν) ἐποίησε, πάσας τάς τε διαδοχὰς, καὶ τὰς ἀτελείας τὰς ἐπὶ τούτοις, τὰς δεδομένας τοῖς πάνυ προσήκουσι τῶν τελευτώντων καταλύσας· οὗ ἕνεκα καὶ ΡΩΜΑΙΟΥΣ ΠΑΝΤΑΣ τοὺς ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ ΛΟΓΩ ΜΕΝ ΤΙΜΩΝ, ἔργῳ δὲ ὅπως πλείω αὐτῷ καὶ ἐκ τοῦ τοιούτου προσίῃ, διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, ΑΠΕΔΕΙΞΕΝ. Valesio interprete: *Postremo præter vectigalia, tum alia, quæ ab ipso primum reperta sunt, tum vectigal decimæ, quam pro vicesima constituit, tam eorum qui manumitterentur, quam hereditatum ac legatorum: cum succedendi jus, & immunitates omnes, quæ proximis defunctorum ac genere conjunctissimis concessæ legibus erant, sustulisset. Cujus Rei caussa etiam OMNIBUS, QUI IN ORBE ROMANO ERANT, CIVITATEM DEDIT: specie quidem ipse eis honorem tribuens, sed revera ut fiscum suum augeret, quippe cum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent.* Quem præclarum Dionis locum adtigit postea in libris de (x) Modo Usurarum ὁ πάνυ Salmasius, quique eundem, in quo Excerpta illa continebantur, codicem tractaverat; ubi etiam pro δωρεᾶς, aut juxta Valesium, δωρεῶν ἐποίησε πάσας τάς τε διαδοχὰς,

(u) Excerpt. ad Dionis Lib. LXXVII. p. 745.

(x) Pag. 851. &c.

legen-

legendum ac distinguendum statuit, voce δωρεᾶς retenta, καὶ δωρεᾶς ἐπιλοιπε πάσης. τάς τε διαδοχὰς &c. ac ubi δωρεᾶς de legato nuspiam, sed de *donationibus* tantum, διαδοχὰς vero de *successionibus ab intestato*, a Dione dici observat. unde etiam totum hunc locum ita vertendum tradit: *Et decimæ vectigal, quam pro vicesima constituit, cum eorum qui manumittebantur, tum quæ aliquibus relinquerentur hereditatum, & omnis donationis: successionibus præterea ab intestato sublatis, & immunitatibus, quæ genere propinquis defunctorum ab intestato succedentibus competebant.* Quamquam, ut verum fatear, ea verborum constructio, quam ibi constituit vir summus, δωρεᾶς ἐπιλοιπε πάσης, minus mihi Græca, aut cum prioribus verbis convenire videntur; aut in singulari adhibita ibi vox δωρεᾶς, & cum κλήρων, quæ præcedit, conjuncta minus probetur: quum etiam τῶν κλήρων καὶ τῶν δωρεῶν, in numero plurium habeat, ubi de ea Vicesima ab Augusto inducta alibi agit Dio (*y*); nihilque obstet, ut servata prima distinctione, πάσας τάς τε διαδοχὰς &c. *omnes ab intestato successiones*, quæ prius, quod addit, genere proximis competebant, sustulisse dicatur, nempe tanquam fisco caducas, uti mox dicetur, hic Antoninus. Quod vero δωρεὰς *pro legatis* nuspiam a Græcis dici, qui non habeant nomen, quo ea exprimant, observat itidem ὁ πάνυ (*z*); ac proinde in eo Dionis loco δωρεὰς, non *legata*, sed *donationes* debuisse ab eruditissimo Valesio verti, nescio an id quoque evicerit vir maximus. Etsi enim vox ea quamvis *donationem* in genere notet, alibi certe apud Dionem δωρεὰς de *legatis* dici video; ubi de Cæsaris testamento & heredibus ab eo institutis agens, addit, *(a)* καὶ προσέτι καὶ ΔΩΡΕΑΣ ἄλλοις, καὶ τῇ πόλει τούς τε κήπους, τοὺς παρὰ τὸν Τίβεριν, καὶ δραχμὰς, &c. *& LEGATA insuper alia aliis, populo autem hortos ad Tiberim, ac viritim centenos vicenos,* &c. ac rursus

(*y*) L. LV. p. 565.
(*z*) De Modo Usu.. p. 855.
(*a*) L. XLIV. p. 258.

ubi

ubi de Augusti testamento, & legatis in eo Juliæ filiæ relictis, ait: (b) τὴν θυγατέρα οὔτε κατήγαγε, καίπερ καὶ ΔΩΡΕΩΝ ἀξιώσας, *filiam ab exilio non revocavit, quamvis eam LEGATIS*, ut bene ibi Leunclavius, *dignatus*; & sic alibi δωρηθέντα de *legatis*, ubi de Caligula, iisque, quæ Tiberius ac Livia testamentis legaverant, tradit: (c) Καὶ τοῖς ἰδιώταις οὐχ' ὅπως τὰ παρὰ τοῦ Τιβερίου, ἀλλὰ καὶ τὰ παρὰ τῆς προτήθης ΔΩΡΗΘΕΝΤΑ διέλυσε. *Privatis etiam nec a Tiberio tantum, sed a proavia quoque sua LEGATA persolvit.* Unde etiam apud Oratores Atticos, ubi de testamenti factione est apud eos sermo, promiscue δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ, vel τὰ ἑαυτοῦ διαθεῖναι, *sua dare*, seu *legare*, cujus rei obvia sunt, apud eos (d) exempla, dicitur. Ut mittam, quod commodius in hoc Dionis de vicesima hereditatum, uti in altero etiam apud eundem Auctorem loco, ubi de eodem agit, quod induxerat Augustus, vectigali, κλήρων τε καὶ δωρεῶν, *hereditatum & legatorum*, quam *hereditatum & donationum* dixeris. Quum alioquin non in veteribus solum Glossis, ut notat ibi Salmasius, & ad Theophilum (e) monuerat quoque Fabrottus, dicantur, καταλιμπανόμενα, aut in iisdem insuper, ut hoc addam, καταλείψεις, *legata*; sed apud hunc Dionem alibi, quod observo, τὰ καταλειφθέντα, de *legatis* similiter intelligantur, ubi is de Caligula & relictis a Tiberio legatis ait, (f) πρός δὲ τὰ καταλειφθέντα ἀπ' αὐτοῦ πάντα, ὡς καὶ παρ' ἑαυτοῦ, &c. *cæterum legata omnia* Tiberii, *quasi ex suo omnia persolvens*: & mox adhuc, quod idem Caius urbanis militibus, qui in oppidis erant, (g) τὰ καταλειφθέντα διέλυσε *legata persolvit.* Neque ideo tamen in iisdem Dionis, de quibus hic agimus, verbis, καταλειπομένων τε κλήρων, *legata* continuo sub iis comprehendi, licet cum eodem viro summo statu-

(b) L. LVI. p. 591.
(c) L. LIX. p. 641.
(d) Isæus Orat. II. p. 400. & Orat. VIII. p. 532. Orat. IX. p. 425.
(e) Ad Lib. II. Tit. XX.
(f) L. LXIX. p. 640.
(g) Ibidem p. 641.

ere:

ere: quæ utique verba nihil inferre possunt, nisi *relictas*, quarum persolvendæ erant vicesimæ, seu jam decimæ, *hereditates*, ad quas demum ibi illud καταλειπομένων refertur; & quomodo id verbum passim adhibent Attici aliique Græci Scriptores, ubi quis *relinquere hereditatem*, *heredes*, *bona*, *testamentum*, *liberos*, &c. dicitur, καταλιμπάνειν vel καταλείπειν κλῆρον, κληρονόμους, οὐσίαν, διαθήκας, υἱεῖς, &c. nempe addita simul rei, quæ a testatore relinqueretur, significatione. Unde utrumque etiam conjungit in mentione hujus vicesimæ ab Augusto inductæ idem Dio: *(h)* Τήν τε εἰκοστὴν ΤΩΝ ΤΕ ΚΛΗΡΩΝ ΚΑΙ ΤΩΝ ΔΩΡΕΩΝ, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές ποι (πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν ἢ καὶ πενήτων) ΚΑΤΑΛΕΙΠΩΣΙ, κατεστήσατο. *Et vigesima HEREDITATUM & LEGATORUM, quas morientes aliquibus (exceptis genere proximis & pauperibus) RELINQUEBANT, in ærarium inferatur.*

E quibus autem Dionis de tota ea re verbis, illud primo, quod ad eadem jam adnotavit, doctissimus Valesius, & agnovit etiam, post eadem Excerpta divulgata, Salmasius, (*i*) certo demum constitit, non alteri *Antonino*, quam huic Caracallæ, eam constitutionem, qua data omnibus in orbe Romano ingenuis Romana civitas, esse adscribendam; eandemque perperam illo Principe antiquiorem, uti a Spartiano, creditam; ac nominatim ad Pium, vel ad Marcum, ab Aurelio Victore, aut a Justiniano, ac dein a viris juris scientia omnique doctrinæ laude celebratissimis fuisse itidem relatam. Adeo ut, quod cæteroquin e verbis, quibus in ea constitutione commemoranda usus est Ulpianus, nempe *Imperatoris Antonini*, statui jam ea de re poterat, uti etiam a duobus viris doctis factum paullo ante diximus; aut ex iis præterea, quæ de hoc civitatis jure, necdum promiscue sub prioribus illis Antoninis impertito, supra evicimus, continuo

(*h*) L. LV. p. 563.

(*i*) De Modo Usur. p. 856. 857.

 emer-

emergebat; inde demum ſit omnino comprobatum & adſertum. Quo magis mirari ſubit, quod vir *(k)* incomparabilis, ac ut in aliis diſciplinis, ita in juris etiam ſcientia exercitatus, & viſo quidem hoc Dionis loco, haud eo minus cum Aurelio Victore, qui hanc conſtitutionem M. Antonino tribuit, ſtare Ulpianum exiſtimet, ac de illius auctore adhuc anceps hærere videatur. Hæc enim, ne quidquam ei adfingere videamur, ſunt illius ad eandem Conſtitutionem ab Ulpiano relatam verba: *(l) Hadriano id tribuit Chryſoſtomus* (quod a Caſaubono pridem ad Spartianum obſervatum, ſupra vidimus) *in Acta* &c, *ſed PRO ULPIANO eſt Aurelius Victor: is enimin M. Antonini Philoſophi vita:* data cunctis promiſcue civitas Romana. *AT Caracallæ id tribuit Dion Cocceianus. Fieri poteſt, ut modo arctius, modo laxius intellectum ſit jus civitatis.* Quum tamen, quod de Ulpiano ibi dicitur, quaſi is cum Aurelio Victore M. Antoninum auctorem illius conſtitutionis fecerit, ac ita cum Dione eidem ea in re non conveniat, iis abunde redarguitur, quæ jam ante de eodem Ulpiano adtigi, iſtoque inſuper & luculento quidem, συγχρόνῳ eidem Ulpiano & Conſularis auctoris, teſtimonio. Cui etiam rei ſuffragatur ipſa hujus legis, quam tangit in adducta modo narratione Dio, cauſſa vel inſtitutum: illudque non, ut ex Ulpiani alioquin de eadem conſtitutione verbis ſtatuere liceret, a benefica quadam Principis, qualis vel Pii vel Marci exſtitit, ſed lucri tantum & corrogandæ quibuſcunque artibus pecuniæ ſtudioſa mente continuo profluxiſſe. Adeo ut is non inde, quod ſpecioſa illa & profuſa civitatis largitio præ ſe ferre videbatur, inſtar Hadriani *(m)* LOCUPLETATOR ORBIS TERRARUM; vel etiam juxta Pium, in prolato ſupra ejus nummo, AMPLIATOR adeo CIVIUM, quam privati Principis,

(k) Hugo Grotius.

(l) Florum Sparſio ad jus Juſtin. p. 94.

(m) In Antiqui Hadriani nummis.

ut

ut id Dionis verba innuunt, fisci, exstiterit hic Antoninus. Hanc enim unam, concessæ ab eo lagitionis illius caussam & rationem aperte tradit ibi Dio; quo nempe *vicesimæ* hereditatum & manumissorum vectigal, quorum illud soli hactenus pendebant cives Romani, non autem provinciales seu peregrini, ab hisce quoque, post datam iis civitatem, deinceps persolveretur: immo ejus loco, ac duplicato proinde onere, inducto ab eodem Principe *decimæ* pro *vicesima* vectigali.

Quale autem illud *vicesimæ* vectigal fuerit; a quo primum, aut qua occasione repertum; ad quos spectaverit; quive ab eo fuerint immunes; quibusque mutationibus idem obnoxium exstiterit; & quomodo sublatum tandem illud fuerit, multis hic non adtingam: quod illa, maxime quæ ad Dionis percipienda ea de re verba adtinent, jam occuparit ad eadem doctissimus Valesius, ac post eum ὁ πάνυ Salmasius; aut jam ante utrumque, cum præclari subinde Romani juris interpretes, aut viri docti ad Plinii, qui de eadem agit, ac uti id in superiori Exercitatione vidimus, *vicesima* Panegyricum; ac nuper denique in erudito de Vectigalibus Populi Romani commentario collegit ac adnotavit eximius Burmannus. Unde illud obiter, & quo datæ a Caracalla provincialibus seu peregrinis Romanæ civitatis ratio, iis etiam, qui hos, quos modo adtigi, Scriptores non consuluerunt, liquido constet, hic tangam: inductum nempe ab Augusto, ut id alibi docet Dio *(n)* ad sublevandam ærarii inopiam, ac alendum militem, hoc *vicesimæ* hereditatum & donationum vectigal, quod persolvere tenerentur extranei Romani cives, qui hereditatem adibant. A quo autem onere, ex ipsius Augusti instituto, immunes erant pauperes hereditates, seu quæ non certam aliquam summam excederent: ac præterea proximi agnati *(o)*, ad quos,

(n) L. LV. p. 565.

(o) Inst. Justin. L. III. Tit. 1. & 2.

lege

lege duodecim tabularum, hereditas ab inteſtato pertinebat, ſui nempe heredes, & his deficientibus fratres ac ſorores, aut fratres patrueles & conſobrini. Reliqui autem ſeu novi cives, niſi cognationis jura a Principe, ut ea de re junior Plinius *(p)*, impetraſſent, tanquam extranei, a parentum & agnatorum hereditatibus erant excluſi; & ad quas proinde quæ a morientibus erant relictæ, adeundas, perſoluta demum ejuſdem hereditatis *vicesima*, illi admittebantur. Sequutis vero temporibus, a Nerva primum matribus ac earum liberis, dein a Trajano, quod ſuper jam vidimus, patribus itidem ac liberis, fratribus ac ſororibus, avis & aviis, eorumque nepotibus ac neptibus, etiamſi a Principe cognationis jura non eſſent conſequuti, immunitas in eorum bonis conceſſa; ſeu ut eam hereditatis *vicesimam* perſolvere iidem non tenerentur. Ab Antonino autem Pio abolitum hoc *vicesimæ* vectigal innuere Zonaram iis, quæ inde adduxit verbis, exiſtimat Cl. Valeſius: *(q)* ſed quæ *amplius consideranda* vere utique ibidem obſervat. Neque illa id certe, ſed aliud longe innuunt: Περὶ τούτου τοῦ αὐτοκράτορος ᾄδεται, ὅτι καὶ τὸ τῆς συγκλήτου κατέκαυσε ψήφισμα, ὃ κατ' ἐπιταγὴν τοῦ Ἰουλίου γέγονε Καίσαρος, θεσπίζον μηδενὶ ἐξεῖναι διαθήκην ποιεῖν, τὸ μὴ μέρος ἀφωρισμένον τῷ κοινῷ καταλείψει ταμείῳ. *De hoc (Antonino Pio (r), illud etiam celebratur, quod ſenatusconſultum Julii Cæſaris juſſu factum cremavit, quo edicebatur, ne cui teſtamenti factio eſſet, ni certam partem ærario legaret.* Quæ utique, quam nihil adtineant ad hanc hereditatum *vicesimam*, nemo, ut opinor, non videt; ut mirari proinde ſubeat, ea tamen potuiſſe de eadem *vicesima* a viro excellenti doctrina accipi: nempe Senatusconſultum Jul. Cæſaris juſſu factum, quo vetabatur, & quidem ſine ullo diſcrimine, teſtamenti factio, niſi certa bonorum pars communi ærario relin-

(p) Panegyr. c. 37.
(q) In Not. ad Dion. Exc. p. 108.
(r) L. XII. p. 593. T. 1. Ed. Reg.

quere-

queretur: *vicesima* autem vectigal ab Augusto inductum, quod exilibus hereditatibus & agnatis exceptis, persolverent extranei, quibus bona erant a morientibus relicta. Cujus equidem prioris illius Senatusconsulti, etsi haud alibi occurrat hodie mentio, ea utique ratio haberi potest, qua testamenta, quæ nihil fisco reliquissent, ut *ingrata* rescindi jussisse vel Caligulam *(s)* vel Neronem *(t)*, tradit in eorum vitis Tranquillus: ac prout vel populo Romano hortos circa Tiberim *publice* ab eodem Julio, aut plebi viritim *legata*, vel ab eo, vel ab Augusto *(u)* ac Tiberio *(x)* testamento relicta, ex eodem Suetonio ac Dione liquet *(y)*. Unde etiam, si quid a privatis legatum sit civitatibus, id utique valere, adductis etiam ejus rei exemplis, traditur aliquoties in *(z)* libris veterum Juris-consultorum, & quidem juxta Ulpianum *(a)*, inducto ejus rei a Nerva, & confirmato ab Hadriano jure: quum alioquin, ut ea de re in Epistolis Plinius, *(b) nec heredem institui, nec præcipere posse Rempublicam constet*; & suo adhuc ævo, quod viderunt jam ad eum Plinii locum viri docti, Ulpianus: *(c) nec municipia, nec municipes heredes institui possunt.* Eum vero, vel leges, vel censualium aut fiscalium actionum instrumenta, quæ ex mera principum indulgentia rescindi iidem vellent aut aboleri, quem Antonino Pio tribuunt adducta Zonaræ verba, cremandi morem, præter auctores, tangunt subinde variæ Imperatorum Constitutiones *(d)*, quæ in utro-

(s) Cap. 38.
(t) Cap. 32.
(u) Sueton. in Aug. c. 101.
(x) Idem in Tiber. c. 76.
(y) L. LVI. p. 590.
(z) Leg. LXXIII. D. de Legat. 1. Leg. CXVII. & CXXII. eodem.
(a) Fragm. Tit. XXIV. Sect. 28.
(b) L. V. Epist. 7.
(c) Fragm. Tit. XXII. S. 5.
(d) Leg. III. C. Th. de Jure Fisc. & Leg. VI. C. Just. eodem. Leg. II. & III. C. Th. de Indulg. Debit.

que

que Codice leguntur, & videri insuper possunt, quæ ea de re ad Cod. Theod. observat præstantissimus ejus enarrator *(e)*. Tale quidpiam vero de illa *vicesima* hereditatum, lege ab Augusto lata, sub Antonino Pio, ac ejus jussu, contigisse, nec a Zonara, quod modo vidimus, ullatenus traditur; nec admittit etiam, id quod de Pii successore Marco, ut istud bene alioquin animadvertit vir eruditissimus,*(f)* refert Capitolinus: *leges etiam additæ de vicesima hereditatum.* Unde etiam factum, ut novas quidem, sed dissimili admodum a Nerva, Trajani, aut ipsius, ut opinari licet, Marci exemplo, de hac *vicesima* leges tulerit Caracalla: nempe, quibus primo, ut nos docet in memoratis ejus verbis Dio, illud *vicesimæ* tam hereditatum, quam manumissorum vectigal, duplicato ejus onere, in *decimam* vertit: cujusque rei fidem etiam facit Ulpianus iis verbis: *(g) Sed Imperator noster in hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur, eas solas personas voluit admitti, quibus DECIMÆ immunitatem ipse tribuit.* Quod tamen *decimarum* pro *vicesima* vectigal, brevi abolitum, seu reductam mox *vicesimam*, tum ex aliis hujus Dionis verbis, uti jam a Valesio factum, licet colligere, quibus dicitur successor ejus Macrinus, *(h)* τὰ περί τε τοὺς κλήρους, καὶ τὰ περὶ τὰς ἐλευθερίας καταλειφθέντα ὑπὸ τοῦ Καρακάλλου παύσας, *atque etiam ille, quæ Caracalla circa defunctorum hereditates, & circa libertates admiserat (decimam* nempe hereditatum & manumissorum pro *vicesima* constituens) *cessari juberet:* tum præterea e Pauli, qui non sub hoc Caracalla solum, sed adhuc sub Alexandro Severo inter optimos juris auctores adsedit, Sententiarum libris *(i)*, in quibus caput *De Vigesima, hereditatum* nempe, etiamnum legitur. Alterum vero,

(e) Tom. IV. p. 195.
(f) Burman. de Vectig. P. R. p. 211.
(g) Coll. Leg. Mosaic. Tit. XVI. in fin.
(h) L. LXXVIII. p. 893.
(i) Recept. Sentent. L. IV. c. 6.

id-

idque acerbum itidem & grave, a Caracalla circa hereditates innovatum a Dione dicitur: nempe sublatum jus succedendi ab intestato, quibus alioquin id proximæ agnationis jure competebat, tum adempta iis *vicesimæ* immunitas, qui illam eodem jure a prioribus Principibus obtinuerant. Quod utrumque *ad suos heredes*, agnatis nempe exclusis, jus succedendi ab intestato; ac immunitatem præterea *vicesimæ*, seu *decimæ* verius, a Caracalla restrictam, ex Ulpiani loco modo jam adducto, & quem jam viderat Valesius (*k*), haud male colligit magnus Salmasius (*l*). Cujus nempe Ulpiani hæc sunt ea de re verba: (*m*) *Sed Imperator noster in hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur, eas personas solus voluit admitti, quibus decimæ immunitatem ipse tribuit.* Non ergo sublata ab hoc Antonino omnis ab intestato successio, quæ fisco tanquam caduca cederet, ac prout cæteroquin de eodem Principe tradit Ulpianus: (*n*) *Hodie ex constitutione Imperatoris Antonini, omnia caduca fisco vindicantur*; sed tamen adempta eadem, uti a Dione dicitur, *genere proximis seu agnatis mortuorum*, τοῖς πάνυ προσήκουσι τῶν τελευτώντων; ad quos tamen illa (*o*), veteri XII Tabularum jure, & receptis usque ad ea tempora Romanorum moribus pertinebat. Quam autem, ut obiter hoc addam, succedendi ab intestato rationem, apud Athenienses quoque obtinuisse; eamque inde a Decemviris in XII Tabulas continuo relatam e Græcorum Oratorum Isæi (*p*) ac Demosthenis (*q*) ea de re verbis, licet omnino statuere. Tertium vero & palmarium occurrit in eo Dionis loco, quod ex eo, ut diximus, liquido tandem edoceamur, ab hoc An-

(*k*) In Notis ad Dion. Excerpt. pag. 108.
(*l*) De Modo Usur. p. 857.
(*m*) Collat. Mosaic. Leg. Tit. XVI.
(*n*) Fragm. Tit. XVII. S. 3.
(*o*) Inst. Just. L. III. Tit. V.
(*p*) Orat. VI. pag. 488. Edit. Hanov.
(*q*) Adv. Macartat. pag. 665.

tonino Caracalla non latam solum esse eam constitutionem, qua, ut de eadem Ulpianus, *qui sunt in orbe Romano, cives Romani effecti sunt*; sed præterea, quam aliunde utique haud licuisset conjicere vel opinari, additam ibidem hanc ejus constitutionis caussam & rationem. Nempe, ubi post inductum *decimæ* hereditatum & manumissorum pro *vicesima* vectigal, ac succedendi ab intestato, sublatas immunitates, addit Dio: *(r)* Οὗ ἕνεκα καὶ ΡΩΜΑΙΟΥΣ ΠΑΝΤΑΣ τοὺς ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ λόγῳ μὲν τιμῶν, ἔργῳ δὲ ὅπως πλείω αὐτῷ ἐκ τοῦ τοιούτου προσῇ, διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, ΑΠΕΔΕΙΞΕΝ, *cujus rei caussa etiam OMNIBUS, qui IN ORBE ROMANO ERANT, CIVITATEM DEDIT, specie quidem ipsa honorem eis tribuens, sed revera ut fiscum suum augeret: quippe cum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent.* Ut non inde utique illud *Magni* eloquium, quod Alexandri exemplo ei subinde tribuunt illius ætatis Juris-consulti, Paulus, Marcianus, Modestinus, promeruerit hic Antoninus: veluti: *(s) D. Magnus Antoninus cum patre suo rescripsit.* vel, *(t) Magnus tamen Antoninus permisit*: aut, *(u) Divi Severi & Magni Antonini Rescriptum est*: vel *(x) Magnus Antoninus rescripsit.* Unde etiam a Modestino in quadam lege Græcorum verbis descripta, dicitur: *(y)* Ἀντωνῖνος ὁ μέγας, ac proinde *Antoninus Magnus*, nempe idem hic Caracalla, non ut ibi male a Latino horum verborum interprete, *Marcus Antoninus* vertitur. Immo quam in rem lectori haud ingratum fore arbitror, si in præclaro Gazæ Gallorum Regiæ nummo signatum illud MAGNI cognomen seu e-

(r) Excerpt. pag. 745.
(s) Leg. V. D. de Veteran. Leg. XI. S. 3, 4. D. de munerib.
(t) Leg. XI. D. de Legat.
(u) Leg. I. D. de Req. V. Abs. Damn. L. IX. D. de Div. Temp. Præscr.
(x) Leg. XVI. S. 11. D. de Publican.
(y) Leg. XIV. S. 2. D. de Excusation.

logi-

logium, quod tulerit ille *Antoninus* hujus constitutionis, quam commentamur, auctor, opportune proinde conspiciendum hic damus; ac unde dictis modo & coævis huic Principi Juris-consultis, qui eandem appellationem ille subinde, ut vidimus, largiuntur, lux continuo accedat:



Tribuitur vero huic Antonino eadem MAGNI appellatio in alio quoque argenteo ac minoris, quod aiunt, æris nummo, qui haud ita pridem est in eandem Regiam Gazam illatus. Hoc enim novissime me per literas monuit, qui superioris nummi ectypum ad me, qui id ab eo absens flagitaveram, pro solita comitate transmisit, ejusdem admirabilis Gazæ custos cultissima eruditione ac humanitate Oudinetus. Exstat vero illius nummi, quem modo protuli, & quod postea, dum illud forte consulo, animadverti, sed aliquantum tamen diversa effigies, in Cl. Vaillant opere, quod ille de Numismatibus Imperatorum præstantioribus inscripsit ac divulgavit. Quamquam non MAGNI solum, instar Alexandri, cui se scilicet (z) *æquandum putabat*, sed MAXIMI aut Jovis instar Capitolini, OPTIMI MAXIMIQUE, quomodo eum & patrem Severum ap-

(z) Spartian. in Caracall. c. 2.

pellat quandoque Papinianus, elogia retulerit deterrimus hic Imperator. Ita de Patre ille alioquin *prudentiſſimus*, uti ab (*a*) aliis dein Imperatoribus dici ſubinde meruit, juris antiſtes; (*b*) *Optimus Maximuſque Princeps noſter Severus Auguſtus*: alibi nec ſemel, (*c*) *Optimuſque Imperator noſter Severus*: de utroque autem Patre ac Filio, neque uno loco: (*d*) *Optimi Maximique Principes noſtri.* Ad quos proinde alia lege reſpicere cenſendus eſt idem præcipua tum apud eos dignatione Papinianus: (*e*) *Qui Maximos Principes appellavit*: alibi: (*f*) *D. Marcus ac poſtea Maximus Princeps* (Antoninus nempe Caracalla) *judicantes*: aut quum ait alibi adhuc: (*g*) *Optimi Principes noſtri reſcripſerunt*: ac ſimiliter ab (*h*) alio ejuſdem ætatis juris perito, *ab Optimis Imperatoribus noſtri reſcriptum eſt.* Quod equidem *Optimi* cognomen, meliori utique jure, in Trajani Imperatoris nummis; aut prout alioquin *Parthici Maximi* in nummis eorundem Principum Severi ac Antonini etiamnum conſpicitur. Ita autem e Dione modo adducta unica & ſingularis quidem hujus, quam in omnes ingenuos imperio Romano ſubjectos, contulit hic Princeps, largitionis cauſſa & ratio exſtitit: ut fiſcum nempe ſuum tam immenſo novorum civium numero, qui illud inductum ab eo *decimæ* pro *viceſima* vectigal, in adeunda defunctorum hereditate, perſolvere de-

(*a*) Gordian. Leg. XII. Cod. de Legat. Carus, Carinus, Numer. Leg. XVI. Cod. de Fideicom. Dioclet. Leg. XIV. Cod. de Præd.

(*b*) Leg. VIII. D. de Vacation.

(*c*) Leg. LXVII. S. 10. D. Ad Leg. Falcid. L. VII. D. de Vacation.

(*d*) Leg. XXII. D. de Publ. Judic. L. XXX. D. de Excuſat. L. XVI. S. 1. D. de H. Q. U. Ind. Auf.

(*e*) Leg. VIII. S. 3. D. de Munerib.

(*f*) Leg. XVII. D. de Quæſtion.

(*g*) Leg. XXII. D. de Public. Judic.

(*h*) Tryphonin. Leg. XXXIX. D. de Pœnis.

inceps

inceps tenerentur, immaniter locupletaret. Soli enim, ut antea vidimus, & aperte docet in Panegyrico Plinius *(i)*, Romani, & novi quidem inter eos cives, qui cognationis jura a Principe peculiari rescripto aut aliunde non impetraverant, pendebant hactenus eam hereditatum *vicesimam*; non vero peregrini seu provinciales, quod ad eos, ut viderunt jam viri docti, non adtinerent Quiritium seu civilia Romanorum jura, nec testamento civis Romani capere quidpiam iidem possent. Quo intuitu proinde potior videri poterat conditio peregrinorum seu provincialium, quam eorum, qui civitate Romana a Principe donabantur; & huic *vicesimæ* prius, aut sub hoc Antonino, graviori adhuc *decimæ* hereditatum, quæ iis relinquerentnr, oneri erant obnoxii. Immo prout jam olim, libera adhuc Republica ac etiam ante inducta id genus novorum civium onera, a multis oppidis prælata leguntur, quod supra etiam adtigimus, sicut ab aliquot Hernicorum *(k)* populis, vel Prænestinis *(l)* apud Livium; aut ab Heracliensibus & Neapolitanis apud Ciceronem *(m)*, Romanæ civitati avita suarum legum, quibus eadem oppida ab antiquo fruebantur, jura, seu, ut ea de re Tullius: *(n) Cum magna pars in iis civitatibus fœderis sui libertatem civitati anteferret.* Quamquam ea paullatim insederit Romani nominis majestas, & Romanæ proinde civitatis, adnexorumque eidem variorum jurium & privilegiorum dignitas ac veneratio, ut aliis omnibus rationibus posthabitis, ac similis proinde, de quo hic agitur, *vicesimæ* & *decimæ* oneris respectu, *peregrini* nomen cum *Romani civis* appellatione commutare, eximium quid ac singulare a plerisque du-

(i) Cap. 37.
(k) Leg. IX. c. 43. & 45.
(l) L. XXIII. c. 20.
(m) Orat. pro Balbo c. 21.
(n) Ibidem.

cere-

ceretur. Quo ſpectat etiam illud Plinii *(o)*, ubi de hoc ipſo *viceſimæ* onere agit: *Inveniebantur tamen, quibus tantus amor noſtri nominis ineſſet, ut ROMANAM CIVITATEM non modo viceſimæ, verum etiam adfinitatum damno, bene compenſari putarent.* Sublatam vero tandem ſequentium Imperatorum conſtitutionibus eandem *hereditatum viceſimam* ac proinde eo onere levatos penitus veteres juxta ac novos Romanorum cives, e Juſtiniani ea de re, quæ in ejus Codice leguntur, verbis abunde liquet: *(p) Edicto Divi Hadriani, quod ſub occaſione VICESIMÆ (partis) HEREDITATIS introductum eſt, cum multis ambagibus & difficultatibus, & indiſcretis narrationibus penitus quieſcente, quia & VICESIMA HEREDITATIS EX NOSTRA RECESSIT REPUBLICA.*

(o) Panegyr. c. 37.

(p) Leg. III. Cod. de Edict. D. Hadr. Toll.

CAPUT

CAPUT V.

IMP. ANTONINI constitutio de ingenuis *lata Varia* manumissorum *olim in Orbe Romano genera, nec omnes ii* cives Romani. *De* Latinis libertis *seu* Junianis *ac* Dedititiis. *De* manumissionibus in Ecclesiis *a Constantino Imp. inductis. S. Ignatii locus expensus, ac viri docti de eodem interpretatio confutata. Gaii J. C. verba de manumissionibus* in Ecclesia *adducta & expensa. Obvium* Ἐκκλησίας *apud Græcos, & inde apud juniorem Plinium,* Ecclesiæ *nomen, Græcorum more, de Populi concione.* De ingratis *in Patronos* manumissis, *de eorum pœnis, & aliquo inter eos discrimine, qui* fideicommissariam *aut* directam libertatem *erant consequuti. De sublato ab Imp. Justiniano omni inter* ingenuos *ac* libertos *discrimine: diversis proinde gradibus, quibus factum tandem, ut vere* omnibus *in Orbe Romano* civitas Romana *sit impertita. Viri docti de* jure Latii *tantum, non autem* de jure Quiritium, *Antonini Imp. constitutione concesso, sententia confutata. De vero sensu Legum & Constitutionum quæ ab eodem*

dem viro docto eam in rem adducuntur. De classiariis *apud Romanos, iisque* peregrinis, *aut* libertinæ conditionis, *quandoque etiam* servis. *De iisdem* classiariis *vel* Classicis, *qui* incensiti *dicti in utroque Codice, & quæ ratio eorum fuerit, illorumque ab* incensis *discrimine. Jac. Gothofredus notatus.*

ILLUD equidem primo loco in his Antoninianæ constitutionis verbis, *in Orbe Romano QUI SUNT, cives Romani sunt effecti*, est omnino advertendum; quod alioqui uno verbo ibi monent interpretes, id nempe de *ingenuis* intelligi: sed quod paullo diligentius hic est a nobis declarandum. Ejus equidem rei, ut hinc ordiar, seu notationis fidem abunde facit Justinianus ea constitutione, qua hujus ipsius Antoninianæ legis, sed quam ibi male, quod antea vidimus, ad Pium refert, fit ab eo mentio: *(a) Sicut enim Antoninus Pius cognominatus (ex quo etiam ad nos hæc appellatio pervenit) JUS ROMANÆ CIVITATIS prius ab unoquoque subjectorum petitum, & taliter ex iis, qui vocantur, PEREGRINI, ad Romanam INGENUITATEM deducens hoc ille OMNIBUS in commune subjectis donavit.* Quomodo ibi *peregrini*, quales vulgo dicti a Romanis provinciales, ad Romanorum civium discrimen, cum alibi sæpe a Romanis Scriptoribus, tum ab Ulpiano (*b*) aliisque sunt appellati: quosque inde post Antoninianam constitutionem, *ad Romanam ingenuitatem*, seu ad ingenuorum civium Romanorum conditionem deductos tradit Justinianus. Id equidem, & quod in priori Exercitatione, ubi de data ab Augusto civi-

(*a*) Novell. LXXVIII.

(*b*) Fragm. Tit. V. c. 4. & Vet. Jur. Fragm. a Pithæo edit.

civitate agebatur, jam adtigi; & cæteroquin Romani juris ac antiquorum rituum haud plane ignaris est notum; quod nempe servi olim a Romanis manumissi, inde cives Romani, ut id tradentem vidimus Dionysium *(c)*, & id similiter a Cicerone *(d)* pro Balbo dicitur, continuo fierent: quodque a primis urbis Romæ cunabulis obtinuisse, ut unum nempe esset libertatis genus, & uterque tam manumissus, quam manumissor civis esset Romanus, docent Justinianus *(e)* ac Theophilus *(f)*. Quæ inde *(g)* *justa libertas* est dicta, seu ut in veteri juris Fragmento, quod edidit *(h)* Pithœus, *(i)* *civitas Romana competit manumissis, quæ appellatur legitima libertas.* Unde, ut hoc addam, ab Ulpiano alicubi dicitur, *tam grande beneficium, quod in LIBERTOS confertur, cum ex servitute AD CIVITATEM ROMANAM perducuntur.* Quum vero ingens quotidie e servis manumissis Romanorum civium numerus jam olim multiplicaretur: ne exin vilesceret nimium ille honor, & ad dominorum lubitum in indignos passim conferretur, varia ab Augusto excogitata sunt vel constituta, quibus eadem libertas, ac ita profluens inde jus Romanæ civitatis coerceretur. Hinc latæ ab eo leges, ut de eo tradentem jam ante vidimus Suetonium *(k)* ac Dionem *(l)*, quibus *manumittendi modum*, quod ille ait, *terminavit*; tum de numero, de conditione ac differentia eorum, qui manumittebantur, studiose cavisse ab eodem Tranquillo dicitur, ac inter alia ne vinctus quis unquam ac tortus (quique *Dedititiorum* nomine ab Ulpiano *(m)* appellantur) ullo libertatis genere civitatem adipis-

(c) Antiq. L. IV. pag.227.
(d) Cap. 24.
(e) Instit. de Libertin. S. 3.
(f) Ibidem.
(g) Instit. de Libertin. S. 3.
(h) Post Collat. Leg. Mosaic.
(i) Leg. I. D. de Bon. Libert.
(k) In August. cap.40.
(l) L. LV. pag. 57.
(m) Fragm. Tit. Sect. 1.

ceretur: tum etiam de conditione manumittentium multa ab eo provide constituta tangit Dio (n). Quo spectant itidem variæ, quæ in libris juris Justinianei, neque sub uno capite, leguntur ea de re veterum Juris-consultorum (o) leges, & constitutiones Imperatorum (p). Quam in rem inductum illud sub eodem Augusto, & notum ex Romanorum legum penu, ac veterum juris antistitum, quæ adhuc supersunt, Fragmentis (q), inter manumissos discrimen: ut nempe qui vindicta, censu, ac testamento manumitterentur, soli inde essent, quamquam non optimo, ut alibi dicetur, jure, ab honoribus quippe exclusi, cives Romani: alii vero libertatem, sed sine civitate consequerentur, quique *Latini liberti* seu *Juniani* (quos nempe lex Junia, ut de iis jam antea vidimus, induxit, neque proinde fieri poterant, ut in iisdem Fragmentis dicitur, a peregrinis) alii vero *Dedititii* (r), ex lege Ælia Sentia, sunt deinceps dicti. De quo proinde priori *manumissionis* seu *manumissorum* genere intelligi debet memorata jam ante Diocletiani constitutio: qua (s) *CIVES origo, MANUMISSIO, allectio vel adoptio facere* dicuntur: ac, prout ab iisdem principibus, in alia eorum constitutione, legitur: (t) *nihil CIVITATI ROMANÆ semel præstitæ vel addere, vel detrahere SECUNDAM MANUMISSIONEM potuisse.* Quomodo brevi dein contigit, ut inductis a Constantino, quæ in (*) utroque Co-

(n) L. LV. p. 557.
(o) Vid. D. de Manumiss. Qui & A Quib. Manum. de Libertis &c.
(p) C. Just. de Vind. Libert. Testim. Manum. de Libert. &c. Inst. Ex Caus. Manumitt.
(q) Ulpian. Tit. 1. S. 5. 6. 7. Fragm. Jur. Pith.
(r) Inst. de Libertin. S. 3.
(s) Leg. VII. Cod. Just. de Incolis.
(t) Leg. 2. Cod. de Vindicta.
(*) De Manum. in Eccles. C. Th. & Cod. Just. Lib. I. Tit. XIII.

dice

dice leguntur, legibus, & quod tangit alibi adhuc Justinianus *(u)*, manumiſſio, ut olim *(x)* ad aras ſubinde ac in templis Gentilium, vel in publicis populi cœtibus, ita in Eccleſiis Chriſtianorum fuerit recepta ; & qua, cum *juſta* ac plena, ſeu, ut ea ibidem dicitur, *directa libertate*, civitas Romana publice itidem, ut antea vindicta ac cenſu, ſervis ſeu manumiſſis conferebatur. Ita enim Conſtantinus : *(y) Qui religioſa mente in Eccleſiæ gremio ſervulis ſuis meritam conceſſerit libertatem, eandem eodem jure donaſſe videtur, quo CIVITAS ROMANA, ſolemnitatibus decurſis, DARI conſuevit.* Nempe ut de iis in Eccleſia manumiſſis, a veteri hujus legis interprete dicitur, *noverit eos ſuſcepta libertate CIVES eſſe ROMANOS.* Quod aperte etiam indicat eo loco, quo ad eaſdem latas a Conſtantino leges reſpicit, & qui non fugit doctiſſimum Theodoſiani Codicis *(z)* enarratorem, Sozomenus. Cujus autem Auctoris ea de re verba ſunt hic adponenda : quæ nempe inductum illum a Conſtantino manumiſſionum in Eccleſia, qui ſua adhuc ætate obtineret, ritum, & quidem quo manumiſſi Romani cives continuo fierent, haud parum illuſtrant : *(a)* Ὑπὸ γὰρ ἀκριβείας νόμων, καὶ ἀκόντων τῶν κεκτημένων, πολλῆς δυσχερείας οὔσης περὶ τὴν κτῆσιν τῆς ἀμείνονος ἐλευθερίας, ἣν ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ Ῥωμαίων καλοῦσι, τρεῖς ἔθετο νόμους, ψηφισάμενος πάντας τοὺς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερουμένους ὑπὸ μάρτυσι τοῖς ἱερεῦσι, ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ΡΩΜΑΙΚΗΣ ΤΥΓΧΑΝΕΙΝ· ταύτης τῆς εὐσεβοῦς ἐφευρέσεως, εἰς ἔτι νῦν ὁ χρόνος φέρει τὸν ἔλεγχον. ἔθους κρατοῦντος τοὺς περὶ τούτου νόμους προγεγράφθαι ἐν τοῖς γραμματείοις τῶν ἐλευθεριῶν. *Nam cum ob nimiam legum ſeveritatem, ac invitis etiam dominis, potior LIBERTAS, quam ROMANAM CIVITA-*

(u) L. I. c. 9.
(x) E Servio &c. Jac. Gothof. ad C. Th. p. 355. T. I.
(y) Leg. Unic. C. Th. de Manum. in Eccleſ. Leg. II. C. Juſt. eodem.
(z) Ad Cod. Th. de Manum. in Eccleſ. p. 355. T. I.
(a) Lib. I. c. 9.

TEM vocant, difficile admodum acquireretur, tres tulit leges Conſtantinus, *quibus conſtituit, ut quicunque in Eccleſia ſub teſtimonio ſacerdotum libertate donati eſſent, CIVITATEM ROMANAM conſequerentur. Hujus piæ inſtitutionis indicium ætas noſtra adhuc retinet: cum moris ſit, ut leges hac de re ſcriptæ præfigantur in tabulis manumiſſionum.*

Ad quas autem manumiſſiones in Eccleſia fieri ſolitas, quod monere hic obiter liceat, reſpici putat ab Ignatio in eruditis ad eum adnotatis doctiſſimus Cotelerius, ubi de ſervis a ſanctiſſimo Martyre dicitur: (*b*) Μὴ ἐράτωσαν ΥΠΟ ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ ἐλευθεροῦσθαι, ἵνα μὴ δοῦλοι εὑρεθῶσιν τῆς ἐπιθυμίας, *non cupiant A COMMUNI donari libertate, ne ſervi inveniantur cupiditatis.* Ibi certe inter alia per Κοινοῦ, *commune Chriſtianorum in Eccleſia ſignificari,* obſervat vir eruditiſſimus, ubi nempe ſervorum manumiſſiones a dominis fieri licuit: cuique, ut addit, interpretationi faveat Bruneri editio, & quam, *lubente* eodem Cotelerio, amplecti quivis poſſit. Verum quum hæc ſcriberet, non adtendit omnino vir diligens alioquin ac eruditus, id genus manumiſſiones in Eccleſia a Conſtantino Imperatore, ut modo vidimus, & latis ea de re, quæ etiamnum in utroque Codice Theodoſiano ac Juſtinianeo leguntur, conſtitutionibus fuiſſe demum inductas: neutiquam proinde ad id reſpicere potuiſſe Ignatium, a quo jam ſub initium ſecundi a Chriſto ſeculi, hanc cum ſex prioribus Epiſtolis ſcriptam ſtatuit vir doctus: neutiquam vero, illas, eodem judice, ad quartum demum ſeculum, ſeu Conſtantinianeum ævum, quæ doctiſſimi Dallæi de iiſdem Ignatianis Epiſtolis fuerat ſententia, debere ablegari. Quamquam, ut id opportune hic moneam, in Gaii J. C. & qui ſub Marco Antonino Imperatore, quod jam antea diximus, floruit, Fragmentis legatur: (*c*) *cives Romani ſunt, qui his tribus modis, id*

(*b*) Epiſtol. ad Polycarpum Sect. 4.

(*c*) Tit. I. Inſt. Sect. 2.

eſt

est testamento, aut IN ECCLESIA, *aut ante Consulem fuerint manumissi*: rursus: (*d*) *nam Latini patronorum beneficio, id est, si iterum ab ipsis, aut testamento, aut* IN ECCLESIA, *aut ante Consulem manumittantur.* Ad quem locum autem mirantur præclari juris antistites, unde ibi Gaio Ethnico *Ecclesiæ* nomen; legendum proinde, iis auctoribus, *aut censu, aut*, quod sequitur, *ante Consulem*: nempe prout ab Ulpiano inter cives manumissos referuntur, qui (*e*) *lustrato censu Romæ, jussu dominorum inter cives Romanos censum profitebantur.* Neque tamen ideo admirationem continuo meretur adhibitum a Gaio, Gentili homine, *Ecclesiæ* nomen: quum illud, quod tralatitium, de *populi concione* seu *cœtu* a Græcis diceretur; ut idnon solum ex Atticis Auctoribus obvium, ac a Polybio cum alibi, tum de Achæorum τῷ Κοινῷ, seu *Communi*, (*f*) συναχθείσης τῆς τῶν Ἀχαιῶν ἐκκλησίας, *congregata Achæorum concione*, sed ab Aristide quoque, ut de Luciano sileam, qui huic Gaio fuit σύγχρονος, (*g*) γιγνομένης τῆς ἐκκλησίας πρώτης, *ac prima haberetur concio.* Quod nomen *Ecclesiæ* inde a Romanis Auctoribus, sicut a juniore Plinio, quod pridem viderunt viri docti, Græcorum more, nempe (*h*) *bule & Ecclesia consentiente*, uti a Gaio quoque fieri hoc loco potuit, est usurpatum. Haud aliter ac *buleuterium*, de Syracusanorum curia dixit (*i*) Cicero; aut *buleutæ*, de Claudianopoleos in Bithynia Senatoribus seu Decurionibus, junior (*k*) Plinius; aut vero (*l*) *Syndici*, (*m*) *Irenarchæ*, (de quibus *Irenarchis* peculiaris etiam constitutio exstat in (*n*) Codice)

(*d*) Sect. 5. Eodem.
(*e*) Tit. I. Sect. 8.
(*f*) Exc. Leg. LXXIII. p. 895.
(*g*) Serm. Sacr. IV. p. 613. T. 1.
(*h*) Lib. X. Epist. III.
(*i*) II. in Verrem c. 21.
(*k*) Lib. X. Epist. 48.
(*l*) Leg. I. Sect. 2. & L. XVIII. Sect. 15. D. Ad Municipal.
(*m*) Leg. XVIII. Sect. VII. 12. 17. Eodem.
(*n*) Leg. Unic. C. de Irenarchis.

Lime-

Limenarchæ, *Mastigophori*, pluraque id genus dignitatum seu munerum apud Græcos nomina; adde & Judæorum (o) *Synagogæ* & *Synedria* leguntur in illis veterum Juris-consultorum commentariis, & sequutis dein Romanorum Imperatorum constitutionibus. Ut mittam *Apostolos* de literis dimissoriis, quibus appellabatur ad Principem, in (p) Digestis & in (q) Codice, ac (r) alibi adhuc a priscis Juris-consultis, dictos. Quomodo itidem factum, ut sicut *Episcopi*, *Presbyteri*, *Diaconi*, aliorumque id genus sacrorum apud Christianos antistitum vel ministrorum, ita ad indicandos Christianorum cœtus seu commune, id a Christianis Romano sermone usis, *Ecclesiæ* nomen sit adhibitum passim ac retentum. Mitto insuper, quod longius a Gaii verbis, ac duobus quidem locis, ut modo vidimus, abeat hæc *aut censu*, pro *aut in Ecclesia*, emendatio. Quum vero manumissiones illæ pro tribunali, ut id ab eodem Gaio (s) alibi dicitur, apud Prætorem nempe vel Consulem in urbe; in Provinciis vero apud eorum Rectores, *Magistratusve earum civitatum* quibus hujusmodi jus est, ut in quadam Imp. Constantini (t) constitutione dicitur; immo quod paullo ante diximus, in publicis populi cœtibus sive *lustrato populi censu*, ut de iis (u) Ulpianus, Romæ manumittendi *inter cives Romanos censum profitebuntur*: id utique in *Ecclesia*, Græcorum more & verbo, hoc est in publico populi cœtu seu concione factum liquet. Unde etiam minus insolitum contigit, quod, ut dictæ modo leges, aliaque veterum Auctorum testimonia abunde declarant, cives Romani con-

(o) Leg. IV. & XVII. C. de Judæis.
(p) Leg. Unic. D. de Litter. Dimiss.
(q) Leg. V. C. de Appellat.
(r) Paulus J. C. Lib. V. Senten. Tit. 34. S. 1.
(s) Leg. VII. D. de Manum. Vind.
(t) Leg. IV. C. de Vind. Libert.
(u) Tit. V. S. 8.

ti-

tinuo fierent sub Constantino, ac sequutis dein Imperatoribus, qui in Ecclesiis Christianorum, (quæ inde *Ecclesiasticæ libertates* dicuntur, ut observo, alicubi, a (*x*) Justiniano Imp.) sicut prius vindicta, aut censu, vel testamento etiam, juxta constitutos nempe legibus ea in re modos ac fines, erant manumissi. Neque tamen, quod ex iisdem vel legibus, vel ritibus similiter colligitur, legis Antoninianæ, qua omnes in orbe Romano cives Romani sunt effecti, sed mero dominorum, a quibus eam libertatem consequebantur, beneficio, juris illius seu Romanæ civitatis sunt ii compotes facti. Unde eosdem etiam dominos, tanquam hujus beneficii auctores, pro patronis deinceps colere, iisque præscripta legibus, quæ in (*y*) jure Justinianeo etiamnum leguntur, jura & obsequia præstare hi manumissi tenebantur; ne ut ingrati in servitutem, qua de re jam in priori Exercitatione diximus, denuo redigerentur, aliisve pœnis subjacerent. Nempe juxta illud Callistrati: (*z*) *omnia admissa in patronum gravius vindicantur, quam in extraneos.* A quibus tamen pœnis immunes ferme erant, ut hoc ex iisdem Romani juris auctoribus constat, qui fideicommissariam libertatem erant consequuti; in quos nempe non eadem erant jura patronorum, ut id a (*a*) Papiniano diserte alicubi monitum videas; alibi in Codice, ab hoc ipso, a quo ille Juris-consultorum Coryphæus & cultus est primum ac dein cæsus, (*b*) Imp. Antonino Caracalla traditur. Haud eo minus vero hæc ejus, de qua hic agimus, constitutio pertinet ad *ingenuos* tantum, non vero ad *libertos* seu

(*x*) Leg. IV. C. Commun. Manum.

(*y*) Vid. D. & C. de Operis Libert. D. de Bonis Libert. Item D. si Q. vid. in Fraud. Patron. & C. de Obseq. Patron. Præst.

(*z*) Leg. XXVIII. S. 8. D. de Pœnis.

(*a*) Leg. XXIV. D. de Excusation. & L. XIV. D. de Tutor. Dand.

(*b*) Leg. I. Cod. de Libertis.

manu-

manumiſſos, ſive libertatem fideicommiſſariam, ſive directam, ut loquuntur (*c*) iidem juris auctores, ii forent nacti. Unde etiam de libertinæ conditionis hominibus, id ab Imp. Diocletiano dici adhuc videas: (*d*) *tunc enim, quoad vivunt, imaginem, non ſtatum ingenuitatis obtinent*: dein adhuc apertius: *Qui autem LIBERTINUS ſe dicit INGENUUM, tam de operis civiliter, quam etiam ex lege Viſellia criminaliter poterit perurgeri*; additque continuo: *In curiam autem ſe immiſcens, damno quidem cum infamia afficitur*: quod nempe a publicis honoribus excluſi eſſent, niſi quod in eadem conſtitutione dicitur, *jure aureorum annulorum impetrato a Principe.* Adeo ut multo minus adhuc ad memoratos paullo ante *Latinos libertos* vel *Dedititios*, ut de ſervis jam nihil dicam, Antonini conſtitutio reſpexerit: de quibus nempe *Latinis libertis* ait Salvianus (*e*) eo loco jam antea a nobis memorato, ſed quem primus obſervavit in (*f*) præclaro opere magnus Cujacius: *More ergo illorum uteris, qui ſervos ſuos non bene de ſe meritos, quia CIVITATE ROMANA INDIGNOS judicant, jugo Latinæ libertatis addicunt.* Quamquam peculiari Conſtantini conſtitutione proviſum liqueat, de ingrato id genus liberto, qui inde Romana civitate exciderat, (*g*) ubi *ex pœnitentia dignum ſe præſtiterit, ei CIVITAS ROMANA redditur*, nempe *ſi hoc*, ut continuo additur, *patronus ejus, oblatis precibus impetraverit.* Id enim ex alia ejuſdem Conſtantini conſtitutione in (*h*) Codice Theodoſiano conſtat, eandem adhuc fuiſſe, illius Principis nempe & ſequentis ſeculi ſcriptoris Salviani tem-

(*c*) Leg. XXIV. D. de Excuſat. L. IV. IX. & XIV. C. de Teſtam. Manum.

(*d*) Leg. Unic. C. ad Leg. Viſell.

(*e*) Adv. Avarit. L. III. c. 7.

(*f*) Obſerv. L. IV. c. 3.

(*g*) Leg. II. C. de Libertis & Cod. Theod. Eodem.

(*h*) Leg. I. C. Theod. D. Hered. Petit.

pori-

poribus horum *Latinorum*, ut jus Romanorum civium iidem non haberent, conditionem. Adeo etiam ut in pœnam, qua de re paullo ante, ingratis libertis, qui erant cives Romani, cederet, ut quod ait Constantinus de liberto ejus culpæ reo, (*i*) *si is qui dignitate ROMANÆ CIVITATIS amissa, LATINUS fuerit effectus*: ac inde heredes filios non haberet, sed Patronum Patronique liberos. Neque enim data erat hisce *Latinis* libertis, quam habebant liberti cives Romani, testamenti factio, & de quibus dixerat ante adducta paullo ante verba Salvianus: (*k*) *In usu siquidem quotidiano est, ut servi, etsi non optimæ, certe non improbæ servitutis, ROMANA a dominis LIBERTATE donentur: in qua scilicet & proprietatem peculii capiunt & JUS TESTAMENTARIUM consequuntur, ita ut & viventes, cui volunt, res suas tradant, & morientes, donationes transcribant.* De *Latinis* vero *libertis* e contrario ait, dum quæ antea de iis adduximus, subdit: *quos scilicet jubent quidem sub libertorum titulo agere viventes, sed nolunt quicquam habere morientes.* Quomodo a Justiniano postea de iisdem *Latinis* est similiter dictum: (*l*) *Quia, licet ut liberi vitam suam peragebant, attamen ipso ultimo spiritu simul animam atque libertatem amittebant, & quasi SERVORUM* &c. Verum quam eorundem *Latinorum* conditionem abunde insuper testatam facit alia ejusdem Justiniani constitutio, (*m*) *de Latina Libertate Tollenda Et Per Certos Modos In Civitatem Romanam Transfusa*: tum repetita ejus rei in (*n*) Institutionibus commemoratio; & simul alterius constitutionis, *de Dedititia Libertate Tollenda*, quæ in ejus (*o*) Codice itidem legitur. Quibus insuper accedit memorata jam ante ejusdem Principis (*p*) Novella Constitutio

(*i*) Eodem.
(*k*) Lib. I. c. 9.
(*l*) Inst. de Success. Libertin. Sect. 4.
(*m*) Leg. Unic. C. Lib. VII. Tit. VI.
(*n*) Inst. de Libertin. S, 2.
(*o*) Lib. VII. C. Tit. V.
(*p*) Nov. LXXVIII. c. 5.

tutio, qua post factam datæ Antonini lege *omnibus in commune subjectis* civitatis mentionem: ac dein a juniore Theodosio, juris trium liberorum omnibus ingenuis impertiti: exin a se omnibus manumissis seu libertinis, *Latinis* proinde ac *Dedititiis*, Romanam civitatem dari, solemni eadem lege sanciri ac obtinere deinceps voluit. Cujus autem ea de re verba merentur hic adscribi: (q) *Sic enim nos, hoc videlicet regenerationis & aureorum annulorum jus, unicuique petentium datum, & damni & scrupulositatis præbens occasionem, & manumissorum indigens auctoritate, OMNIBUS similiter SUBJECTIS ex hac lege damus. Restituimus enim naturæ, INGENUITATE dignos, non per singulos de cætero, sed OMNES deinceps, qui libertatem a dominis meruerint: ut hanc magnam quandam & generalem largitatem nostris subjectis adjiciamus.* Quomodo a (r) Theophilo etiam dicitur, suo ævo haud alios esse *libertos*, sublatis nempe tum *Latinis* ac *Dedititiis*, quam cives Romanos: Cujacius vero (s) eadem Justiniani constitutione, non hosce solum *Latinos Dedititios*, sed omnes omnino libertos sublatos censet. Quibus etiam adductis modo Justiniani verbis, de omnibus manumissis, seu quicunque *libertatem a dominis meruerant*, ingenuis proinde ac civibus Romanis effectis, gemina sunt, quæ leguntur in alia ejusdem Imperatoris constitutione, quæque omnino sunt hic quoque memoranda: (t) *Neque enim (eum) tantummodo CIVITATEM ROMANAM adipisci volumus, qui major triginta annis exstitit: sed quemadmodum in Ecclesiasticis libertatibus, quæ a dominis imponuntur, sive extremis dispositionibus, sive per Judices, vel alio legitimo modo, hoc observari sancimus, UT SINT OMNES ROMANI CONSTITUTI: AMPLIANDAM enim magis CIVITATEM nostram, quam*

(q) Eodem.
(r) Inst. de Libert. Success. Lib. VII. Tit. VIII.
(s) Observ. Lib. IV. c. 5.
(t) Leg. IV. C. Commun. Manum.

immi-

imminuendam esse censemus. Immo quibus addi insuper debet, quod ab eodem Justiniano alibi rursus dicitur: *(t) multis modis adhibitis, per quos possit libertas servis CUM CIVITATE ROMANA, quæ SOLA EST IN PRÆSENTI, præstari.* Ita gradus paullatim est factus, ut Romana civitas aliquot primum in Italia municipiis; dein toti Latio: mox universæ Italiæ; aliquot postremum extra Italiam, quod priori Exercitatione vidimus, vel privatis, vel oppidis, vel etiam provinciis; exin nobilissimarum in Orbe Romano urbium primoribus, aut limitaneis, quod ex Aristide paullo ante diximus, militibus; tum memorabili in primis Imp. Antonini, de qua hic agimus, constitutione, omnibus in Orbe Romano ingenuis: tandem, idque post trium circiter ab hac constitutione seculorum decursum, omnibus etiam quacunque conditione manumissis seu libertis, sit a Romanis Principibus concessa.

Unde continuo illud expendendum hic venit, quod a viro eruditissimo, & de quo jam ante est facta mentio, in suis *(u)* ad Tacitum animadversionibus adnotatum forte video; quasi nempe ea Antonini Caracallæ constitutione, per *civitatem Romanam* duntaxat jus *Latii*, non *Quiritium*, intelligendum, dubitari non possit. Diu enim post hujus Antonini tempora *jus Quiritium* in dominiis & libertatibus adhuc usurpatum testari juris Auctores: sustuleritque illud primum Justinianus Leg. VII. Cod. de jure Quiritium tollendo, & Leg. I. Cod. de libertate tollenda. Unde *(x)* alibi addit idem vir eruditus, ubi post Caracallæ tempora mentio sit civitatis concessæ, non de alio, quam de *jure Quiritium* id posse intelligi. Cujus rei exemplum suppeditet tabula ænea, nuper a Cl. Petro Bellonio publicata, in qua Classiarii Misenenses,

(t) Inst. de Libertin. 3.
(u) Theod. Ricquius Anim. ad Tacit. p. 335. 336.
(x) Ibid. pag. 500. 501.

missi honesta missione, donantur civitate Romana ab Imperatoribus Philippis Patre & Filio; atque ita, ut hoc addam, triginta ferme annis a Caracallæ obitu. Sed in quibus haud una ratione fallitur vir eximius; ac primo quidem, & quod supra jam notavimus, dum per *civitatem Romanam* apud juniorem Plinium, *jus Latium*, seu *jus veteris Latii* putat intelligi; quod jus nusquam tamen sub nomine *civitatis Romanæ* designari, sed ab eo diversum omnino exstitisse, adeo ut *cives Romani* & *Latini*, seu qui *jure Latii* tantum gauderent, perpetuo distinguerentur, aliunde sat liqueat, & abunde jam sit a nobis (y) supra e seniore Plinio, aliisque Auctoribus ac monumentis antiquis, comprobatum. Accedit ea, quam ibi etiam expendimu, inter *jus Quiritium*, & *jus Romanæ civitatis*, diversitas; ut nempe illud privata & propria civium Romanorum jura, libertatis puta, conciliorum, patrium, legitimi domini, hereditatis, usucapionis, nexus, vulgo designaret; *jure* autem *civitatis Romanæ*, seu *Romana civitate*, publicum insuper jus, puta suffragiorum, honorum Romæ adipiscendorum, census, tributorum, vectigalium intelligatur. Neque vero quod post Caracallæ tempora *jus Quiritium* in dominiis & libertatibus adhuc, quod testantur juris Auctores, fuerit usurpatum, idque a Justiniano demum fuerit abolitum; aut vero alia ejusdem Justiniani constitutione, *Latina libertas* sublata, inde continuo, quod statuit vir doctus, jus *Latii* tantum, non vero *jus Quiritium* Antonini Imp. constitutione, qua *omnes in Orbe Romano cives Romani*, ut eam memorat Ulpianus, *sunt effecti*, fuit duntaxat impertitum. Prioris enim illius legis a Justiniano latæ, *de nudo jure Quiritium tollendo*, ea demum ratio fuit, ut quæ hactenus, ac a primis Romani juris incunabulis, obtinuerat inter dominos, qui servos *in bonis* habere dicebantur, & qui haberent *ex jure Quiritium*, di-

(y) Vid. Exercit. I. cap. IX. & X.

versitas

versitas tolleretur, plenumque in servos dominium ex æquo utrisque competeret. Posteriori autem lege, qua *Latina libertas sublata*, id demum a Justiniano est provisum, quod paullo ante ab eo constitutum vidimus, ut omnes in Orbe Romano non *ingenui* solum, ad quos demum respiciebat datum a Caracalla Romanæ civitatis beneficium, sed cujuscunque generis *liberti*; ac proinde etiam qui *Latinæ* tantum erant *conditionis*, & de quibus supra abunde jam egimus, Romani quoque cives deinceps censerentur. Adeo ut idem Vir doctus non adverterit, ad eam illamque planam ac apertam hujus Antoninianæ constitutionis interpretationem, quam suppeditat ipse Imp. Justinianus eo loco, quem paullo ante jam adduximus; *uti JUS ROMANÆ CIVITATIS prius ab unoquoque subjectorum petitum, & taliter ex iis, qui vocantur peregrini, ad Romanam ingenuitatem deducens, hoc ille* (hic nempe Antoninus Caracalla, non juxta eundem Justinianum, Antoninus Pius) *OMNIBUS in commune SUBJECTIS donavit.* Quæ certe an de *jure* duntaxat *Latii*, non vero de *jure Quiritium* in genere, seu ipso *Romanæ civitatis jure*, quod concesserit hic Antoninus intelligi debeant, quivis facile, ut opinor adsequitur. Quod vero classiariis Misenensibus, post octo & vicena stipendia dimissis, Romana civitas ab Impp. Philippis Patre & Filio, atque ita triginta ferme annis a lata hac Antonini constitutione dicatur in veteri inscriptione impertita, id eam vim habere debet, quod mercenarii ac peregrini, quomodo hi de Barbaris, ut mox videbimus, dicebantur: vel forte Latinæ duntaxat conditionis libertini; vel servi etiamnum forent iidem classiarii: quibus proinde post impleta stipendia, honesta missione dimissis, singularis beneficii loco plenum jus Quiritium seu Romanæ civitatis, cum jure connubii, est a duobus illis Imperatoribus concessum: atque ita ad Romanam ingenuitatem iidem, ut in memoratis modo verbis ait Justinianus, sunt deducti. Quomodo

modo

modo *peregrinæ conditionis* militantibus in castris Romanorum, vel in classe Flavia Mœsica, datam a Domitiano civitatem, supra e veteri marmore vidimus: & iisdem, seu quæ paullo ante præcesserant, temporibus e classicis Ravennatibus optimum quemque, tradente id *(z)* Tacito, ad legionariam militiam, quæ constabat adhuc e civibus Romanis, adscitum: prout denique *pastores servos* in classiariorum numerum a Pompeio, ac deinceps, ab ejus filio, ac uno insuper e Pompeianis ducibus Domitio, factum antea vidimus. De quibus vero hujus Domitii *classiariis* a J. Cæsare nominatim dicitur: *(a) pastoresque indomiti SPE LIBERTATIS* (quam proinde nec dum obtinuerant) *excitati, sub oculis domini suam probare operam studebant.* Quum alioquin belli Macedonici cum Perseo gesti temporibus, socios navales & supplementa classis, e *libertini* quidem *ordinis* hominibus, sed civibus tamen Romanis (necdum quippe *Latinæ conditionis libertis*, lege Junia Norbana, sub Augusto demum, quod jam supra vidimus, inductis) a Romanis imperatos tradat *(b)* haud uno loco Livius. Quomodo ad usus nauticos, quod ibi ad Livium monuerunt jam viri docti, e civibus demum relictos tradit *(c)* Polybius, qui vilioris erant sortis, seu infra quaterna millia æris censi fuerant. Quo loco autem præteriri haud debet, quod in quadam *(d)* constitutione Impp. Valentiniani ac Valentis legitur: nempe compleri debere *classicorum numerum, ex incensitis*, hoc est, qui non erant *capite censiti*, seu capitis censum vel tributum non præstabant, & de quibus *censitis*, quibus opponuntur hi *incensiti*, exstant duo in eodem Codicis Ju-

(z) Histor. III. c. 50.
(a) Bell. Civ. L. I. c. 7.
(b) Vide L. 42. c. 27. 31. & L. XLIII. c. 12.
(c) Lib. VI. c. 7.
(d) Leg. Unic. C. de Classicis.

stini-

ſtinianei libro tituli: unus: *(e) De Agricolis Et Cenſitis Et Colonis*: alter: *(f) In Quibus Cauſis Coloni Cenſiti Dominum Accuſare Poſſint.* Nempe ad ſupplementa militum delecti vulgo qui non erant cenſibus adſcripti, ut ex alia ejuſdem Imp. Valentis conſtitutione liquet, quæ exſtat in *(g)* Codice Theodoſiano; addita etiam ibidem ejus rei cauſſa: *ne inde capitationis numerus minuatur, EX INCESSIBUS* (ſeu *incenſitis) atque Adcreſcentibus in eorum locum, qui defenſi* (ſeu *defuncti) militia fuerant, alios præcepimus ſurrogari.* Qua ratione alioquin factum, ut ubi e *cenſitis*, ſeu qui in *(h)* præcedenti ejuſdem Valentis conſtitutione dicuntur, *adfixi cenſibus* militarent tirones, nempe *incenſitorum* penuria, vel veterani poſt emeritam militiam, vel alioquin honeſta miſſione, ante expleta etiam ſtipendia, dimiſſi, a cenſu immunes continuo fierent; ſicut id de tironibus priori Valentis conſtitutione, a Conſtantino autem de Veteranis in eodem *(i)* Codice præcipitur. Quo referre etiam licet, quod *colonos*, quos cum *agricolis & cenſitis* conjungi eodem Codicis Juſtinianei titulo paullo ante vidimus, *ad nullum quemvis humilioris militiæ locum admitti* decernit peculiari ibidem *(k)* conſtitutione junior Theodoſius, & jam ante iidem ab omni militia *(l)* Arcadii & Honorii conſtitutione excluſi. Quod vero in memorata modo Valentis in Codice Theodoſiano lege, *inceſſibus* pro *incenſibus*, hoc eſt *incenſis* dictum ibi ſtatuit *(m)* doctiſſimus Codicis illius enarrator, in eo utique haud ei continuo adſentior: quum

(e) C. Juſtin. Lib. XI. Tit. XLVII.

(f) Eodem Tit. XLIX.

(g) Leg. VII. C. Theod. de Tironibus.

(h) Leg. VI. Eodem.

(i) Leg. IV. C. Th. de Veteranis.

(k) Leg. IX. C. Juſt. de Agricolis &c.

(l) Leg. III. C. Qui Militare Poſ.

(m) Jac. Gothofred. in Not. ad Leg. VII. C. Th. de Tironibus.

pro

pro *inceſſibus*, omnino *incenſitis*, ex alia ejuſdem Valentis lege de Claſſicis in utroque Codice obvia, & quæ de *cenſitis*, quibus iidem *incenſiti* opponuntur, paullo ante vidimus, legendum liqueat. Accedit quod *incenſiti* in utraque illa Valentis conſtitutione confundi neutiquam debent cum *incenſis*, quorum facta eſt in *(n)* priori Exercitatione mentio, qui nempe cenſeri in urbe ad militiam noluerant; ac proinde ut ex Cicerone ac Ulpiano ibidem vidimus libertatem ſimul ac civitatem amittebant: quum e contrario *incenſiti*, in duabus illis Valentis conſtitutionibus dicantur, qui quum a cenſu capitationis, *(o)* de plebe quippe urbana ac civium numero, non vero ruſticorum & ſervilis ferme conditionis, quales habebantur juxta *(p) Colonos, Cenſiti*, vel *(q) Adſcriptitii*, forent immunes, inde ad complendum Claſſicorum numerum adhiberi ab eodem Imp. Valente præcipitur. Verum id non ſemper obtinuiſſe antiquioribus etiam urbis temporibus, ut e civibus demum Romanis Claſſiarii milites, ſeu Claſſici ad uſus nauticos legerentur, cum ex iis abunde liquet, quæ paullo ante diximus; tum ex priſcis illis inſcriptionibus, quas *(r)* antea adduximus, quibus cum a Veſpaſiano, tum a Domitiano filio, iis qui militaverant in Claſſe Ravennate vel Mœſica *& peregrinæ conditionis probati erant*, civitas demum data traditur: minus vero inſolitum videri debet eo Philipporum Impp. ævo, quo vel Latinis, ut diximus, libertis, vel alioquin peregrinis ſeu Barbaris factus erat ad Romanam militiam,

(n) Cap. V. cap. 40.
(o) Leg. Unic. C. de Capitat. Civ.
(p) Leg. XVI. Conſt. Juſtin. apud Julianum & de Adſcript. & Colonis Eodem.
(q) Eodem.
(r) Exercit. I. c. XVIII. p. 154.

ac

ac proinde navalem quoque, quæ vilior quippe, u dictum, habebatur aditus. Ita ſequutis temporibus ſervi etiam ad Scythici belli apparatum, prœmiis libertatis invitantur, *(ſ)* conſtitutione Impp. Arcadii & Honorii, quæ exſtat in eodem titulo Codicis Theodoſiani de Tironibus.

(ſ) Leg. XVI. C. Th. de Tironib.

CAPUT. VI.

De Roma, *quæ post Antonini constitutionem vere* communis patria *fuerit dicta; veterum Auctorum ac Juris-consultorum ea de re testimonia. Hinc* Peregrini, *qui antea de* provincialibus, dedititiis, *aut*, deportatis, *qui amiserant civitatem, de* Barbaris *dein dicti. De* Togæ Romanæ *promiscuo inde usu, ac* civium Romanorum *nota, iisque adempta qui amittebant Romanam civitatem. Ciceronis ac Plinii junioris ea de re loca.* De Togatis *adhuc Romanis Magistratibus ac Senatoribus, ævo Prudentii.* Romania & Romanitas *de Romano imperio, atque subjectis ei populis, vel Romanorum institutis dicta. Varia veterum Auctorum, Tertulliani, Epiphanii, Orosii, Cassiodori, Marculphi eam in rem testimonia.*

UT vero quæ datæ hujus, quam illustrandam suscepimus, Antoniniana constitutione, civitatis vis, aut quis effectus fuerit, nunc tangam; inde id continuo, ut hinc ordiar, profluxit, ut omnes dein Romani Orbis incolæ, *ingenui* nempe, tanquam unius urbis cives, ac eadem matre prognati, non *peregrini* amplius seu ἀπόλιδες, ut de deportatis aiebat, quod antea vidimus, (*a*) Mar-

(*a*) Marcianus, haberentur; & ita Roma, *communis* inde *patria* dici vere ac prædicari meruerit. Fuerat quidem eadem appellatio huic urbi, ſed reſtricta adhuc ſignificatione, jam olim tributa, uti apud Livium a Conſule Terentio Varrone, poſt Cannenſem claſſem, ad Campanos: (*b*) *Itaque communem vos hanc cladem, quæ accepta eſt, credere, Campani, oportet, COMMUNEM PATRIAM tuendam arbitrari eſſe:* & a Cicerone ſimiliter, ubi de Capua ait: (*c*) *Tunc contra hanc Romam, COMMUNEM PATRIAM omnium noſtrorum, illa altera Roma quæratur.* A Seneca vero latiori ſenſu, ac ubi de eorum, qui e toto terrarum Orbe Romam confluebant, multitudine egiſſet, dictum: (*d*) *Deinde ab hac urbe diſcedes, quæ velut COMMUNIS PATRIA dici poteſt:* & a Plinio, de Italia quidem, ſed habito ad Romam reſpectu: (*e*) *UNA cunctarum in toto orbe gentium PATRIA fieret:* ab Ariſtide denique eo, quem ſupra jam adtulimus, loco: (*f*) Διὰ γὰρ τὸ ΚΟΙΝΗΝ ΤΗΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, καὶ οἷα ΠΟΛΕΩΣ μιᾶς, *exin enim quod COMMUNIS ſit RESPUBLICA, & tanquam UNIUS CIVITATIS:* ac jam ante: τοῦθ' (*g*) ἥδε Ἡ ΠΟΛΙΣ τοῖς ΑΠΑΣΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ, ὥσπερ αὖ τῆς χώρας· ΑΣΤΥ ΚΟΙΝΟΝ ἀποδεδειγμένη, *hoc URBS iſta TOTI ORBI exhibet, ut COMMUNE omnis, quæ incolitur, terræ, tanquam regionis OPPIDUM.* Verum ab hujus Antonini demum temporibus, non oratorie amplius, ſeu quod ſedes imperii eadem foret, aut ex omnibus terrarum partibus advenarum confluxu frequentata; ſed proprio & peculiari quodam jure, ac in legibus quidem veterum Juris-conſultorum, illa *communis patriæ* appellatio eidem urbi tribui deinceps meruit. Ita Mode-

(*a*) Leg. XVII. Sect. 1. de Pœnis.
(*b*) Lib. XXIII. c. 5.
(*c*) Orat. IV. de Leg. Agrar. c. 83.
(*d*) Conſul. ad Helviam c. 6.
(*e*) Lib. III. Sect. VI.
(*f*) Orat. in Romam p. 375.
(*g*) Ibid. p. 373.

ſtinus proximis ejuſdem legis verbis, ubi Divorum (ſicut Græca ibi habent, non Divi ſolum) Severi ac Antonini meminiſſet, addit: *(h)* ΚΟΙΝΗΣ οὔσης τε καὶ τε νομιζομένης ΠΑΤΡΙΔΟΣ τῆς βασιλευούσης, *quoniam in urbe regia, quæ & habetur, & eſt COMMUNIS PATRIA:* ac idem alio rurſus Digeſtorum loco: *(i) Roma communis noſtra patria eſt:* & Calliſtratus, qui a Lampridio inter juris ſub Alexandro Severo, ac proinde adhuc poſt Antonini Caracallæ obitum, profeſſores adnumeratur: *(k) Relegatus non poteſt Romæ morari, licet ſententia comprehenſum non ſit, quia OMNIUM EST PATRIA.* Quo referas etiam illud Ulpiani in eodem titulo de Interdictis & Relegatis: *(l) conſtitutum eum, cui PATRIA interdictum eſt, etiam URBE abſtinere debere:* quod nempe *urbs* ſeu Roma communis foret omnium *patria.* Unde itidem factum, ut juxta Pauli, ejuſdem ætatis Juriſperiti, ea de re verba, *(m) eos, qui Romæ profitentur* (tanquam in communi patria) *proinde in patria ſua excuſari muneribus oportere, ac ſi in patria ſua profiterentur.* Quo ſpectat inſuper, id quod in quadam, ut præterea obſervo, Imp. Philippi conſtitutione dicitur: *(n) Eam, quæ aliunde oriunda, alibi nupta eſt, ſi non IN URBE ROMA moribus ejus conſiſtat, non apud originem ſuam, ſed apud incolatum mariti ad honores,* ut ibi additur, *quorum is ſexus capax eſt, poſſe compelli:* nempe, ut notant ibi interpretes ad ea verba, *ſi non in urbe Roma &c.* ideo quod *Roma communis ſit patria.* Adeo ut minus id novum aut inſolitum videatur, ſi adhuc infra eam ætatem id frequenter

(h) Leg. VI. Sect. 11. D. de Excuſat. Tutor.

(i) Leg. XXXIII. D. ad Municipal.

(k) Leg. XIX. D. de Interd. & Releg.

(l) Leg. VII. Sect. 15. D. Eodem.

(m) Leg. IX. D. de Vacat. & Excuſ. Mun.

(n) Leg. Unic. C. de Mulierib. &c.

de

de eadem urbe ſit dictum, ſicut notis ea de re ac protritis jam locis, vel Rutilius: *(o)*

Feciſti PATRIAM diverſis gentibus UNAM:

mox:

URBEM feciſti, quæ prius ORBIS erat:

vel Sidonius Apollinaris: (*p*) *in qua UNICA totius orbis CIVITATE ſoli Barbari & ſervi PEREGRINANTUR.* Quomodo nempe factum, ut qui antea *peregrini* de advenarum turba in urbe, & quibus datus Peregrinorum Prætor; vel de provincialibus, quod ſupra vidimus; aut dedititiis, teſte *(q)* Ulpiano; dicebantur; vel de iis, qui civitatem Romanam amiſerant, velut deportatis, juxta conſtitutionem Antonini Pii, quæ in Codice legitur; *(r) qui deportantur, ſi heredes ſcribantur, tanquam PEREGRINI capere non poſſunt:* qui proinde non erant amplius cives Romani, Romano tamen imperio ſubjecti: iidem poſtea *peregrini* de *Barbaris*, ſeu qui Romano imperio non parebant, agebantque extra ejus fines, fuerint demum dicti. Ad quos proinde reſpicit, ut obſervo, Impp. Honorii ac Theodoſii conſtitutio: *(ſ) ſi qui &c. PEREGRINOS negotiatores ſine Comite commerciorum ſuſcipientes fuerint deprehenſi &c.* & de quibus *peregrinis* ſeu *Barbaris* negotiatoribus, quibus peculiari eam in rem conceſſu ac lege licita erant cum Romanis communia, dicetur adhuc infra. Gemini vero cum Rutilio & Sidonio, de Roma, velut una jam & communi urbe vel patria, ſunt Claudiani, & qui proinde præteriri hic non debent, verſus: *(t)*

(o) Itiner. v. 63.
(p) Lib. I. Epiſt. 6,
(q) Fragm. Tit. XXII. Sect.2.
(r) Leg. I. C. de Hered. Inſt.
(ſ) Leg VII. C. de Commen.
(t) In Stilich. L. III. v.150. &c.

Hæc

Hæc est in gremium victos, quæ sola recepit,
Humanumque genus COMMUNI NOMINE fovit,
MATRIS, non dominæ ritu: CIVEMQUE vocavit,
Quem domuit, nexuque pio longinqua revinxit.
Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod velut PATRIIS regionibus utitur hospes,

& mox,

Quod cuncti GENS UNA sumus.

Quibus accedit eadem ætate, & cujus ea de re verba primus se observasse testatur haud incelebris inter Gallos *(u)* Juris-consultus, D. Augustinus: (*) *Quisnam non cognoscit, gentes subjectas imperio Romano, quæ quidem erant, quando OMNES ROMANI facti sunt, & OMNES ROMANI dicuntur:* nempe prout de Probo Imperatore, post peragratum victoriis orbem, ait Vopiscus: *(x) nonne omnes Barbaricas nationes subjecerat pedibus? qui TOTUM MUNDUM fecerat jam ROMANUM.* Quam in rem a Prudentio itidem dictum, ubi bellorum per orbem terrarum furorem adtigisset: *(y)*

Hinc frenaturus rabiem Deus; undique gentes,
Inclinare caput docuit sub legibus isdem,
ROMANOSQUE OMNES fieri, quos Rhenus & Ister,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Hiberus,
Corniger Hesperidum quos interlabitur, & quos
Ganges alit, tepidique lavant septem ostia Nili.

(u) Ant. Mornacius Ob. Ad Leg. XVII. D. de Statu Hom.

(*) In Psalm. LVIII. Part. I. sub finem.

(x) In Probo c. 20.

(y) Contr. Symmach. L.IV. v. 601. &c.

Jus

Jus fecit commune pares, & NOMINE EODEM
Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit.

Idem quoque alibi: *(z)*

Qui Sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
MUNDUM QUIRINALI TOGÆ
Servire, & armis cedere.

Cujus equidem *Quirinalis togæ* ea fuit olim ratio, ut non *togati* solum, quod vulgo obvium ac protritum, *de Romanis civibus* passim fuerint dicti, & *Togatæ* inde provinciæ integræ, quod eo cultu ac jure uterentur, appellatæ: immo ipso *togæ* usu vel gestamine, concessa Romana civitas continuo censeretur. Unde de populis, quos *Romanæ civitate donare* voluerat Imp. Claudius, ait loco *(a)* supra jam adducto, ubi de his illius Principis institutis agebatur, Seneca: *(b) constituerat enim omnes Græcos, Gallos, Hispanos, Britannos, TOGATOS videre*; hoc est *cives Romanos.* Hinc etiam, & quod a viris eruditis, qui de Toga ex professo sunt commentati, præteriri non debuit, de peregrinis alioquin seu obsidibus in urbe, & quidem Severi adhuc & Antonini Caracallæ temporibus, refert, qui ea ætate vixit, Marcianus J. C. id a Divis Fratribus jam ante constitutum, *(c) si accepto USU TOGÆ ROMANÆ, ut cives Romani semper egerint, jus nempe, quod additur, iis servandum quod habent, si a legitimis civibus Romanis heredes fuissent instituti.* Haud aliter, ut hoc obiter ex eadem juris penu, & opportune quidem ad hæc Romanorum civium jura vel indicia, illustrem, *sed & qui domini*

(z) Hym. in Pass. P. Laurentii v. 420.
(a) Exercit. I. c. 17.
(b) Ludo de Mort. Claudii.
(c) Leg. XXXII. D. de Jure Fisci.

funus

funus PILEATI antecedunt, *FIUNT ILLICO CIVES ROMANI*, ut alicubi id tradit (*d*) Imp. Justinianus: ac prout inter alia, & quod alioquin ex Auctoribus Romanis ac antiquis etiam nummis obvium, *impositione pilei jure data libertas* ab Imp. Diocletiano alibi in (*e*) Codice dicitur. Adde eas Imperatorum constitutiones, & quidem unam Impp. Severi & Antonini, qua post lapsum quinquennium a matris obitu, de ejus statu quæri amplius non posse decernitur, nempe, (*f*) *si quamdiu vixit, sine interpellatione, UT CIVIS ROMANA egit*: aut Imp. Alexandri Severi similiter de servo, qui tanquam manumissus & heres scriptus, (*g*) *Si is* &c. *UT CIVIS ROMANUS vixit, nec intra quinquennium post mortem ejus status quæstionem movere cœpisti*, de ejus hereditate controversiam fieri amplius non posse. Quemadmodum vero ex memorata a Marciano J. C. Divorum Fratrum constitutione, jure Romanorum civium continuo fruebantur, qui accepto togæ Romanæ usu se pro civibus Romanis gesserant; ita e contrario, qui civitatem Romanam amiserant, velut deportati, & quibus aqua & igni interdictum, quod postremum monet Plinius junior, ac viderunt jam (*h*) alii, (*i*) *carent enim TOGÆ JURE, quibus & aqua & igni interdictum est*: iis non vero exulibus reliquis, vel ad tempus, aut in perpetuum etiam relegatis, usus togæ erat interdictus. Prioris utique exemplum suppeditat Valerianus Licinianus, ob incestum damnatus, qui quod aqua & igni interdictus, inde pallio amictus in Sicilia, ubi exulabat, ut id refert dicto loco Plinius, profitebatur: posterioris vero exhibet P. Rutilius Rufus, qui dum Mytilenis exul

(*d*) Leg. Unic. Sect. 5. C. de Latin. Libert. Toll.
(*e*) Leg. X. C. de Testam. Manum.
(*f*) Leg. II. C. Ne de Stat. Defunct.
(*g*) Leg. IV. C. Eodem.
(*h*) Taubman. Ad Annal. I. v. 282.
(*i*) Lib. IV. Epist. II.

seu

ſeu relegatus ageret, Mithridatis crudelitatem in togatos, h. e. Romanos in Aſia cives, quos juſſerat interfici *veſtitus mutatione*, adſumpto nempe Græco pallio, uti id nos docet *(k)* Cicero, *vitavit*. Quam ignominiorum alioquin fuerit, nec probro ſolum, ſed crimini etiam apud Romanos datum, Romanum civem in provinciis etiam aut regnis palliatum in publico conſpici, abunde liquet ex eadem Tullii Oratione, qua ille Rabirium Poſtumum, inde inter alia Romæ accuſatum, quod palliatus Alexandriæ fuiſſet, ut neceſſitate ad id edactum excuſare demum *(l)* adgreditur. *Cives* utique *Romanos*, apud *Barbaros*, *propter TOGÆ nomen, in aliquo honore fuiſſe*, declarat *(m)* alibi idem Cicero. Eundem vero illum togæ uſum, non florente ſolum Republica, aut primis Romanorum Imperatorum temporibus, a Romanis civibus, certe honeſtioribus in publico, cum in urbe, tum in provinciis retentum, vel inde liquet, quod Senatores & Equites ſemper in publico togatos eſſe juſſit, teſte *(n)* Spartiano, Hadrianus: ſub M. Antonino vero togati etiam fuerint, numquam vero ſagati, juxta *(o)* Lampridium, milites: Severi adhuc ævo denique obtineret in Romanorum Coloniis quem a tempore conditæ coloniæ habuerant, togæ uſus; ut id de Carthaginienſibus obſervat: ſeque, quod a toga ad pallium tranſiiſſet, edito eam in rem libello, tuetur Afer ipſe Tertullianus. Immo quod poſterioribus adhuc, & extremis veluti Romani Imperii temporibus uſurpatum, ut togati eſſent in urbe Senatores ac Magiſtratus, liquere poteſt ex Prudentio, qui de Getico Tyranno ſeu Alarico dirum id moliente ait: *(p)*

(k) Pro Rabirio c. 10.
(l) Ibidem.
(m) In Verrem. V. c. 60.
(n) In Hadrian. c. 22.
(o) In M. Antonino c. 27.
(p) Contr. Symmach. L. II. v. 697.

Has arces æquare solo, tecta aurea flammis
Solvere, mastrucis PROCERES vestire TOGATOS:

ac jam ante dixerat; *(q)*

Ne sinat antiquo Romam squalere veterno,
Neve TOGAS PROCERUM fumo & sanguine tingi,

Unde adductis paullo ante verbis *mundum Quirinali togæ servire*, Romanis nempe rerum dominis, seu Romanis Imperatoribus, quos togatos semper in Urbe visos observat in Gallieno *(r)* Lampridius, & fidem adhuc facient veteres eorum nummi, dixerat ibidem Prudentius.

Qua ratione autem factum, ut recepto in provinciis, seu qua late porrigebatur Romanum imperium, Romani civis jure & cultu, adde, & de quibus mox dicetur; Romanis legibus, gentes ipsæ Romano imperio subjectæ, non *peregrinæ* amplius aut *Barbaræ*, sed ipso *Romanorum*, ut paullo ante diximus, nomine sint deinceps appellatæ. Ita *Galatas*, qui olim e Barbaris gentibus, omni intra Halyn regione vastata, aditum sibi in Asiam bello patefecerant, sua ætate a nemine *Barbaros* appellari, sed *omnino Romanos*, πάνυ Ῥωμαίους tradit alicubi *(ſ)* Themistius. Quomodo alioquin *Romanitas* itidem de Romanis institutis, quæ omnibus populis salutem tunc adferre crederentur, a Tertulliano, qui Severi & Caracallæ temporibus, ut notum, vixit, dictum jam ante fuerat: *(t) quid nunc, est ROMANITAS omni salus?* Unde etiam, ut hoc addam, Ῥωμανία, a Græcis, & *Romaniæ* a Latinis Sctiptoribus nomine dictum est Constantini ætate, ac infra eam, non Orientale solum, quod aliunde notum est, imperium; sed

(q) Ibid. L. I. v. 6.
(r) Cap. 16.
(ſ) Orat. XVI. p. 211.
(t) De Pallio c. 17.

ipse

ipſe Romanus orbis, ſeu in genere Romanum imperium, ut vere ad (*) Lampridium monuit ὁ πάνυ Caſaubonus, & omnino arguit Epiphanii ea de re locus, de incendio ex Ariani hæreſi, *(u)* ὃ κατειλήφει πᾶσαν ΤΗΝ ΡΩΜΑΙΑΝ σχεδὸν, μάλιστα τῆς ἀνατολῆς τὰ μέρη, *quod univerſam propemodum ROMANIAM* ſeu *Romanum imperium*, *ac præſertim Orientales illius partes corriperet.* *Romania* nempe ibi non *Orientalis* duntaxat *regio*, ſeu *Aſiatica*, ut ſæpe apud *(x)* alios Auctores illius aut proximi & inferioris ævi; ſed *Romanum ſolum* in genere, ſeu qua late patebat Romanum imperium. Quomodo eadem ſenſu præter alios *Romania* ab Oroſio, ut vidit jam eruditiſſimus *(y)* Juſtellus, dicitur, ubi de Ataulpho Gothorum rege ait, *(z) eum imprimis ardenter inhiaſſe, ut obliterato ROMANO nomine, ROMANUM OMNE SOLUM, Gothorum, imperium & faceret & vocaret, eſſetque Gothia, quod ROMANIA fuiſſet.* Quum alioquin eidem totius orbis, non inter Romanos quidem & Barbaros, ſeu *Romaniam* & *Barbariam*, vel *Romanum* & *Barbarum ſolum*, uſurpatæ a Scriptoribus Conſtantinianei & inferioris etiam ævi diſtinctioni; ſed inter *Romanos* & *non Romanos*, præiviſſet jam olim ſub Marco Antonino Imperatore Ariſtides, ubi ait, (*a*) non in Græcos amplius & Barbaros, ridicula diſtinctione, debere genus humanum diſtingui, ἀλλ' εἰς Ῥωμαίους τε καὶ οὐ Ῥωμαίους ἀντιδιείλετε. ἐπὶ τοσοῦτον ἐξηγάγετε τὸ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΟΝΟΜΑ, *ſed in eos, qui ROMANI & NON ROMANI eſſent, diſtribuiſtis, longiſſime producto URBIS* (ſeu Romæ) *NOMINE.* Id vero lata demum hac Antonini Caracallæ conſtitutione, deinceps tenuit, ut everſo etiam Romano imperio maneret tamen

(*) Ad Alexand. Sev. cap. 5.
(u) Hæres. LXXIX. p. 728.
(x) Vid. Selden. ad Eutychium. Alex. IV. p. 153.
(y) Can. Eccleſ. Univer. p. 95. T. I.
(z) Oroſius L. VII. c. 43.
(a) Orat. in Romam p. 374. T. I.

Romanum seu *Romanorum civium*, non in Italia solum, sed in provinciis etiam nomen: immo discrimen illud inter *Romanos & Barbaros* in legibus Burgundicis fuerit adhuc consignatum: *(b) Cæterum si quis post hac BARBARUS vel testari voluerit, vel donare, aut ROMANAM consuetudinem, aut BARBARICAM esse servandam sciat.* Ita sub Gothorum Regum dominatione inter *Gothos & Romanos*, sed qui tum iisdem Regibus parebant, distinctio adhibita, prout apud Cassiodorum: *(c) Si quod etiam inter GOTHUM & ROMANUM natum fuerit forte negotium, adhibito sibi prudenti Romano certamen possit æquabili ratione distinguere. Inter duos autem ROMANOS, ROMANI audiant, quos per PROVINCIAS dirigimus, cognitores, ut unicuique sua jura serventur*; alibi: *(d) Gothis Romanisque jus apud nos esse commune.* Hinc Regis Athalarici apud eundem Rescriptum: *(e) Universis Provincialibus per Galliam constitutis.* ubi inter alia legitur: *Unde vos quoque prædicta convenit, ut GOTHI ROMANIS præbeant jusjurandum, & ROMANI GOTHIS sacramento confirment, se unanimiter regno nostro esse devotos.* Quomodo etiam obvia *Romanorum*, proxima adhuc ætate, in Gallia mentio, aut in Marculphi Formulis, ut ad *(f)* easdem observavit togatorum in Gallia hac ætate decus Hieron. Bignonius, & apud Gregorium Turonensem, ac in lege Salica, & in adductis paullo ante verbis, Burgundicis legibus. Adde quæ de exoso & abdicato a multis, ob Romanorum nempe illius ævi sævitiam ac injustitiam, Romano nomine tangit Salvianus: *(g) Et quod esse majus testimonium Romanæ iniquitatis potest, quod plerique & honesti & nobiles, & quibus Romanus status summo & splendori esse debuit & honori, ad hoc tamen Romanæ iniquitatis crudelitate compulsi sunt,*

(b) In Not. Hier. Bignon. ad Marculphum L. I. c. 40.
(c) Varior. L. VII. c. 3.
(d) Ibid. L. VIII. c. 3.
(e) Ibid. cap. 17.
(f) Ad Lib. I. c. 40.
(g) De Gubern. Dei L. V. c. 5.

ut

ut NOLINT ESSE ROMANI. Ne jam illud e Cassiodoro rursus huc advocem, ubi Afri cujusdam meminit, hereditatem hominis sine liberis ac heredibus mortui Romæ ambientis, & de quo ait inter alia: (*h*) *Felix illi contigit & prædicanda captivitas, ROMANA CIVITATE perfrui, & Afrorum privilegiis potuisse misceri.* Neque vero hæc turbant, quod *provincialis* ac *civis* adhuc legantur in quadam Imp. Gratiani constitutione: (*i*) *ne quis sine sacrilegii crimine desiderandum intelligat gerendæ ac suscipiendæ administrationis officium, extra eam Provinciam, in qua PROVINCIALIS & CIVIS habetur.* Verum ubi non distinguitur ibi *provincialis*, quasi peregrinus, uti id ante constitutionem Antonini Imp. consueverat, a *cive* Romano; sed de eo ibi dicitur, qui in ea provincia originem duceret, ac inde originarius esset illius provinciæ *civis*. *Provinciales* vero dicti tam ii, qui in provinciis orti, quam qui in iis haberent domicilium; uti hanc vocem de hisce postremis explicat (*k*) Ulpianus.

(*h*) Varior. L. XII. c. 9.
(*i*) Leg.IV. C.de Crim.Sacril.
(*k*) Leg. CXC. de Verb.Sign.

CAPUT

CAPUT VII.

Post Antoninianam constitutionem, legibus Romanis *obstricti Romano imperio subjecti. Gregorius Thaumaturgus, Vopiscus, & Recognitionum Clementinarum locus, ea de re adducti, at de harum Recognitionum ætate judicium inde factum. De* legum Schola Beryti *in Oriente Anonymi Geographi, Imp. Juliani, Claudiani, Prudentii, Symmachi, & Theodoriti loca de* Romanis legibus *in Imperio Romano ubique receptis. De compilatis inde, ac in unum corpus redactis, ad omnium in orbe Romano notitiam ac usum,* Romanorum legibus *aut* Imperatorum constitutionibus. *De* legibus Romanorum inevitabilibus, *seu* communibus ex *Aristide. De* Edictis Provincialibus. *De iisdem vel* generalibus, Mandatorum *nomine, ad omnes provinciarum Præsides; aut* specialibus *ad certos earundem Rectores, vel ad Communitates, aut ad civitates quasdam missis* Edictis, Rescriptis, *vel* Epistolis. *Exempla e Digestis eam in rem adducta, & e Constitutionibus Imperatorum in Codice Justinianeo.*

EA

EA vero Romæ, tanquam *communis*, quod modo vidimus, *patriæ*, & *Romanorum* appellatio, provincialibus, ſeu omnibus Romano imperio ſubjectis, inde etiam tributa, quod cum dato iis civitatis jure, civilium quoque ſeu *Romanarum legum* obſervatione iidem deinceps tenerentur. Quum enim hactenus alio quam Quiritium jure, ſeu vel patrio, quibus id ſingularis beneficii loco fuerat conceſſum, vel quale ipſis a Romanis Rectoribus erat præſcriptum; aut dein ad Edicti, de quo mox, Provincialis formulam regerentur iidem Provinciales: poſt eoſdem Antoniniana conſtitutione in civitatem receptos, eadem civium etiam reliquorum jura, eædemque ante omnia leges iis traditæ: ut quæ nondum parebant Romanis legibus oppida vel regiones (niſi quibus, ut ſuis adhuc legibus agerent, permiſſum erat) iis in poſterum obſtringerentur. Equidem paucis poſt latam eandem conſtitutionem annis, Alexandri nempe Severi temporibus, amplum ejus rei & luculentum teſtimonium perhibet quodque nuper ad Julianum (*a*), ubi ea de re agebatur, jam adtulimus, in Origenis Panegyrico Gregorius Thaumaturgus: (*b*) Οἱ θαυμαστοὶ ἡμῶν τῶν σοφῶν ΝΟΜΟΙ, οἷς ΝΥΝ τὰ ΠΑΝΤΩΝ ΤΩΝ ὑπὸ Ῥωμαίων ἀρχὴν ΑΝΘΡΩΠΩΝ κατευθύνεται πράγματα, *mirifice ſapientum noſtrorum LEGES, quibus OMNIUM NUNC, qui Romano imperio parent, HOMINUM res reguntur.* Adeo ut, quod Salvio Juliano, perpetui ſub Hadriano Edicti conditori, æquum videbatur, tunc fuerit adimpletum, nempe quod ex eo refert Juſtinianus: (*c*) *Secundum Salvii Juliani ſcripturam, quæ indicat debere OMNES CIVITATES CONSUETUDINEM ROMÆ ſequi ET LEGES, quæ caput eſt orbis terrarum, non ipſam alias civitates.* Quo ſpectat itidem illud,

(*a*) Obſerv. ad Orat. 1. p. 36.
(*b*) Pag. 47.
(*c*) L. I. C. de Veter. Jur. Enucl.

quod

quod, haud ita multis poſt Alexandrum Severum annis, a Vopiſco dicitur in Aureliano: *(d) Redditæ Romanis legibus Thraciæ.* at in Probo, ubi, commemoratis illius Principis in Illyrico, per Thracias, ac dein per Orientem expeditionibus & victoriis, addit: *(e) Populis atque urbibus Romanis legibus reſtitutis.* mox: *(f) Copton præterea & Ptolemaidem urbes ereptas Barbarico ſervitio, ROMANO addidit JURI.* dein: *(g) Ubique pax, UBIQUE ROMANÆ LEGES, ubique judices noſtri.* Immo quam in rem præclarus occurrit mihi nuper locus in Pſeudepigraphis illis Recognitionibus Clementinis, ac unde de earundem ætate minus vere vulgo iis adſcripta, licet continuo ſtatuere. Nempe ubi tanquam a Clemente Romano dictum inter alia traditur: *(h) Certe quod in promptu eſt noſcere, quanti Imperatores, gentium, quas vicerant, leges & inſtituta mutarunt? quod evidenter A ROMANIS factum docetur, qui OMNEM pene ORBEM OMNESQUE NATIONES, propriis primo & variis legibus inſtitutiſque viventes, IN ROMANORUM JUS ET CIVILIA SCITA verterunt.* E quibus autem verbis, inter tot diſcrepentes eruditorum de ætate, qua eædem Recognitiones ſint procuſæ, ſententias, illud omnino eruitur, eas a temporibus datæ hujus, de qua hic agitur, ab Antonino Caracalla conſtitutionis demum concinnatas: non proinde primo, quod merito jam a viris eruditis exploſum erat, ſeculo, ſed ne ſecundo quidem, quod *(i)* poſtremo earum editori, magnæ diligentiæ & eruditionis haud protritæ viro, ac Blondello jam ante, aliiſque nuper viris doctis & Eccleſiaſticarum antiquitatum egregie peritis placuerat, illas prodiiſſe. Certa enim ſunt omnino & manifeſta, quæ in adductis

(d) Cap. 41.
(e) In Probo c. 16.
(f) Ibid. c. 17.
(g) Ibid. cap. 20.
(h) Recognit. L. 9. c. 27.
(i) Cotelerius in Judicio de libris Recognitionum.

modo

modo earundem Recognitionum verbis leguntur teſtimonia, in Romanorum jus ac leges, totum, qua patebat, Romanum Orbem, genteſque iis ſubjectas, quæ propriis ante legibus uſæ, jam tranſiiſſe: quod tertio demum ſeculo hac Antonini Caracallæ lege eſt effectum. Quam vim in Orbe Romano Romanas Quiritium leges deinceps obtinuiſſe, comprobat inſuper ea Diocletiani conſtitutio, in qua legitur: *(k) neminem, qui ſub ditione ROMANI NOMINIS, binas uxores habere poſſe vulgo patet.*

Inde vero factum, quod ad Julianum itidem vidimus, ut ob imperii amplitudinem, celebres alibi legum ſcholæ, in quibus jus civile Romanorum doceretur, fuerint erectæ, eoque nomine inclyta extiterit in Oriente Berytus; in quam urbem, tanquam Romanarum legum παιδευτήριον ſeu *gymnaſium*, ſe ad eas diſcendas miſſum, tradit in dicto paullo ante Panegyrico Gregorius *(l)*. Quod etiam nobis ante oculos ponit lex a Diocletiano lata, quæ in Codice legitur, *(m)* qua qui ſtudiis liberalibus operam dant, *maxime circa JURIS profeſſionem, conſiſtendo in civitate BERYTIORUM provinciæ Phœniciæ, providendo utilitati publicæ, & ſpei veſtræ, decernimus, ut ſinguli uſque ad viceſimum quintum annum ætatis ſuæ ſtudiis non avocentur.* Immo quam in rem præter ea, quibus, ut alia mittam, a Juſtiniano, tanquam *(n) urbs legum ac nutrix*, inſignitur eadem Berytus, elogia; hæc Anonymi ſub Conſtantio a Cl. Jac. Gothofredo editi de eadem urbe verba, licet hic vel maxime advertere: *(o) Quæ etiam habet juris auditoria, per quæ OMNIA ROMANORUM TRIBUNALIA conſiſtunt:* mox: *inde enim viri illi leges edocti, PER OMNEM ORBEM TERRARUM judicum ſunt*

(k) Leg. II. C. de Inceſtis.
(l) In Probo c. 16.
(m) Leg. I. C. Qui Ætate &c.
(n) Præf. III. C. de Vet. Jur. Enucl. Sect. 9.
(o) Pag. 12.

adſeſſores, & LEGUM PERITI provincias tuentur, ad quas leges ſeu *conſtitutiones mitti ſolent.* Quum enim omnes, quod dicentem vidimus Thaumaturgum, ac haud uno loco in Hiſtoria Auguſta Vopiſcum, qui Romano parebant imperio, civilibus tum Romanorum legibus regerentur: nec amplius proinde ſpecialibus ac incertis Præſidum in provinciis Edictis, aut vero Edicto illi Provinciali, de quo paullo poſt dicetur, iidem eſſent obnoxii: nata inde in tanta, quam dixi, Imperii amplitudine, ingens id genus Juriſperitorum, & qui jus in Provinciis ad Romanarum legum ac *Principalium (p)* (ut eadem quoque in Digeſtorum libris vocantur) *conſtitutionum, (q) reſcriptorum,* aut *mandatorum (r)*, præſcripta dicerent vel interpretarentur, ſeu dicentibus præſto eſſent ac adſiderent multitudo. Eam quippe omnium Romano imperio ſubjectorum, qua iidem civitate donati, & Romanis legibus obnoxii, conditionem tangit, qui Conſtantium excepit, Julianus Imperator. Græci quidem, & inter eos Athenienſes, quos liberos adhuc & αὐτονόμους ſub Trajano, & infra ejus tempora, exſtitiſſe ſupra vidimus, eodem jure Conſtantii ævo jam exciderant. De *Athenienſibus* certe id aperte tradit Julianus Imperator in Oratione ad Euſebiam Auguſtam, ſuperſtite adhuc ejus conjuge Conſtantio Imperatore habita: *(ſ)* Ἀθήνησιν μὲν ἦν, φασὶν, ΟΤΕ ΤΟΙΣ ΠΑΤΡΙΟΙΣ ΕΘΕΣΙΝ ΕΧΡΩΝΤΟ, καὶ ἔζων ΤΟΙΣ ΟΙΚΕΙΟΙΣ ΠΕΙΘΟΜΕΝΟΙ ΝΟΜΟΙΣ, μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον οἰκοῦντες τὴν πόλιν, *Athenis quidem olim ferunt, cum patriis inſtitutis viverent, ac DOMESTICIS UTERENTUR LEGIBUS, quo tempore magna illorum erat & frequentiſſima civitas.* Unde etiam

(p) Leg. XV. S. 1. D. ad L. Corn. de Fal.

(q) L. II. Sect. II. de Jure Fiſci.

(r) L. XXXVI. D. de Pœnis &c.

(ſ) Orat. III. p. 114. ult. edit.

apud

apud Eunapium in Juliano *(t)* ac Proæresio Sophistis *(u)*, qui eadem vixerunt ætate, & quorum hic in summa apud *(x)* Constantem Imperatorem gratia exstitisse ab eo dicitur, Proconsulis haud semel fit mentio, qui jus Athenis e præscripto Romanarum legum diceret, & a quo inter alia in judicio proclamatum refert: *(y)* Ἀλλ᾽ εἴσεσθέ γε αὐτίκα, ὁποῖόν ἐστι καὶ οἷον τὸ παρὰ Ῥωμαίοις δίκαιον. *moxque scietis, cujusmodi ac quam sanctum jus apud Romanos observetur.* Verum aliud exstat luculentum apud eundem Julianum τὸν παραβάτην testimonium, de omnibus Romani Orbis incolis, qui & civitate erant donati, & Romanorum etiam legibus obstricti. Quum enim de Constantii tum rerum potientis patria esset illi sermo, ac de Roma, quæ, etsi non in ea Urbe natus esset, sed in Illyrico, Constantius, eum tamen sibi honorem jure suo debitum vindicaret, continuo subdit: *(z)* Οὐ τοῖς κοινοῖς ἐφ᾽ ἁπάντων τῶν αὐτοκρατόρων, δικαίοις χρώμενοι. λέγω δὲ ὅτι κἂν ἀλλαχόθεν τυγχάνωσι, ΤΩ ΜΕΤΕΧΕΙΝ ΑΠΑΝΤΑΣ ἤδη ΤΟΥ ΠΟΛΙΤΕΥΜΑΤΟΣ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΕΧΕΙΘΕΝ ἡμῖν καταδειχθεῖσιν ΕΘΕΣΙ ΚΑΙ ΝΟΜΟΙΣ χρῆσθαι, ΠΟΛΙΤΑΙ γεγόνασιν. *Non communibus illis, quæ in omnibus cæteroquin Imperatoribus usurpare solet, juribus nixa; puta etsi aliunde orti sint, tamen quod OMNES JAM AD CIVITATEM sint ADSCRIPTI, quodque editis ILLINC MORIBUS AC LEGIBUS utantur, pro CIVIBUS SUIS sint habendi.* Quibus utique Augusti Scriptoris verbis, utrumque illud Romæ, ut *communis* omnium in orbe Romano *patriæ*, & communis præterea *legum*, quibus ii regerentur, *parentis*, tanquam suo ævo, ac jam ante receptum jus, ac singulare privilegium abunde adstruitur. Quomodo nempe, ut postea a Claudiano, dici eadem me-

(t) In Julian. p. 125.
(u) Ibid. p. 142.
(x) Ibid. p. 157.
(y) Pag. 125.
(z) Orat. I. p. 5.

ruit, *(a) armorum legumque parens:* alibi, *(b) legum genitrix.* & rursus, *(c) legum mater:* ac a Rutilio: *(d)*

Dumque offers nobis proprii consortia juris.

uti hæc ea de re loca jam ad Symmachum *(e)* retulit eruditissimus Juretus. Quibus adde dicentem alibi de Honorio Imperatore Claudianum: *(f)*

Germanis responsa dabat, LEGESQUE Caucis
Arduus, & flavis signabat JURA Sicambris.

ac in adductis supra Prudentii *(g)*, quibus gentes omnes in Romanorum nomen ac jura transiisse tradit, versibus:

------ undique gentes
Inclinare caput docuit SUB LEGIBUS ISDEM.

ac dein: *(h)*

JUS fecit COMMUNE pares.

item alio adhuc loco:

(*) Ut discrepantium gentium
Mores & observantiam,
Linguasque, & ingenia, & sacra.
UNIS domares LEGIBUS:

(a) Paneg. III. Stilich. v. 36.
(b) Consul.Olybr. v. 127.
(c) Consul.Honorii VI. v.428.
(d) Itiner. v, 67.
(e) Not. ad L. V. Epist. 94.
(f) In Eutrop. L.I.v. 379.
(g) Contr. Symmach. L. II v. 601.
(h) Ibid. v. 607.
(*) Hym. in Pass. S. Laurent. v. 422.

ac

ac eadem ætate Symmachus, ubi Romam inducit ita Romanos tum Imperatores adloquentem: (†) *hic Cultus in LEGES MEAS ORBEM redegit.* Accedit vero hisce luculentum sub Theodosio Juniore, Theodoriti nempe testimonium *(i)* ubi plurium meminit gentium, quæ Romanarum legum, antiquis eorum legibus abolitis, jugum, uti is ea de re loquitur, subierunt, *Cretensium*, *Italorum*, seu Magnæ olim Græciæ, *Siculorum*, de quibus ait: τὸν γάρ τοι τῶν Ῥωμαϊκῶν νόμων ὑπῆλθον καὶ οὗτοι ζυγὸν, *Romanarum legum hi quoque jugum subierunt.* Idem vero de Græcanicis paullo post & Barbaris nationibus: *(k)* Καὶ αὐτοὶ δὲ Ἀθηναῖοι, τούτοις ἐῤῥῶσθαι φράσαντες, καὶ μέντοι, καὶ Λακεδαιμόνιοι, καὶ Λοκροὶ, καὶ Θηβαῖοι, καὶ ἄλλοι δὲ Ἕλληνες, ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΥΟΝΤΑΙ ΝΟΜΟΥΣ. Καὶ Ῥωμαῖοι δὲ, τοὺς παρ' Ἕλλησι καὶ Βαρβάροις ξυναθροίσαντες νόμους, καὶ τοὺς ἄριστα δόξαντας, παρ' ἑκάστου νομοθέτου λαβόντες, ΟΣΑΠΕΡ ΕΘΝΗ τὸν τούτων παρεισῆλθε ζυγὸν, ΔΟΥΛΕΥΕΙΝ ΤΟΙΣ ΔΕ ΤΟΙΣ ΝΟΜΟΙΣ ΗΝΑΓΚΑΣΑΝ. *Quin ipsi quoque Athenienses his omissis,* (Draconis nempe aut Solonis legibus) *& Lacedæmonii, & Locrenses, & Thebani, & cæteri Græci, Romanorum legibus vivunt. Romani vero Græcorum Barbarorumque legibus in unum collectis, quæ optimæ videbantur, a singulis legislatoribus mutuati, SUBDITAS SIBI NATIONES HIS LEGIBUS SERVIRE COEGERUNT:* a qua tamen necessitate immunes exstitisse aliquos Barbarorum, & de quo loco postea agetur, populos, mox ibidem tangit. Hinc vero e Principum ab Hadriano ad Theodosium Juniorem Constitutionibus & Rescriptis Codex tum est conditus, & ab eodem confirmatus; quo generalia, sive quæ ad omnes Romani orbis incolas adtinerent, jussa vel edicta proponuntur, seu, ut dicitur in fine Novellæ, qua idem Codex a Theodosio confirmatur: *(l) Edictis pro-*

(†) Orat. pro Ar. Victor.
(i) Therap. Serm. IX. p. 608.
(k) Ibid. p. 609.
(l) Theodos. Nov. 1. Tit. I.

T. IV.

positis

positis in omnium Populorum, in omnium Provinciarum notitiam. Immo unde factum, ut compilatis postea a Justiniano, seu ejus jussu ac auctoritate, a Triboniano, veteris Romanorum juris (ut de Codice ejus, ac Novellis Legibus, vel Edictis jam nihil dicam) legibus, iisque in unum corpus redactis, eædem, quod præmissæ Digestis eam in rem illius Principis Præfationes seu Rescripta indicant, non ad Senatum solum, aut ad populum Constantinopolitanum vel Romanum: (*m*) *sed ad omnes populos*, vel *ad omnes orbis nostri*, seu *Romanæ civitates* sunt conscripta: & quidem ut in iisdem legitur: *(n) Hæc igitur omnia scientes, Patres Conscripti, & OMNES ORBIS homines* &c. item: *& leges ponere præsenti & futuro tempori justum esse putavimus, OMNIBUS HOMINIBUS fore manifestum.* &c. tum: *(o) Magne Senatus, & OMNES Reipublicæ nostræ homines.* In quarum denique Præfationum clausula, *OMNES judices, ac OMNES Reipublicæ nostræ magistratus*, ad prædictarum legum observationem adiguntur, atque adeo, ut omnibus fieret manifestum, & quidem in quibus etiam verbis postrema desinit Præfatio: *(p) ad OMNIUM nostrorum SUBDITORUM inexcusabilem notitiam.* Ne jam eam tangam, quam ad hanc usque diem in hoc Romano, ut vocari etiamnum illud meruit, imperio, aliisve florentissimis Europæ regnis ac provinciis, vim ac auctoritatem obtinet, veteris illius ac civilis Romanorum juris observatio.

Quamquam, & quod similiter ad adducta modo Juliani Imp. verba, de legibus ac moribus, quibus omnes in orbe Romano regerentur, nuper adnotavi *(q)*, ante Antoninianam Constitutionem dixerit ad Marcum & Verum Imperatores Aristides, eos Rempublicam, qualem antea

(*m*) Præf. Secund. Digest.
(*n*) Præf. Tertia Ibidem.
(*o*) Ibid. Sect. 19.
(*p*) Præf. Secund. & Tert. Sect. 24.
(*q*) Observ. ad Orat. 1. p.57.

nemo,

nemo, conſtituiſſe: *(r)* Καὶ θεσμοὺς καὶ τάξεις ἀφύκτους ἅπασιν ἐπεστήκατε. Cantero interprete, *legibus & ordine perpetuo ſingulis tradito*, ſeu, *leges & conſtitutiones inevitabiles omnibus præſcripſiſtis*, prout τάξεις, ac διατάξεις, de Imperatorum *Conſtitutionibus*, & quomodo inſcribuntur Juſtiniani Authenticæ, dici ſolent. Accedunt hiſce, quæ dein ab eodem Ariſtide dicuntur *(ſ)*, non opus eſſe amplius, quibus utuntur ſinguli, leges recenſere; quandoquidem Romani ΝΟΜΟΥΣ ΚΟΙΝΟΥΣ ΑΠΑΣΙ τάξαντες, mox, γάμους τε κοινοὺς συντάξαντες, ὥσπερ ἕνα οἶκον, ἅπασαν τὴν οἰκουμένην. *LEGES COMMUNES OMNIBUS conſtituentes; tum connubia communia facientes, totumque Orbem, tanquam unam domum, adminiſtrantes.* Quæ de *communibus nuptiis* ſeu *connubiis* ibi dicuntur, non jam, quod nec eſt hujus loci, hic tangam: quum alioquin, poſt Marci ac Ariſtidis tempora dixerit Ulpianus: *(t) Connubium habent cives Romani cum civibus Romanis, cum Latinis autem & peregrinis, ita ſi conceſſum:* ac longe adhuc infra eam ætatem Juſtinianus, ſed pridem poſt civitatem conſtitutione Antoniniana omnibus in Orbe Romano ingenuis datam: *(u) Juſtas autem nuptias inter ſe cives Romani contrahunt.* Iis vero, & qua de re hic ſermo, Ariſtidis verbis, *legum omnibus inevitabilium*, ſeu quibus omnes in Orbe Romano deinceps tenerentur, item *communium legum omnibus præſcriptarum*, quum tamen necdum data fuerat omnibus in Orbe Romano, uti id ſupra vidimus, civitas; ad Edictum illud Provinciale, de quo mox dicitur, & cujus fit in ſcriptis veterum ſub Marco Juris-conſultorum mentio, reſpexiſſe omnino, qui eadem ætate vixit, Ariſtidem exiſtimo. Haud enim alii præter cives ſeu Romana civitate donatos, ut vel ex iis conſtat, quæ de viceſima hereditatum paullo ante diximus, civilibus Quiritium legibus; ac ante conditum ſub

(r) Orat. in Rom. p. 390.
(ſ) Ibid. p. 395.
(t) Fragm. Tit. V. Sect. 4.
(u) Inſtit. Lib. I. Tit. X.

Ha-

Hadriano Edictum Perpetuum, annuis ac novis Prætorum Urbanorum Edictis Romæ utebantur; Provinciales autem ſpecialibus Rectorum, qui Roma ad adminiſtrandam provinciam mittebantur, quocunque vel *Proconſulis, Prætoris, Legati Cæſaris, Præfecti Auguſtalis*; ſive generali, ut id a Macro *(x)* J.C. dicitur, *Præſidis* nomine, aut etiam, licet cæteroquin diſpar eorum foret ratio, *Correctoris (y)*, ac ſubinde *Cæſaris Procuratoris (z)*, appellatione, Edictis regebantur; juxta quæ a ſe conſtituta, iidem in variis provinciæ foris, vel conventibus, ſeu, ut Græca voce dixit haud ſemel Cicero, *(a)* diœceſibus, jus dicere conſueverant.

Alias vero leges vel conſtitutiones non hic tango, quæ libera adhuc Republica, redactis in ditionem populi Romani urbibus vel provinciis, miſſis ex Senatusconſulto extra ordinem Prætoribus ac Legatis, ab iiſdem, ſeu ex eorundem Legatorum ſententia, erant latæ: quibus nempe ordinabantur urbes vel provinciæ; conſtituta Reipublicæ apud eaſdam forma; ac inter alia judiciorum, quibus iidem oppidani vel provinciales tenerentur, ratio. Ad quas etiam leges obſervandas, vel præſcripta iiſdem judicia retinenda obſtricti erant, qui dein ad illas provincias mittebantur, ſtatis temporibus, Romani Præſides; prout de Siculis ait in Verrinis Cicero: *(b) Legem eſſe Rupiliam, quam Prætor Rupilius ex S. C. & decem Legatorum ſententia dediſſet: hoc OMNES SEMPER in Sicilia Conſules, Prætoreſque SERVASSE.* dein: *(c) Cum OMNES ante ſe PRÆTORES, Rupilias leges, & in cæteris rebus, & in JUDICIIS maxime OBSERVASSENT, auſus es pro nihilo &c.* Quæ proinde, eaque vulgo Senatusconſultis aut ple-

(x) L. I. & XI. D. de Off. Præſ.
(y) Leg. X. & XX. Eodem.
(z) Leg. XXIII. Sect. V. D. de Appell. L. II. Cod. de Pœnis.
(a) L. III. Epiſt. 8. &c.
(b) In Verrin. 4. c. 39.
(c) Ibid. c. 40.

biſ-

biſcitis perlata ac rati habita, non pendebant ab arbitratu Præſidum, ut hæc immutare iidem valerent aut reſcindere. De iis proinde Edictis hic ſermo, quæ ad civiles maxime privatorum controverſias ſpectabant, & e quibus jus provincialibus, ſervato cæteroquin præſcripto dudum judiciorum ordine, aut fori, cui iidem privati ſubjacebant, privilegiis, a Præſidibus ad eas regendas miſſis dicebatur. Quæ etiam Edicta inde vel *Provincialia* in genere, vel ipſo Provinciæ nomine, ubi illa edebantur, *Sicilienſe* puta, vel *Aſiaticum*, ſunt nuncupata: ac prout, ne longius eadem arceſſantur, utriuſque illius appellationis exempla ſuppeditabit in Verrinis *(d)* ac in Epiſtolis *(e)* ad Atticum Cicero. Factum vero, ut Romæ ſubinde, antequam in provinciam a ſe regendam exirent, Edicta id genus componerent iidem Præſides, ut de ſe Ciliciæ tum Proconſule, ad Appium Eodem proconſulatu functum, teſtatur idem Tullius: *(f) ROMÆ compoſui EDICTUM: nihil addidi, niſi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me veniſſent, ut de TUO EDICTO totidem verba TRANSFERREM in meum. Diligentiſſime ſcriptum caput eſt, quod pertinet ad minuendos ſumptus civitatem: quo in capite ſunt QUÆDAM NOVA ſalutaria civitatibus, quibus ego magnopere delector.* E quibus præterea verbis liquet, provincialia Præſidum Edicta, partim *(g) tralatitia*, prout eo nomine a Romanis dicebantur, quæ ex anterioribus Edictis erant deſumpta; partim *nova* vulgo exſtitiſſe: ut id inſuper ex iis, quæ de Sicilienſi Verris, dum is Prætor ibi eſſet, Edicto, & de quo paullo infra, ait *(h)* alibi Cicero, conſtare poteſt.

(d) In Verrin. I. cap. 112.
(e) Lib. VI. Epiſt. 1.
(f) L. III. Epiſt. Fam. 8. Gellius L. III. c. 18. 11. c. 33.
(g) Cicero ad Att. L. V. Epiſt. 21.
(h) In Verrem. I. cap. 112.

Hisce autem Præsidum Edictis, præter Senatusconsulta, eaque sub Cæsaribus ex eorum Orationibus in Senatu recitatis, ut supra de Hadriano, Marco Severo, aliisque Imperatoribus vidimus, subinde facta, juxta Pauli J. C. ea de verba: *(i) Oratione D. Marci &c. quam & Senatusconsultum secutum est*; ac jam ante a Tacito, *(k) Orationem Principis* (Claudii) *sequuta Patrum consulta*; præter ea, inquam, accesserunt eorundem Principum cum communia omnibus Provinciarum Rectoribus mandata ab iis proposita; tum singularia ad illos, aut ad ipsos quandoque provinciales, sive ad eorum communitates, certasve urbes missa subinde Rescripta vel Edicta. Priora equidem, seu data promiscue Provinciarum Præsidibus, vulgo *Mandata* in genere, aut *Mandata Principum* sunt appellata: juxta illud Callistrati in Digestis: *(l) Mandatis Principalibus, quæ Præsidibus dantur*: alibi Charisius: *(m) Mandatis cavetur, ut Præsides attendant*: Ulpianus, *(n) & quod Mandatis continetur, ne domum vel munus ipse Proconsul &c.* ac Modestinus: *(o) Mandatis Imperatorum cavetur, ut etiam in provinciis Præsides de querelis patronorum jus dicentes &c.* Quod firmat insuper Imp. Justinianus, haud ignoto in Novellis, *(p) de Mandatis Principum* titulo, uti id ad exemplum Reipublicæ Progenitorum factum docet, *(q) qui ad administrationes directis certa præcepta dabant. MANDATA PRINCIPUM ea vocantes, secundum quæ eos oportet gubernare administrationes*: & alibi: *(r) sacra etiam præcepta, quæ MANDATA PRINCIPIS a veteribus nuncupantur.*

(i) Leg. X. D. de Ritu Nupt.
(k) Annal. XI. 24.
(l) Leg. XXXV. D. de Pœnis.
(m) Leg. XXV. D. de Fide Instrum.
(n) Leg. VI. Sect. 3. D. de Off. Proconf.
(o) Leg. VIII. D. de Jure Patronat.
(p) Nov. XVII.
(q) Præf. Eodem.
(r) Nov. XXVII. c. 1.

Adde

Adde cujusmodi *Mandata* Rectoribus provinciarum *communia* tangit & commemorat alicubi *(s)* Dio Cocceianus: nempe 1. nullum militum delectum agere: 2. pecuniam, præter constitutum, non exigere injussu Senatus aut Imperatorum 3. misso successore statim e provincia discedere 4. intra tertium mensem Romam reverti. Secundi vero generis erant, ea quæ ad certos Provinciarum, Asiæ puta, vel Africæ, vel Achaiæ, aliarumque ditionum Romanarum Præsides mittebantur subinde ab iisdem Principibus *Edicta*, *Rescripta*, vel *Epistolæ*, a quibus nempe Rectoribus, ubi novæ, vel perplexæ, vel graviores occurrebant quæstiones, aliave orta ejus rei occasione, Imperatores adiri frequenter & consuli consueverant. Quod vel e multis *(t)* Plinii, Bithyniæ tum ac Ponti Rectoris, ad Trajanum, ac Trajani vicissim ad Plinium Epistolis constat; ac ubi ipse Trajanum consulit de jure, quod in ea provincia, pro obortis in illius administratione novis aut controversis caussis vel quæstionibus, diceret. Haud aliter ac idem TRAJANUS vel *(u) Julio Frontoni*; & *Assiduo Severo*; vel *(x) Servio Quartino*; *(y) Mummio Lolliano*; *(z) Minicio Natali*; aut *(a) ad Didium Secundum*, aliosve seu urbanos Magistratus, seu Provinciarum Rectores, ut de horum nonnullis aliunde constat, rescripsisse in thesauris Romanarum legum dicitur. Quomodo sequentes quod adtinet Principes, id quoque in iisdem Digestorum libris est obvium, in quibus nominatim rescripsisse traditur HADRIANUS, aut *(b) ad Calpurnium Rufum Proconsulem Achaiæ*; aut *(c) Sal-*

(s) Lib. LIII. p. 506.
(t) Lib. X. Epist. 71. 72. &c.
(u) Leg. V. D. de Pœnis.
(x) Leg. I. Sect. 11. D. de Quæstion.
(y) Eodem Sect. 12.
(z) Leg. IX. D. de Pœnis.
(a) Leg. I. D. de Interd.
(b) Leg. X. Sect. I. de Off. Proconf.
(c) Leg. XIV. D. Ad S. C. Turpil.

ſine provinciæ nomine cum aliis, tum *(ſ) Harruntio Siloni*, ad quem reſcripſiſſe dicuntur Divi Fratres, *non ſolere Præſides Provinciarum, ea quæ pronuntiaverunt ipſos, reſcindere.* Ita SEVERUS ac ANTONINUS filius Reſcripta miſiſſe traduntur, vel *(t) Mæcio Probo, Præſidi Provinciæ Hiſpaniæ*; vel *(u) ad Ovinium Tertullum, Præſidem Provinciæ Myſiæ Inferioris*; vel *(x) Severo Braduæ Maurico Proconſuli Africæ*; ſolus autem Antoninus *(y) ad Virium Luppum Britanniæ Præſidem.* Adde eorum, Patris nempe Severi & filii Antonini, Reſcripta in Pandectis, ubi diſcribuntur ſola Præſidum, non vero Provinciarum, quas iidem tum adminiſtrarent, nomina. Ad ipſos vero *Provinciales*, ſeu ad *Communitates* provinciæ, vel ad certas *civitates* miſſa, quoque ſubinde eorundem Principum Reſcripta vel Epiſtolæ memorantur in eadem locuplete Romanarum legum penu; prout nempe *Epiſtolarum Veſpaſiani, Titi, Domitiani ad Lacedæmonios; Achæos,* alioſque fit mentio in citatis ſupra *(z)* Plinii ad Trajanum Epiſtolis. Ita ab Hadriano reſcriptum legitur *(a) ad Clazomenios*, aut *(b) Nicomedenſibus*; aut *(c) Conſilio Bæticæ*, aut *(d)* Κοινῷ τῶν Θεσσαλῶν, *Communitati*, ſeu, juxta Latinum interpretem, *Reipublicæ Theſſalorum.* Quomodo etiam ab ANTONINO PIO ad idem illud *(e)* τὸ Κοινὸν, ſive *Univerſitati*, ut ibi vertitur, *Theſſalorum*; alibi, *(f)*

(ſ) Leg. XXVII. D. de Pœnis.
(t) Leg. VII. S. 10. D. de Interd.
(u) Leg. IX. D. de Captiv.
(x) Leg. I. D. de Suſpect. Tutor. & L.IV. D.de Off. E. C. Mand. Juriſd.
(y) Leg. II. S. 4. D. de Vulg. & Pup. Subſt.
(z) Lib. X. Epiſt. 72.
(a) Leg. IV. S. D. de Legation.
(b) Leg. V. D. de Decret. Ab Ord. Fac.
(c) Leg. I. D. de Abigeis.
(d) Leg. XXXVII. D. de Judiciis.
(e) Leg. V. S. 1. Ad Leg. Jul. D. Re Publ.
(f) Leg. I. S. V. D. de Appellat.

πρὸς

πρὸς τὸ Κοινὸν τῶν Θρᾳκῶν, *ad Communitatem Thracum*; aut (g) *Communitati Asiæ*, ſicut in decreto ejuſdem Pii, vel juxta alios, M. Antonini, apud Juſtinum Martyrem, (h) πρὸς τὸ Κοινὸν τῆς Ἀσίας, *ad Commune Asiæ*; quomodo apud Gellium, (i) *ſicuti quondam in communi concilio Aſiæ decretum eſt*; aut apud Ciceronem in Verrinis, (k) *Commune Myliadum*, aut (l) *Commune Siciliæ*, quod vidit jam ad Euſebium doctiſſimus (m) Valeſius, dicitur; ſic alia (n) *ad Epiſtolam Antiochenſium* ab eodem PIO; vel a DIVIS FRATRIBUS, (o) *Hierapolitanis*; aut ab ANTONINO CARACALLA itidem, juxta Pium, (p) *ad deſideria Aſianorum*; aut ab ALEXANDRO SEVERO, (q) τῷ Κοινῷ τῶν ἐν Βιθυνίᾳ Ἑλλήνων, *ad Commune Eorum, qui in Bithynia ſunt Græcorum*, Reſcripta memorant iidem Romani juris conditores vel interpretes. Quibus proinde Principum Conſtitutionibus vel Reſcriptis certa demum provincia, vel civitas, aut commune unius gentis, non continuo reliquæ gentes vel provinciæ Romano imperio ſubjectæ obſtringebantur; niſi id nominatim eſſet conſtitutum, ac ad generalia pertineret, de quibus paullo ante, Principum Mandata vel Edicta. Unde etiam a Plinio, de conditione & alimento liberorum, qui expoſiti erant ac in ſervitutem redacti, Trajanus conſulitur: (r) *in qua* (quæſtione nempe) *ego auditis Conſtitutionibus Principum, quia nihil inveniebam, aut PROPRIUM, aut UNIVERSALE, quod ad Bithynos ferretur, conſulendum te exiſtimavi.* Cui continuo reſcribit Trajanus, quod de ea quæſtione,

(g) Leg. VI. S. 1. D. de Excuſat.
(h) Apolog. I. in MSS.
(i) Lib. II. c. 6.
(k) In Verrem I. c. 28.
(l) In Verrem II. c. 38.
(m) Ad Euſeb. H. Eccl. L. IV. c. 13.
(n) Leg. III. D. de Cuſtod. Reor.
(o) Leg. XXVI. D. de Pœnis.
(p) Leg. IV. S. 5. D. de Off. Proconſ.
(q) Leg. XXV. D. de Appellat.
(r) Lib. X. Epiſt. 71.

nec

nec quidquam invenitur in commentariis eorum Principum, qui ante me fuerunt, quid AD OMNES PROVINCIAS sit constitutum: mox de Domitiano: *sed inter eas provincias de quibus rescripsit, non est Bithynia.* Quomodo alioquin a Modestino commemoratur in Digestis, *(s) Epistola Antonini Pii, quae rescripta est COMMUNITATI ASIÆ, UNIVERSO autem ORBI conveniens.* A quibus proinde specialibus, vel *personalibus*, ut illa a (t) Justiniano dicuntur, Constitutionibus, ad hujus vel illius Provinciæ aut Communitatis vel oppidi usum aut petitionem inductis, diversa erant, ea de quibus egimus, Principum Edicta vel Mandata, quæ ad universas ditiones ac civitates Romani imperii erant exporrecta: prout alibi in iisdem Juris-consultorum libris legimus: *(u) præcipitur autem Edicto Divi Vespasiani OMNIBUS CIVITATIBUS, ne plures quam ternos legatos mittant:* & alio rursus loco: *(x) Est enim GENERALIS EPISTOLA Divorum Marci & Commodi, qua declaratur, & Præsides & Magistratus & milites Stationarios, dominum adjuvare debere in inquirendis fugitivis.* Adde Papinianum de Severo ac Antonino Impp. dicentem, *(y) optimi Principes nostri GENERALITER rescripserunt.* Quo spectant itidem constitutiones ævi Constantinianei, ac eidem proximi, ut quum a Valentiniano ac Valente Impp. dicitur: *(z) per OMNES provincias EDICTUM GENERALE misimus:* aut ab iisdem alibi: *(a) GENERALI LEGE decernimus, neminem sibi esse judicem:* aut ab Arcadio ac Honorio, *(b) GE-*

(s) Leg. VI. S. 2. D. de Excusat.

(t) Leg. I. Inst. de Jur. Natur. & Gent.

(u) Leg. IV. S. 6. D. de Legation.

(x) Leg. IV. S. 3. D. de Fugitiv.

(y) Leg. XXI. D. de Accusat.

(z) Leg. VII. C. de Strator.

(a) Leg. Unic. C. N. Q. I. S. Caus. Jud.

(b) Leg. III. C. de Tabulariis.

NERA-

NERALI LEGE sancimus, ut solidis provinciis, sive SINGULIS CIVITATIBUS necessarii forent tabularii: aut denique a Theodosio juniore; (c) *sed & si GENERALIS LEX vocata est, vel AD OMNES jussa est pertinere vim obtinet Edicti.* Immo quam in rem adscribere insuper hic licet, id quod in Actis Passionis S. Felicis sub Diocletiano apud Surium, ac inde in Actis Martyrum apud (d) Ruinartum legitur: *Diocletiano octies, & Maximiano septies Consulibus Augustis, exivit EDICTUM Imperatorum & Cæsarum SUPRA OMNEM FACIEM TERRÆ, & propositum est per colonias & civitates Principibus & Magistratibus, suo cuique loco, ut libros Deificos peterent de manu Episcoporum & Presbyterorum.*

(c) Leg. III. Cod. de Legib. (d) Pag. 376.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Edicto Provinciali *ad exemplum* Edicti *Hadriani* Perpetui *constituto. De antiquis Prætorum* Edictis Urbanis Perpetuis, *e libris linteis, seu verius Actis diurnis, & Asconio; ac unde* Perpetua *eadem sint dicta. Ciceronis ea de re loca.* Edicta Præsidum *in provinciis ad Quiritium jura & Urbana Edicta, & quibus in caussis, accommodari, Reipubl. temporibus, solita. Idem sub Cæsaribus factum, & leges urbanæ ad provincias subinde exporrectæ. Id e priscis Juris-consultis, ac constitutionibus Principum adsertum.* Edicta *sua rescindere, non potuerunt Præsides. Prioribus tamen Rescriptis, vel constitutionibus, derogari a Principibus licuit.* Edicti Provincialis *usus, receptis Romanis legibus, post Imp. Antonini constitutionem, abolitus.*

QUUM vero sub Hadriano, sive jussu ejus ac auctoritate conditum esset a Salvio Juliano, non vero juxta Victorem Schotti *(a)*, & cui suffragari non debuit vir *(b)* maximus, a Didio Juliano Im-

(a) In Did. Julian.
(b) H. Grot. Flor. Sparſ. ad J. Justinian. p. 84.

peratore, *Edictum* illud *Perpetuum*; ex quo, non vero ad annuum amplius Prætorum arbitrium, seu juxta nova vel incerta eorum Edicta, jus civibus deinceps a Prætoribus Urbanis diceretur: ita ad illius exemplum constitutum mox *Edictum Provinciale* videtur, quo similiter Romani Orbis provinciæ fixo stabilique jure in posterum, ab earum Præsidibus regerentur. Istud vero an Hadriano itidem, cujus nempe jussu fuerit illud conditum, ut censuit nuper vir excellenti doctrina H. Dodwellus, *(c)*, an vero M. Antonino debeatur, haud licet certo statuere: quum Gaius, qui XXXII. libros ad illud *Edictum Provinciale* scripsisse in Justinianeo indice dicitur; & equibus demum libris, de eo Edicto (cujus nempe fit crebra in Digestorum legibus, quæ inde sunt relatæ, mentio) nobis hodie constat, sub Pio & Marco vixerit. Ad quem vero Marcum, ac imperii cum eo participem Verum, ea dicuntur ab Aristide, quæ ad illud Edictum provinciale, ex quo deinceps, non vero ex incertis amplius ac inconditis Præsidum Edictis, jus provincialibus diceretur, omnino videntur, ut supra jam innui, respicere: nempe ubi meminit Orator Smyrnæus *(d) legum & constitutionum omnibus inevitabilium*, sive quibus, ut id jam ante diximus, omnes provinciales deinceps tenerentur: ac rursus, *(e) legum omnibus communium*, quæ essent ab iisdem Principibus constitutæ. A quo cæteroquin Gaio libri decem *ad Edictum Urbicum* dicuntur scripti in præposito Digestis indice; ac prout excerptarum ex iis Gaii libris *(f) ad Edictum Urbicum* legum sit semel in iisdem Pandectis mentio, sive, & quod fugit diligentiam Ant. Augustini *(g)*, aliorumve, qui indices veterum Juris-con-

(c) Ad Spartian. Hadr. p. 335.
(d) Orat in Romam p. 390.
(e) Ibidem p. 395.
(f) L. II. D. de Action. vel Transfer. Leg.
(g) In Lib. de Nomin. Propr. Pandect. Florentin. ac Jac. Labitti index.

sulto-

ſultorum concinnarunt, aliquoties (*h*) *ad Edictum Prætoris Urbani*; ſicut alibi (*i*) *ad Ædictum Ædilis Curulis*. Quamquam, & quod præteriri hic non debet, liberæ adhuc urbis temporibus, eadem Edicta, e quibus annui illi Prætores jus in urbe dicebant, *Perpetua* legantur etiam appellata. Id quidem, & tanquam antea ignotum, ex ineditis librorum linteorum, qui penes Iſ. Voſſium fuerant, & quæ ille e Pauli Petavii ſchedis deſcripſerat, fragmentis tradidit nuper vir doctiſſimus H. Dodwellus (*k*); ſed qui eadem a duobus viris eruditiſſimis Pighio (*l*) ac Reineſio (*m*), & tanquam Acta Urbis diurna, jam vulgata, alibi dein agnoſcit (*n*). In quibus autem libris Pontificum linteis, ſeu verius diurnis Actis, id inter alia legitur:

HORA OCTAVA SENATUS COACTUS EST IN HOSTILIA
S. C. FACTUM PRÆTORES UT SUIS
PERPETUIS EDICTIS JUS DICERENT.

nempe, ut ex iiſdem Actis liquet, L. Æmilio Paullo & C. Licinio Craſſo Conſulibus, ſive anno U.C. DLXXXVI. Quum alioquin, & quod ad vetus illud Senatusconſultum adnotari obiter a viris doctiſſimis meruit, eadem quoque de *Edictis Prætorum Perpetuis*, & quæ inde etiam haud parum illuſtrantur, lege a Cornelio Sulla Tribuno plebis lata, Cn. Piſone Conſule, ſeu anno U. C. DCLXXXVII. conſtituta, retulit Aſconius Pedianus: (*o*) *UT PRÆTORES EX EDICTIS SUIS PERPETUIS JUS DICERENT.*

(*h*) L. XXXII. & XXXIII. D. de Hered. Inſtit. L. XLVIII. de V. S. & L. CXXIX. de Reg. Jur.
(*i*) L. III. XII. &c. D. de Edict. Ædil.
(*k*) Ad Spartian. Hadr. p.333.
(*l*) Annal. L. XI. p. 378.
(*m*) Inſcr. Syntagm. p. 349.
(*n*) In Append. p. 651.
(*o*) Præfat ad Orat. pro Cornel. Scip. Gentil. de Juriſd. c. 30.

Quæ nempe totidem ſunt illius Senatusconſulti, centum circiter ante annis facti, & proinde quod hac lege tribunitia ſeu Cornelia ſit denuo firmatum ac renovatum, verba. Ea vero *Edicta* Prætorum *Perpetua*, inde demum iiſdem Senatus vel Populi Romani ſcitis, dicta, (quod de lege illa Cornelia monuerunt jam (*p*) alii) ut nempe iidem Prætores ex Edictis, ab anni ſeu Præturæ ſuæ initio proponi pro more ſolitis, perpetuo jus dicere tenerentur: non vero intra ejuſdem anni, quo illi eo magiſtratu fungebantur, ſpatium, eadem Edicta variare vel immutare, aliave eorum loco, unde ii jura civibus darent, proponere. Quæ nobis utique clariſſime ante oculos ponunt Ciceronis de Verris Prætoris Urbani actis, ſive de iis, quæ ille adverſus proprium Edictum, præter fas omne, & facta jam ea de re, ut modo vidimus, Senatusconſulta, decreverat verba: (*q*) *Et cum EDICTUM totum eorum arbitratu, quamdiu fuit deſignatus, componeret, qui ab iſto jus ad utilitatem ſuam nundinarentur; hoc vero in magiſtratu CONTRA EDICTUM illud SUUM* (uti in adducto Senatusconſulto & lege Cornelia, *E ſuis perpetuis Edictis*) *ſine ulla religione decernat.* dein (*r*) *Nam quæſo, redite in memoriam, judices, quæ libido iſtius in jure dicendo fuerit, quæ VARIETAS DECRETORUM?* mox: *Cum erat ad eum ventum, & in aurem ejus inſuſurratum, alias revocabat eos, inter quos jam decreverat, DECRETUMQUE MUTABAT: alias inter alios CONTRARIUM ſine ulla religione decernebat, ac proximis paullo ante decreverat.* Habita autem, & quod adverti hic meretur, a Cicerone hæc Oratio, ſeu inſtituta ab eo ac peracta tota illa Verris accuſatio, Craſſo ac Pompeio Conſulibus, hoc eſt, juxta accuratiores Faſtos, anno U. C. DCLXXXIV. ac proinde nonaginta ſex ſeptemve annis, poſt illud memoratum

(*p*) Ant. Auguſtin. de Leg. Rom.

(*q*) In Verrem L. c. 119.

(*r*) Ibid. c. 120.

paullo

paullo ante Senatusconſultum, quo Prætores *E SUIS Perpetuis Edictis Jus Dicere* jubebantur: tribus vero quatuorve annis, antequam eadem conſtitutio lege Cornelia eſſet renovata. Adeo ut ad illud recens adhuc Verris factum, qui paucis ante annis Prætura Urbana erat functus, & in qua ita flagitioſe ac præter majorum inſtituta, contra *Edictum ſuum* toties decreverat, quodque ei hac prima, de ea hujus Prætura, Oratione vehementer erat a Cicerone objectum, ac ad alios dein Prætores ejus exemplo incitatos, datam inde huic legi Corneliæ, ſeu quam tulit Tribunus tum plebis L. Cornelius Sulla, anſam, referre haud incommode liceat. Ea quippe lege denuo, ut Prætores ex Edictis ſuis Perpetuis jus dicerent, eſt ſancitum; & cui etiam legi, qui eam poſteris prodidit Pedianus, addit: *(ſ) Quæ res tum gratioſa ambitioſis Prætoribus, qui VARIE JUS DICERE aſſueverant, ſuſtulit.* Adeo ut vel inde abunde liqueat, vetera & urbana Prætorum Edicta, non dicta inde *Perpetua* eo ſenſu, quaſi *tranſlatitia*, ac inſtar Edicti Hadriani Perpetui: quod tamen a præclaro juris ac literarum antiſtite Ant. Auguſtino *(t)*, ad legem, de qua paullo ante, Corneliam; atque etiam a *(u)* viro inſigni eruditione ad Senatusconſultum, ab eo e libris linteis ſeu diurnis Urbis Actis, adductum traditur: ſed eo ſenſu omnino, quo de eis Prætorum Edictis ait Pomponius: *(x) Ut ſcirent cives, quod jus de quaque re quiſque dicturus eſt, ſeque præmuniret, EDICTA proponebant; quæ Edicta Prætorum jus Honorarium conſtituebant.* Qua cautione utique, vel juxta Pomponium, *præmunitione* neutiquam opus fuiſſet, ſi veteri illo Senatusconſulto, aut lege Cornelia, eadem ſemper & con-

(ſ) Præfat. in Orat. pro Cornel.

(t) Pag. 1195. T. II. Theſ. Antiq. Rom.

(u) H. Dodwell. ad Spartian. Hadrian. p. 133.

(x) De Origin. Jur. Sect. 10.

ſtans

ſtans Edictorum, e quibus annui Prætores jus dicere tenerentur, ratio fuiſſet præſcripta. Quomodo utique Prætoris Edictum, non *lex annua*, & *cui finem adferrent Kalendæ Januariæ*, a Tullio, centum ferme annis a memorato ſupra Senatusconſulto diceretur: immo cujus ea de re verba ſunt omnino hic adſcribenda: (y) *Qui plurimum tribuunt Edicto, Prætoris EDICTUM, LEGEM ANNUAM dicunt eſſe.* mox: *Si FINEM Edicto Prætoris afferunt KALEND. JANUAR. cur non initium quoque Edicti naſcitur a Kalend. Januarii? an in eum annum progredi nemo poterit Edicto, quo Prætor alius futurus eſt: in illum, quo alius Prætor fuit, regredietur.* E quibus proinde obvia eorundem annuorum Prætoris Edictorum ratio, & quæ, ſequutis adhuc ætatibus, ad Hadrianum uſque tenuit, ſatis, ut opinor, eluceſcit. Neque vero, quod nonnullis aliis juris interpretibus, ac noviſſime (z) viro eruditione præſtanti placuiſſe video, Edictum Hadriani Perpetuum eo ſenſu dictum, quo Edicta illa Prætorum annua; & ad quæ conſtituenda ac obſervanda, annui Prætores Senatusconſultis, ut modo diximus, aut lege Cornelia tenebantur. Id enim ſatis utique redarguit, cum diverſa conditi, Hadriani juſſu, a Salvio Juliano, ſummo ea ætate Juriſperito, cum e prioribus Prætorum Edictis, tum aliunde, ſingulari ſtudio ac induſtria, Edicti Perpetui ratio: ad cujus normam Prætores jus deinceps in Urbe dicerent. Quorum etiam Prætorum reſtricta jam erat ſub imperio Cæſarum, & ab horum nutu pendens juriſdictio; decurſu vero temporis tota ferme, quod docent conſtitutiones Principum in Codice Theodoſiano, (a) ac obſervat ibidem doctiſſimus ejus Enarrator, in munerum editionibus, ſeu Circenſibus vel Scenicis ludis, ſita. Accedit facta

(y) In Verrem I. c. 109.
(z) Schubart. de Fat. Juriſp. Rom. p. 637. &c.
(a) Vid. L. VI.XI.XIII.XIV. &c. Lib. VI. Tit. IV. D. Præt.

illi-

illius *Edicti Perpetui* peculiaris apud Auctores (*b*) in veterum Juris-consultorum libris (*c*), ac in Constitutionibus Imperatorum, sicut (*d*) Valeriani & Gallieni, (*e*) Gordiani, (*f*) Diocletiani, quæ etiamnum exstant in Codice Justinianeo, & præterea ab ipso (*g*) Justiniano mentio. Unde etiam ad illud Edictum, tanquam ad novam juris Romanorum civilis normam, conscripti dein, ac post Hadriani tempora, cum a Gaio, tum a Paulo libri octoginta, & ab Ulpiano octoginta tres; e quibus & ex Ulpiano potissimum excerptæ leges, aut adducta frequenter ipsius EDICTI, vel quo illud indicatur, AIT PRÆTOR, vel EDIXIT PRÆTOR, formulæ seu jussa, utramque in Digestis paginam faciunt. Immo quomodo vetera illa & annua Prætorum Edicta, tanquam eorundem, qui illa suis annis edixerant, propria (sicut in adlatis Senatusconsulti ac legis Corneliæ verbis, *Prætores E SUIS EDICTIS perpetuis*) sunt appellata: ita istud uno & singulari quidem in libris veterum Juris-consultorum, quod modo vidimus, EDICTI nomine, aut EDICTI PRÆTORIS, vel EDICTI URBANI, ac &, uti a Justiniano aliisque, EDICTI PERPETUI, vel etiam, EDICTI Hadriani (*h*), cujus nempe auctoritate fuit constitutum, dici meruit. Prout etiam ad illud respici existimo, ea lege, quæ a Diocletiano & Collegis lata, in

(*b*) Eutrop. L. VIII. c.17 Aur. Victor in Cæsarib. Euseb. in Chronic.

(*c*) L. II. D. de Statu Hominum, & passim sub nomine *Edicti* aut *Ait* vel *Edixit Prætor*.

(*d*) Leg. XVII. Cod. Ex Quib. Caus. Infam.

(*e*) Leg. II. Cod. Ne in Jus vi cond. &c. Leg. IV. Cod. D. his Quæ vi &c.

(*f*) Leg. VIII. Cod. de Injuriis Leg. VI. Cod. Qui Adm. ad Bon. Possess.

(*g*) Præf. Digest. Sect. 18. & Leg. IX. Cod. de Cond. Indeb.

(*h*) Præf. Digest. & in Cod. de Vet. Jur. Enucl. Sect. 18.

Co-

Codice legitur: *(i) Incolas vero (ſicut & Divus HADRIANUS EDICTO SUO manifeſtiſſime declaravit) domicilium facit:* ac unde ipſe Hadrianus, quaſi novi inde juris auctor vel conditor habitus. Ad cujus proinde, ut diximus, *Edicti Perpetui* ſeu *Urbani* exemplum, & quo de certo imposterum ſtabilique jure, non vario vel incondito, provinciis itidem conſtaret, conditum illud, de quo paullo ante egimus, *Edictum Provinciale*, juxta quod Præſides jus deinceps provincialibus dicerent, licet omnino ſtatuere. Erant quidem antiquiora Romanorum in provinciis Præſidum Edicta, ad civilia Quiritium jura, ſeu Urbana de iis Edicta, accommodata: maxime ubi de privato jure dicundo, ſive de uſitatis privatorum cauſſis vel controverſiis agebatur: adeo etiam, ut ne quidem opus hæc Edicto ſuo provinciali complecti Cicero Ciliciæ Proconſul crediderit, ſed in ejus clauſula demum teſtari: *(k) Tertium de reliquo jure dicundo ἄγραφον reliqui: dixi me de eo genere mea decreta AD EDICTA URBANA accommodaturum.* Alia autem, quæ tanquam provincialibus propria, velut de civitatum rationibus, uti de earum ſumptibus, legationibus, immunitatibus, juriſdictione, magiſtratu, fundis &c. aut de ſtatis pactionibus cum publicanis, uſuris inde, ſyngraphis, & quæ alterius adhuc generis erant, ſpeciatim a Præſidibus edicenda, ac inde etiam *Edicti provincialis* nomine ibidem a Tullio dicta: *(l) Breve autem EDICTUM eſt, propter hanc meam διαίρεσιν, quod duobus generibus edicendum putavi: quorum UNUM eſt PROVINCIALE, in quo eſt de rationibus civitatum, de ære alieno, de uſura, de ſyngraphis: in eodem omnia de Publicanis.* Hiſce vero alterum Edicti illius genus addit: *Alterum quod ſine Edicto ſatis commode tranſigi non poteſt, DE HEREDITATUM POSSESSIONIBUS, de bonis poſſidendis, magiſtris faciendis,* ven-

(i) Leg. VII. C. de Incolis.
(k) Ad Attic. L. VI. Epiſt. 1.
(l) Ibidem.

vendendis, quæ EX EDICTO postulari & fieri solent. Quæ autem ibi a tertio illo Edicti genere, de reliquo nempe jure dicundo, distinguit, de quo nihil in Edicto suo peculiariter constituerit; sed id tantum monuerit, quod de eo decreta sit ad Edicta Urbana, ut vidimus, accommodaturus. Idem tamen alibi, caput illud de *hereditatum possessionibus*, tanquam unum, non de secundo, ut in adductis modo ejus verbis, sed de tertio illo demum Edicti genere, quod ad Urbana Edicta accommodari, sive inde in provincialia Edicta transferri solitum, in Verrinis adtigerat: *(m) Non enim potest hoc loco dici, multa esse in provinciis edicenda, non de HEREDITATUM quidem POSSESSIONIBUS, non de mulierum hereditatibus. Nam utroque genere video, non modo CÆTEROS, sed te ipsum TOTIDEM VERBIS EDIXISSE, quot verbis EDICI ROMÆ solet.* Quod sub Cæsaribus itidem obtinuisse, ut ea Præsidum in provinciis Edicta, essent ad Urbana Prætorum Edicta, seu ad Perpetuum ab Hadriani temporibus Edictum, aliasve Romanorum leges aut Principum Constitutiones accommodata; in iis maxime capitibus, quæ de jure dicundo essent, sive in dijudicandis privatorum controversiis, cum aliunde manifestum, tum e mutuis Plinii ac Trajani Epistolis, & pluribus aliis Imperatorum Rescriptis ad Provinciarum Præsides, ipsosve Provinciales, quorum facta jam ante mentio; tum e Gaii ad Edictum Provinciale relatis in eodem Digestorum opere legibus, liceret pluribus, si id jam hic ageretur, evincere.

Unde etiam, quod obiter hic notandum est, leges urbanas ad provincias quoque, ante datam iis Antonini constitutione civitatem, Senatusconsultis aut Imperatorum Edictis subinde porrectas liquet. Id certe nominatim in quadam Diocletiani constitutione de servis publicis ma-

(m) In Verrem 1. c. 118.

numittendis dici videas : *(n) si itaque secundum legem Vettii Libici (cujus LEGIS POTESTATEM Senatusconsulto, Jubentio Celso iterum & Perato Marcello Consulibus facto, AD PROVINCIAS PORRECTUM constat)* Quod sub Hadriano contigisse, ex adductis ibidem Consulum nominibus liquet. Haud aliter ac legis Juliæ de bonis cedendis, & qua de re infra dicendi erit locus, beneficium constitutionibus sequentium Imperatorum dicitur itidem *(o) AD PROVINCIAS PORRECTUM esse, ut cessio bonorum admittatur.* Quo referri etiam debet illud Ulpiani : *(p) hoc Senatusconsultum non tantum ad urbem, sed & AD ALIAS CIVITATES pertinet :* quo nempe decretum erat, ut de domo, quam aliquis habet, ei permittatur in domum alterius civitatis transferre. Immo quod ab eodem in Fragmentis observatur de lege Atilia, quæ jubebat mulieribus ac pupillis tutore carentibus, dari a Prætore & majore parte Tribunorum plebis tutorem dictum inde Atilianum ; addit autem ; *(q) sed quia lex Atilia Romæ tantum locum habet, lege Julia & Titia perfectum est, UT IN PROVINCIA quoque SIMILITER a Præsidibus earum dentur tutores :* ac a Justiniano Imp. quod ex lege illa Julia ac Titia, tutor inde *(r) IN PROVINCIIS a Præsidibus provinciarum est datus.* Immo quo spectat etiam, quod ad generalia Principum Mandata, quis Provinciarum Rectoribus, ut ea de re paullo ante, dari consueverant, Edicta sua iidem in Provinciis leguntur accommodasse. Hinc illud Marciani J. C. *(s) sed & caput Mandatorum exstat, quo Div. Pius cum provinciæ Asiæ præerat, sub Edicto proposuit* &c. Quomodo illud quoque obtinuit, ut

(n) Leg. III. Cod. de Serv. Reip. Manumitt.

(o) Leg. IV. Cod. Qui Bon. Cod.

(p) Leg. XLI. Sect. 6. D. de Legat. & Fideicom.

(q) Tit. XXI. Sect. 18.

(r) Inst. de Atilian. Tutor.

(s) Leg. VI. Sect. I. D. de Custod. &c. Reor.

sicut

ſicut ab Edictis ſuis Perpetuis non poſſent recedere Prætores; ita id Præſidibus quoque Provinciarum incumberet, ne illi ſententiam ſuam mutare, aut Edicta ſua reſcindere viderentur. Quod egregie illuſtratur e Divorum Fratrum Marci & Veri reſcripto, quod exſtat etiamnum in corpore Romanarum legum: (t) *Divi Fratres Amantio Siloni reſcripſerunt, NON SOLERE PRÆSIDES PROVINCIARUM ea, quæ pronuntiaverunt, IPSOS RESCINDERE. Vetinæ quoque Italicenſi reſcripſerunt, ſuam MUTARE SENTENTIAM NEMINEM poſſe, idque inſolitum eſſe fieri.* Immo cui legi ipſos ſe Imperatores obſtrinxiſſe liquere poteſt e conſtitutione Gordiani Imp. (u) *neque ſuam, neque Deceſſoris ſui ſententiam quemque poſſe retractare, in dubium non venit.* Quamquam prioribus Romanorum principum conſtitutionibus vel edictis, ſæpe poſterioribus derogatum, ex eodem Romani juris ταμιείῳ abunde conſtet. Unde illud Ulpiani de quodam Trajani Reſcripto, in cauſſa de tormentis, vel confeſſione ſervorum: (x) *ita pronuntiare eum* (judicem) *debere Divus Trajanus reſcripſit: quo Reſcripto oſtenditur gravari dominos confeſſione ſervorum: ſed AB HOC RESCRIPTO RECESSUM poſtremæ conſtitutiones docent.* Immo quam in rem exſtat lex Modeſtini, qua in genere conſtitutiones tempore poſteriores, priores dicuntur iis, quæ ipſas præceſſerunt. Hinc ab Ulpiano de lege Aquilia dictum, quod (y) *ea omnibus legibus, quæ ante ſe de damno injuriæ locutæ ſunt, derogarit.* Sed quodcunque foret Edictorum, e quibus hic agebatur, Provincialium ſeu tranſlatitia, ſeu nova, aut perpetua tandem eſſent, genus: eorundem quoque, ac proinde Edicti illius Provincialis, inducti ad exem-

(t) Leg. XXVII. D. de Pœnis.

(u) Leg. V. Cod. Sent. Reſc. Non Poſſe.

(x) Leg. I. Sect. 19. D. de Quæſtion.

(y) Leg. V. D. Ad Leg. Aquil.

plum Urbani ſub Hadriano Edicti Perpetui, uſus eſt in provinciis abolitus: ubi æquata fuit omnium imperio ſubjectorum, data iis, nempe ingenuis, Romana civitate, conditio. Ita enim ſublato omni inter cives & peregrinos ſeu provinciales diſcrimine, omnes Romanis deinceps legibus, ſeu urbano ac civili eorum jure, regebantur: quod ut Romanæ urbis amplitudini debitum contendebat, uti e Juſtiniano jam ante vidimus, apud Hadrianum Salvius Julianus: tanquam vere jam receptum tradunt adductis paullo ante locis, neque unius ætatis Scriptores, Gregorius Thaumaturgus, Vopiſcus, Julianus Imperator, Claudianus, Rutilius, Sidonius Apollinaris, Theodoritus. Qua ratione etiam contigit, ut primo Gregorianus ac Hermogenianus, dein Theodoſianus, Codices, e Principum ab Hadriano ad juniorem Theodoſium Conſtitutionibus & Reſcriptis ſint compoſiti, ſive, ut antea vidimus, *EDICTIS propoſitis in omnium populorum, in OMNIUM PROVINCIARUM notitiam.*

CAPUT

CAPUT IX.

Non omnes in Orbe Romano gentes vel urbes, post Imp. Antonini constitutionem, Romanorum legibus subjectæ. De varia jam olim earum sub Romanis conditione; ac de autonomiæ, *sive* suarum legum, *quibus plures ex iis gentibus vel oppidis gaudebant, beneficio. De potiori inde* Municipiorum *præ* Coloniis *jure. De* Siculis & Græcis Asianis *ex parte* αὐτπνόμοις. De *mera ac plena sub Romanis* autonomia Carthaginiensium, Macedonum, Græcorum &c. *& variis, quibus eadem a Græcis scriptoribus designari solet, formulæ.* De Græcis Asianis primo sub Persarum legibus; dein αὐτονόμοις. Æschyli, Hippocratis, *& aliorum ea de re loca. De* sociis Atheniensium in Asia *partim* ὑπηκόοις, *partim* αὐτονόμοις. *De eodem* jure suarum legum *iisdem* Atheniensibus *a Romanis adserto. Item, præter* Macedonas, Illyriis, Galatis, Thessalis. *Bello Mithridatico, & eodem finito,* Autonomia *quibus* Asianis *data vel sublata. De* Atheniensium *sub Sulla conditione.*

Quam-

QUamquam id quod de Romanis legibus hactenus diximus, quod nempe post civitatem omnibus imperio subjectis datam, iisdem illi deinceps tenerentur, non eam vim habere debet, ut omnes omnino Romani Orbis incolæ, illud legum Romanarum jugum continuo subierint. Quod sicut nuper ad Juliani Imperatoris (a) ea de re verba ante jam adducta, quibus *omnes* promiscue *Romanis legibus & consuetudinibus uti* dixerat, est a nobis (b) monitum ac illustratum: ita hic denuo, nec minus opportune, & paullo etiam plenius ac diligentius, est omnino retractandum. Ita enim quæ in tam late diffuso per orbem terrarum imperio, interque tot dissonas moribus, institutis, vitæ cultu habituque gentes eidem populo subjectas vel obnoxias, juris diversitas vel consociatio fuerit, paullo liquidius constabit.

Haud una nempe earum ditionum vel urbium, quæ in potestatem & fidem populi Romani venerant, exstitit jam a primis Urbis temporibus conditio: dum aliæ tanquam bello victæ, leges & magistratus a victoribus acceperint: aliis vero, tanquam liberis aut fœderatis suæ leges ac proprii magistratus sint relicti: aliæ denique, quæ præter eandem suarum legum libertatem, Romana insuper civitate fuerint donatæ. Quæ devictatum gentium vel civitatum (ne eas jam, quæ vel *stipendiariæ* forent, vel *immunes*, & qua de re paullo post, nunc tangam) discrimina in ipsis Romanorum gestis per quingentos annos intra Italiam bellis sunt obvia; & partim etiam a nobis superiori Exercitatione delibata. Hinc Campanis, pro insigni beneficio eis a Romanis concesso, prædicabat Romanus Consul: (c) *Quod fœdus æquum*

(a) Orat. 1. p. 5.
(b) Observ. in Jul. Orat. 1. p. 37.
(c) Liv. L. XXIII. c. 5.

dedi-

deditis: quod LEGES VESTRAS: quod ad extremum (id quod ante Cannensem certe cladem maximum fuit) CIVITATEM NOSTRAM magnæ parti vestrum dedimus. Quum vero, quod ait Gaius, *(d) omnes homines, qui legibus ac moribus reguntur, partim SUO PROPRIO, partim communi jure utuntur*; ita etiam factum, ut, quod quisque sibi populus jus constituit, eo maxime delectetur; seu, ut ait eam in rem Diodorus, *(e) διὰ τὴν ἔμφυτον πᾶσιν ἐπιθυμίαν* ΤΗΣ ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΣ, *propter innatam omnibus cupiditatem SUARUM LEGUM.* Qua ratione itidem contigit, ut *jus* illud *suarum legum* (prout a Romanis Scriptoribus, Cæsare, Cicerone, Livio, aliisque, quod a Græcis una *αὐτονομίας* voce dicitur) a multis etiam Latii vel antiquis Italiæ populis vel oppidis, sit ipsi Romanæ civitatis juri, ut id obiter supra jam adtigi, haud semel ante latum. Ita apud Livium *(f) Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia MALUERUNT, quam CIVITATEM, SUÆ LEGES relictæ.* ac alibi de Prænestinis: *(g) CIVITATE quum donarentur ob virtutem, NON mutaverunt.* & alio rursus loco: *(h) Jam inde a majoribus traditum morem Romanis colendi socios, ex quibus alios in CIVITATEM atque æquum secum jus accepissent, alios in ea fortuna haberent, ut SOCII esse, quam CIVES MALLENT*: nempe ne amitterent sui juris, suarumque legum libertatem. Quod etiam de *Neapolitanis* & *Heracleensibus* tradentem vidimus Ciceronem: *(i) Cum magna pars in iis civitatibus fæderis sui*, quo nempe leges iis relictæ, *LIBERTATEM CIVITATI ANTEFERRET.* Hinc quum ea esset vetus, quam itidem jam expendimus, Municipiorum conditio, ut eadem, teste Hadriano Imp. apud Gellium

(d) L. IX. D. de Instit. & Jure.
(e) L. XX. p. 768.
(f) L. IX. c. 43.
(g) Idem L. XXIII. c. 20.
(h) L. XXVI. c. 20.
(i) Pro Balbo c. 21.

lium

lium, (*l*) *ſuis legibus moribuſque uti poſſent*; Coloniæ vero Quiritium legibus regerentur: inde *Præneſtinos*, ut ibidem additur, *maximo opere a Tiberio Imperatore petiiſſe oraſſeque, ut EX COLONIA IN MUNICIPII ſtatum redigerentur*: idque illis Tiberium, pro referenda gratia, quod ſub eorum oppido e capitali morbo convaluiſſet, tribuiſſe. Adeo etiam, ut de *Italicenſium* in Hiſpania, ac *Uticenſium* in Africa municipiis ab Hadriano Imp. in Senatu dictum tradat ibidem Gellius, *mirari ſe, quod, quum SUIS LEGIBUS MORIBUSQUE UTI poſſint, in jus coloniarum mutare geſtiverint.*

Equidem ubi Romani extra Italiam arma ſua victricia extulêre, eadem cum devictis populis vel oppidis lege eſt ab iis actum, ut aliis ſuas leges relinquerent: aliis eaſdem continuo adimerent. Hinc de *Siculis*, quos primo adorti ſunt ac in provinciæ formam redegerunt Romani, teſtatur in Verrinis Cicero. ubi inter alia delicta, quæ Verres in Siciliæ prætura admiſerat, refert: (*m*) *Hoc prætore SICULI, neque SUAS LEGES, neque noſtra Senatusconſulta, neque communia jura tenuerunt*: alibi: (*n*) *SICULI hoc jure ſunt, ut quod civis cum cive agat, domi certet SUIS LEGIBUS.* & ad quem locum ait Aſconius: *Etenim apud veteres, non Romano duntaxat jure, ſed & ſuæ cujuſque civitatis legibus agebatur.* De *Thermitanis* quidem Siculis id nominatim obſervat Tullius, inde quod illi in amicitia fideque populi Romani manſerint, (*o*) *urbes, agros, LEGESQUE SUAS*, iis redditas: ſed, ut ibidem additur, ante leges Siculis dein ex S. C. & decem legatorum ſententia datas, *ut cives inter ſe legibus ſuis agerent.* Haud aliter nempe ac de Græcis Aſianis, ſeu tribus illis Diœceſibus, quæ proconſulari ejus in Cilicia imperio,

(*l*) L. XVI. c. 13.
(*m*) Proem. in Verrem. c. 13.
(*n*) In Verrem. II. c. 13.
(*o*) Ibidem c. 90.

ſeu

ſive ut ipſe ait, *(p) Provinciæ* ejus *Cilicienſi* fuerant *attributæ*, dicit Cicero: *(q) Multaque ſum ſecutus Scævolæ: in iis illud, in quo ſibi LIBERTATEM cenſent Græci datam, ut Græci INTER SE diſceptent SUIS LEGIBUS.* mox: *Græci vero exultant, quod peregrinis judicibus*, h. e. Græcis (ut vere ibi viri docti) *utantur.* Quamquam *Siculos* quod adtinet, non plena iiſdem, uti nec Græcis illis Aſianis *autonomia* fuerit relicta: niſi ubi eſſet inter Siculos, vel inter Aſiaticos illos cives diſceptatio: aut cum civis Romanus, quod in iiſdem Verrinis additur (r) a Siculo quid peteret. Quum cæteris in rebus a Romanorum civium judiciis, ac e Romani Prætoris Edicto, cujus ſæpius in iiſdem Verrinis (ſ) & adductorum inde capitum, meminit Cicero, penderent iidem Siculi: non proinde, ut nec Græci illi Aſiani, de quibus in adductis verbis idem Tullius vere ſeu omnino, ut Græci Scriptores loquuntur, αὐτονομούμενοι. Quod etiam aperte ſatis innuunt Ciceronis de hiſce Aſianis, & apud quos forum ſe egiſſe, haud ſemel teſtatur *(t)* quæ is modo jam adductis addit, verba: (u) *Nugatoribus quidem, inquies, quid refert? tamen ſe αὐτονομίαν adeptos putant,* Idem tamen ſequenti Epiſtola (x) de iiſdem civitatibus ait in genere: *Omnes SUIS LEGIBUS & judiciis uſæ, αὐτονομίαν adeptæ revixerunt.* datis nempe, ſicut Siculis, Græcis judicibus, apud quos earum urbium cives inter ſe diſceptarent. Ut non inde tamen vere, quod dixi, αὐτόνομοι, aut etiam αὐτόδικοι forent iidem Siculi, vel Græci illi Aſiani: quomodo ii proprie a Græcis dicebantur, quibus plenum eſſet, non precarium aut reſtrictum legum ſuarum arbi-

(p) L. XIII. Epiſt. 76.
(q) Ad Atticum L. VI. Epiſt. 1.
(r) In Verrem II. cap. 13.
(ſ) In Verrem I. cap. 104. 106. 112. &c.
(t) Ad Att. L. V. Epiſt. 21. L. VI. Ep. 2.
(u) Ad Att. L. VI. Epiſt. 1.
(x) Ad Att. L. VI. Ep. 2.

trium; quique non acceptis aliunde, seu a Prætore Romano, judicibus, sed ipsi suos crearent judices vel magistratus, a quibus jus sibi diceretur. Plena vero exstitit & mera *autonomia*, qualis in belli Punici secundi exitu, Carthaginiensibus est a Romanis relicta, *(y) ut liberi legibus suis viverent* : & quidem vere liberi, sicut antea fuerant, nisi quod bellum injussu populi Romani suscipere, aut elephantos in posterum domare iidem vetarentur. Pace vero cum Philippo, penultimo Macedonum Rege, & Romanis facta, *(z) liberi, immunes, ac SUIS LEGIBUS Græci* ab iisdem Romanis sunt relicti: sive, juxta Polybium *(a)*, ex Senatusconsulto Roma adlato, Græci tam Asiani quam Europæi, liberi fuerunt pronuntiati, καὶ νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις, *utque suis utantur legibus.* Quod in celebritate ludorum Isthmicorum a præcone proclamatum iidem Auctores docent: quomodo Syracusanos jam olim a Corinthiis in agonibus publicis, *liberos ac suis legibus declaratos*, tradit in Timoleonte Plutarchus, *(b)* aut alioquin de Lacedæmoniis Polybius *(c)*, tempore pacis ab Antalcide facta, ἐκήρυττον ἀφιέναι τὰς πόλεις ἐλευθέρας καὶ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥΣ. *præcone significarunt, dimittere se civitates liberas & SUIS LEGIBUS.* Id nempe Polybio, ut obiter hoc tangam, aliisque Græcis Scriptoribus Thucydidi, Diodoro, Dionysio, Dioni, Appiano, aliisque familiare, ut quod frequenter una αὐτονομίας voce dicunt, vel αὐτονομεῖν, de ipsis autem urbibus aut populis, qui eo jure agerent, αὐτόνομοι nempe vel αὐτονομούμεναι, id subinde ab iis, ac in antiquis etiam fœderum formulis, dictum legatur, ut paullo ante, νόμοις τοῖς ἰδίοις χρῆσθαι, aut πατρίοις vel ἀρχαίοις ἔθεσι καὶ νόμοις, vel πατρίῳ τρόπῳ ἄρχεσθαι, aut κατὰ τὰ πάτρια· κατὰ τὰ ἴδια νόμιμα· τοῖς

(y) Liv. Lib. XXX. cap. 37. & Polyb. L. XV. pag. 705.

(z) Liv. Lib. XXXIII. c. 22.

(a) Exc. Legat. IX. p. 795.

(b) Pag. 247.

(c) Lib. 4. pag. 297.

ἰδί-

ἰδίοις θεσμοῖς· κατὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους· κατὰ νόμους πολιτεύειν· ἐν αὐτονομίᾳ πολιτεύεσθαι· τοῖς οἰκείοις νόμοις πείθεσθαι· οἰκείοις vel τοῖς ἰδίοις νόμοις χρῆσθαι, vel ut apud Æschylum in Supplicibus, (*d*) Κατὰ νόμους τοὺς οἴκοθεν, ut apud Pausaniam alicubi, (*e*) ἐθῶν τῶν οἴκοθεν, h. e. *propriis uti legibus*; aut *patriis* vel *antiquis consuetudinibus ac legibus*; aut *domesticis legibus obsequi*; aut *patrio more regi*; vel *juxta patria vel propria instituta*; *juxta urbis leges*; *juxta suas leges gubernare*; *suis legibus regi*; *domesticis legibus obsequi, uti*, sive *juxta leges vel consuetudines domo adlatas*.

Græcos equidem tam *Europæos*, quam *Asianos* αὐτονόμους, sive *suis legibus*, ubi ii primum in fidem sunt accepti, a Romanis relictos nemo mirabitur, qui in id Græcos ab omni ævo incredibili contentione incubuisse haud ignorat, ut illud suis legibus vivendi arbitrium, sive, cujus fit toties apud eorum scriptores mentio, αὐτονομίαν, ab iis etiam Regibus vel populis quorum cæteroquin majestatem colere cogebantur, impetrarent. Nempe quomodo pro iisdem Græcis Asianis Rhodiorum legati Romæ in Senatu, teste (*f*) Polybio, deprecantur τυχεῖν ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΣ τοῖς ἅπασιν ἀνθρώποις προσφιλεστάτης, *ut AUTONOMIAM*, sive jus suarum legum, *omnibus hominibus carissimam consequantur*. Nempe juxta illud, quod a Philone (*g*) alicubi observatur, quod in tota Græcia ac inter Barbarorum gentes nulla sit, quæ leges communes habeat una cum alia: Atheniensium instituta a Lacedæmoniis contemni ac vicissim: *omnes denique ab externis legibus sunt aversi*, ξενικῶν νομίμων ἀλλοτριοῦνται. Cujus autem rei rationem hanc reddit juxta (*h*) Strabonem Ephorus, libertatem, & cujus illud suarum legum pars erat, & qua de re paullo post, vel præcipua, inde maximum esse, quod da-

(*d*) Vers. 574.
(*e*) L. IV. p. 268.
(*f*) Exc. Legat. LII. p. 931.
(*g*) De Vita Mosis. L. II. p. 657.
(*h*) Lib. X. p. 480.

ri poteſt urbibus, bonum, quod propria redderet bona iis, qui illa poſſident; quum eorum, qui in ſervitute, hoc eſt ſub alterius imperio agerent, bona eſſent imperantium. Equidem ante Crœſi imperium, Græcos, Aſianos nempe, de quibus ibidem ab eo agitur, omnes liberos exſtitiſſe, obſervat (*) Herodotus: qui nempe, poſt eundem Crœſum a Cyro captum ac debellatum, Perſarum dein jugum ſubierint. Unde de Græcanicis illis Aſiæ, quæ Proconſularis poſtea eſt a Romanis appellata, populis, quique inde ſub Perſarum dominatione agebant, poſt Xerxis cladem a Choro Perſarum, qui eam deflent, apud Æſchylum dicitur: *(i)*

Τοὶ δ' ἀνὰ γᾶν ΑΣΙΑΝ δὴν,
Οὐκ ἔτι ΠΕΡΣΟΝΟΜΟΥΝΤΑΙ,
Οὐκ ἔτι δασμοφοροῦσι
Δεσποσύναισιν ἀνάγκαις.

Equidem per ASIAM terram,
Non amplius LEGIBUS PERSARUM utentur:
Non amplius tributa pendebunt
Dominicis exactionibus.

Quomodo nempe τὸ περσονομεῖν, *Perſarum legibus uti*, & in alio ejuſdem dramatis verſu, *(k)* περσονόμου τιμῆς, *Perſas regentis honoris*, opponuntur vulgatis illis Græcorum τῷ αὐτονομεῖν, ſive αὐτονομουμένων, ut de iis haud uno loco *(l)* Polybius, *(m)* Joſephus, aliique, vulgo αὐτονόμων, *ſuis utentium legibus*: & quibus proinde Tragici verſibus, nihil aliud, niſi quod duabus vocibus αὐτόνομοι deinceps ac ἀτελεῖς ſeu αὐτοτελεῖς, *ſuis legibus* ac *immunes* futuri dicuntur iidem Aſiani, hoc eſt a

(*) Lib. I. cap. 6.
(i) Perſ. v. 586. &c.
(k) Ibid. v. 911.
(l) Exc. Legat. XXV.
(m) Antiq. L. XIV. c.16.

Perſi-

Persarum jugo ac dominatione liberi. Certe Ioniam mox, devictis a Græcis Xerxe ejusque ducibus, a Persis defecisse, docet (*n*) Herodotus. Unde etiam iisdem ferme, seu proximis Artaxerxis Mnemonis, qui hujus Xerxis filius, temporibus Hippocrates, in præclaro de Aere, Locis & Aquis libro, (*o*) notat Asianas gentes, quod magna earum pars, nempe illius, quæ majoris Asiæ nomen obtinuit, *μηδὲ αὐτόνομοι, ἀλλὰ δεσπόζονται, non utuntur suis legibus, sed regiæ dominationi subjacent*, esse imbelles: quicunque vero, ut mox ibidem additur, agunt in Asia (qualis *Asia maritima*, & *μιγάσιν Ἕλλησι βαρβάροις θ' ὁμοῦ, mixtis Græcis ac Barbaris simul* habitata ab (*p*) Euripide pariter dicitur) *Græci ac Barbari μὴ δεσπόζονται, ἀλλ' αὐτόνομοί εἰσι, dominationi regiæ non subjacent, sed vivunt suis legibus*, esse bellicosissimos. Ab eodem certe Artaxerxe pacem cum Atheniensibus eorumque sociis ea conditione factam tradit Diodorus, (*q*) ΑΥΤΟΝΟΜΟΥΣ εἶναι τὰς κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἑλληνίδας πόλεις ἁπάσας, *ut omnes Græcanicæ per Asiam urbes* SUIS LEGIBUS *agerent*. Quod iisdem Asianis urbibus a Tissapherne alterius Artaxerxis, nempe Longimani Satrapa, concessum auctor est in Agesilao Plutarchus (*r*), & qui (*s*) alibi ab eodem Artaxerxe Græcos etiam Europæos αὐτονόμους esse declaratos tradit. Quamquam liberatas illas, quod iisdem augurabatur, ut modo vidimus, Atheniensis Æschylus, a dominatione Persarum, suisque redditas legibus Græcas in Asiæ continenti urbes vel insulas, eodem rursus, paucis aliquot exceptis, legum suarum ac immunitatis a tributis beneficio, ab ipsis dein Atheniensibus privatas, e domesticis & luculentis apud eos testibus liquet. Equidem Atheniensibus militasse, qui e Græcis illis Asianis potissimum constabant *socios*, quos iidem vocabant, seu συμμάχους,

(*n*) Lib. 9. c. 5.
(*o*) Cap. 9.
(*p*) In Bacchis v. 18.
(*q*) Lib. XIV. p. 74.
(*r*) Pag. 600.
(*s*) In Pelopida p. 294.

eos-

eosque, juxta *(t)* Thucydidem, partim ὑπηκόους, sive iisdem *subjectos*, qualis major eorundem sociorum pars, & e Ionia quidem *Samii*, *Milesii*: ex Insulis, *Andrii*, *Teii*, *Carystii*, aliique: partim, ut ait gravissimus idem Auctor, ἐξ συμμαχίας αὐτονόμους, *juxta societatis pacta*, seu *fœdera*, *suis stantes legibus*, quique non tributa persolverent, sed naves subministrarent, sicut *Chii*, *Æoles*, & *Methymnæi*. Ut nunc mittam Lesbios itidem cum Methymnæis *Mytilenæos*, qui se olim αὐτονόμους *(u)* alibi apud eundem Thucydidem prædicant. Id autem in fœdere inter Athenienses & Lacedæmonios cautum quoque, ut hæ postremæ urbes vel insulæ essent αὐτόνομοι, navesque parare ac iis uti esset licitum, observat in Oratione de Pace *(x)* Andocides. Qua ratione etiam factum, ut quum ab Atheniensibus jam ante contenderent Lacedæmonii, ut Græcas illas in Asia urbes αὐτονόμους relinquerent Athenienses, id a summo tum Atheniensium duce Pericle dictum pro concione referat alibi *(y)* Thucydides, eas demum urbes ab iis αὐτονόμους relinquendas, quæ liberæ erant ac αὐτόνομοι, ubi fœdus cum iis factum est. Quæ cæteroquin caussa exstitit, cur eædem Asianæ urbes vel insulæ, libertatem illam ac αὐτονομίαν consequendi studio, frequenter ab Atheniensibus, quod e priscis illis monumentis constat, deficerent. Unde etiam sub sequenti dein Seleucidarum in Asia imperio, in *Smyrnæorum* ac *Magnetum*, ejusdem Asiatici tractus urbium, cum Seleuco Callinico fœdere, in præclaris marmoribus ad hanc usque diem transmisso, illius Regis benevolentiam ac majestatem comiter a duobus illis urbibus cultam iri legimus: ita tamen, ut ibi continuo additur, *(z)* πολιτεύονται δὲ μετὰ Σμυρναίων κατὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους ἀστασιάστως· *gubernantur autem* Magnetes *cum*

(t) Lib. VII. p. 357.
(u) Lib. III. p. 177.
(x) Pag. 275.
(y) Lib. II. p. 97.
(z) Marm. Oxon. p. 9. P. 1.

Smyr-

Smyrnæis, juxta leges eorum patrias, citra ullam dissensionem. jura etiam suarum legum iisdem Græcis, cum Asianis, tum Europæis, a Romanis, confectis, ut jam diximus, cum Philippo, ac dein cum Antiocho bellis, itidem sunt adserta: immo quod inter caussas illati huic Antiocho a Romanis belli, ab (*a*) antiquis Scriptoribus traditur. Hinc inter alia de *Phocæensibus* Asianis a Livio post (*b*) Polybium dicitur: *(c) & ager, quem antea habuerant, relictus, & ut LEGIBUS ANTIQUIS uterentur, permissum:* ac jam ante de iisdem *Phocæensibus* Livius: *(d) urbem agrosque & SUAS LEGES iis restituit*, Prætor nempe Romanorum Æmilius. A Senatu vero petunt ac impetrant Rhodiorum Legati, ut Græci in Asia libertatem ac legum suarum, qua de re paullo ante, arbitrium consequerentur: ac ubi inter alia *Smyrnæi* de quibus modo, dicuntur omnium in Asia civitatum (*e*) τῶν αὐτονομουμένων, *qui suis legibus utuntur*, Romanis fidissimi. Unde alibi de eadem *Smyrna*, *Chio*, præterea *Erythræis*, ob fidem Romanis eo bello præstitam, in omni præcipuo honore habitis, & agro donatis observat rursus juxta Polybium (*) Livius. Quorum itidem *Smyrnæorum* egregia in Romanos merita, in bellis contra Antiochum & Aristonicum enarrantem videas Aristidem in (*f*) oratione de eadem urbe terræ motu collapsa ad Imperatores M. Antoninum & Commodum filium: immo de qua urbe jam antea dixerat Cicero: (*g*) *quæ est fidelissimorum antiquissimorumque sociorum.*

Quomodo etiam devicto ultimo Macedonum Rege Perseo, de *Macedonibus* similiter quamquam jure belli subjectis, a Romanis decretum apud Livium legitur: (*h*) *Omni-*

(*a*) Polyb. L. XVII. p. 769. Liv. L. XXXVII. c. 15. Appian. Syriac. p. 111.
(*b*) Exc. Legat. XXXVI.
(*c*) Lib. XXXVIII. c. 39.
(*d*) Lib. 37. c. 32.
(*e*) Polyb. Exc. Legat. XXV.
(*) Lib. XXXVIII. c. 39.
(*f*) Pag. 295. T. II.
(*g*) Philipp. XI. c. 2.
(*h*) Lib. XLV. c. 29.

um

um primum LIBEROS eſſe jubere Macedonas, habentes urbes eaſdem, agroſque, UTENTES LEGIBUS SUIS, annuos creantes magiſtratus. Adeo ut cum αὐτόνομοι, prout eoſdem de decem legatorum ſententia declaratos tradit *(i)* Plutarchus, tum ſimul αὐτόδικοι conſtituerentur iidem Macedones; quibus nempe cum legum, tum creandi magiſtratus, qui jus iis diceret, libertas relinqueretur: nec proinde δικαιοδότην, ſeu *Juridicum* eam in rem Roma miſſum, cujuſmodi Quirinus Judæorum δικαιοδότης ab Auguſto ablegatus a *(k)* Joſepho dicitur, accipere deinceps tenerentur: ac proinde πολιτείαν καὶ νόμους, quibus utrumque illud privilegium a Græcis ſcriptoribus ſubinde indicari diximus, ſint iidem Macedones conſequuti. Etſi mox imminuta videatur & precaria tantum hæc Macedonum αὐτονομία, dum de eodem illorum victore Paulo Æmilio ait paullo poſt Livius: *(l) LEGES Macedoniæ DEDIT, cum tanta cura, ut non hoſtibus victis, ſed ſociis bene meritis dare videretur; & quas ne uſus quidem longo tempore (qui unus tot LEGUM corrector) experiendo argueret.* Cui accedit de eadem Macedonia Juſtinus: *(m) legeſque, quibus adhuc utitur, a Paulo accepit.* Immo quod firmat itidem *(n)* Polybius, ubi de Theſſalis, quem locum mox indicabimus, αὐτονόμοις itidem loquitur. Quum tamen id de Paulo tradat *(o)* Plutarchus, ab eo in diſceſſu admonitos Macedonas, ut memores agerent datæ ſibi a Romanis libertatis, σώζοντας αὐτὴν δι' εὐνομίας καὶ ὁμονοίας, *eam legum recta adminiſtratione & concordia tuentes.* Quam *libertatem*, non ad integram Macedoniam, ſed ad partem ejus tantum, quæque *libera* inde ſit appellata, poſtea reſtrictam, e Cæſaris ea de re verbis conſtare debet: *(p) cujus Provinciæ,* (Macedoniæ) *ab ea parte, quæ*

(i) In P. Æmilio p. 270.
(k) Antiq. L. XVIII. c. 1.
(l) Lib. XLV. c. 32.
(m) Lib. XXXIII. c. 32.
(n) Lib. IV. p. 338.
(o) In P. Æmilio p. 270.
(p) Bell. Civ. L. III. c. 34.

LI-

LIBERA appellabatur. Nota alioquin, quæ tum ab eodem Æmilio instituta est *Macedonia* in quatuor regiones, juxta *(q)* Livium, divisio; *primam*, & tres sequentes ab eo ibidem commemoratus, quamque comprobant etiamnum veteres nummi, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ, *Macedonum Primæ* inscripti, qualem vel in *(r)* Thesauro Brandenburgico ab eruditissimo Begero nostro nuper vulgato videas; aut in altero, qui hisce adhuc rarior, neque a me adhuc alibi in tot locupletibus Cimeliarchiis, quæ inspicere mihi hactenus licuit, visus; aut ab aliis harum lautitiarum promicondis, quod equidem norim, memoratus, cum epigraphe ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΔΕΥΤΕΡΑΣ, *Macedonum Secundæ*, partis nempe in qua, teste *(s)* Livio, præter alia oppida, Thessalonica exstitit; gentis dein, sed demum sequiori Cæsarum ævo, *(t)* Metropolis. Quem autem singularem nummum, Smyrna cum aliis insignibus nummis & inscriptionibus acceptum, retulit ad me haud ita pridem illustris ac amicissimus Cuperus. Quam indigne autem habiti subinde fuerint a Romanis Rectoribus, pro eorum cupiditate vel sævitia, *liberi* hi & *αὐτόνομοι* Macedones, & quibus, aliisque in eadem conditione constitutis *liberis* populis vel urbibus lege Julia subvenire voluerit J. Cæsar, dicetur paullo infra, *Macedonas* vero non solum, sed *Illyrios* etiam *liberos* seu *αὐτονόμους* itidem a Romanis eo tempore relictos, tradunt Livius, *(u)* item Diodorus *(x)*, ac Joannes Antiochenus *(y)* in Excerptis Constantinianeis. *Galatis* quoque *αὐτονομίαν* a Romanis concessam, modo ne armati ex-

(q) Lib. XLV. c. 29.
(r) Pag. 481.
(s) Lib. XLV. c. 30.
(t) In nummo Saloninæ Gallieni apud Tristan. T. III. p. 111. Adde Anti. L. I. c. XXVI. Ep. 5. Socrat. H. Eccl. L. I. c. 16. Chrysost. ad Philipp. I. c. 16. Ed. Sav. p. 84. T. II. & Acta Conciliorum.
(u) L. XLV. c. 20.
(x) Exc. Legat. p. 317.
(y) Ibid. pag. 790.

tra fines prodirent, auctor est Polybius (z) *Thessalos* autem *liberos*, ac *suis legibus*, juxta reliquos Græcos, a Romanis, devicto Philippo, declaratos, e Polybio (a) ac Livio (b); sive e solemni illius decreti, quo adserti in libertatem Græci, formula itidem constat: & quos cæteroquin *Thessalos*, antiquitus pro *liberis* habitos, vel ex Euripidis Alcestide liquere potest: (c)

> Οὐκ οἶσθα ΘΕΣΣΑΛΟΝ με, κἀπὶ ΘΕΣΣΑΛΟΥ
> Πατρὸς γεγῶτα, γνησίως ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ;

> *An nescis me THESSALUM, & e THESSALO*
> *Patre natum, vere LIBERUM?*

Quamquam de iisdem, ante debellatum a Romanis Philippum, *Thessalis* dicat Polybius, (d) quod *viderentur quidem illi suis legibus vivere*, ἐδόκουν μὲν κατὰ νόμους πολιτεύειν, re ipsa tamen iisdem, quibus Macedones sub eo Rege, essent obnoxii. Post donatos vero a Romanis libertate itidem Thessalos, de iis apud Romanorum Legatos questus traditur Philippus, apud Livium (e), *insolenter & immodice abuti THESSALOS indulgentia populi Romani, veluti ex diutina siti avidos, meram haurientes LIBERTATEM.* Iisdem vero *Thessalis*, imminuta dein eorum libertate, illam denuo a Cæsare datam vel restitutam, quod, ii ab ejus partibus contra Pompeium stetissent, refert Appianus (f).

Bello vero Mithridatico, (g) *Phrygiam* αὐτόνομον a Romanis decretam; & a Sulla in Asia (h) *Ilienses*, *Chios*, *Rhodios*, *Lycios*, *Magnesios*, aliosque populos, ob præstita Romanis auxilia; aut in malorum, quæ pertulerant sola-

(z) Exc. Legat. cap. 11.
(a) Exc. Leg. IX, p. 799.
(b) L. XXXIII. cap. 32.
(c) Alcest. v. 677.
(d) L. IV. p. 338.
(e) Liv. L. XXXIX. c. 26.
(f) Bell. Civ. L. II. p. 482.
(g) Idem Mithridat. p. 208.
(h) Ibidem p. 250.

tium,

tium, liberos quoque declaratos, auctor est rursus Appianus. Quomodo *Thermessos* etiam Pisidas, eadem de caussa, *IMMUNES OMNIBUS SUIS LEGIBUS* a Romanis constitutos, fidem adhuc facit solemne, quod ea de re legitur, quodque primus in lucem emisit Sigonius (*i*), plebiscitum. *Graecanicis* vero in Asia *urbibus*, quae non ad Mithridatem solum defecerant, sed a quibus ejus jussu tot civium Romanorum millia crudeliter fuerant uno puncto temporis, sicut de hac insigni clade & perfidia loquitur alicubi Tullius (*k*) interempta, praeter quinquennalis tributi, cujus Appianus meminit (*l*), seu viginti millium, teste Plutarcho (*m*), talentorum multam, eam, qua illae hactenus populi Romani, ut antea vidimus, beneficio, gavisae fuerant, libertatem ac αὐτονομίαν, merito quoque a Romanis tum ademptam, licet ex iis, quae de afflictis haud uno calamitatis genere iisdem civitatibus, aliis vero, quae in fide populi Romani manserant, recreatis, a Plutarcho in Sulla (*n*), & a Memnone apud Photium dicitur (*o*). Quod e Cicerone praeterea liceret colligere. Is enim *liberae* (*p*) in eadem Asia *urbis*, *Apollonidos* nempe, ac ad aliarum proinde eo in tractu, de quibus ibi agebatur, discrimen (tantum enim triginta stadiis, juxta Strabonem (*q*), a *Pergamo*, ac totidem a *Sardibus* erat dissita) nominatim meminit; & cujus incolas mox vocat (*r*) *amantissimos populi Rom. fidelissimosque socios*, qui scilicet cum reliquis Asiaticis urbibus ad Mithridatem non defecerant. addit vero: (*s*) *Verum esto negotiari libet: cur non Pergami, Smyrnae, Trallibus? ubi & multi cives Romani sunt, & JUS A NOS-*

(*i*) De Ant. Jur. Prov. L. I. c. 10. Grut. Thes. D.
(*k*) Pro Flacc. cap. 60.
(*l*) Mithridat. pag. 213.
(*m*) In Sulla pag. 367.
(*n*) Ibid. & pag. 468.
(*o*) Cod. CCXXIV. c. 37.
(*p*) Pro Flacco c. 70.
(*q*) L. XIII. p. 625.
(*r*) Pro Flacco c. 71.
(*s*) Ibidem.

TRO MAGISTRATU dicitur. Pergamenorum certe & *Trallianorum*, inter alias illius Asiæ urbes, uti & *Ephesiorum*, *Adramyttenorum*, *Caunicorum*, quæ fide, omnique hospitii ac humanitatis jure violatis, se nefandis illis Romanorum civium cædibus polluerunt, facta expressa in narratione hujus rei apud Appianum mentio (t): ac prout inter alia, bello Mithridatico male acceptam fuisse a Romanis urbem *Adramyttium* tradit Strabo (u). *Mytilenæorum* insignem etiam in Romanos perfidiam, qui vinctos Romanorum Prætores aliosque Mithridati tradiderunt, tangunt Velleius (x), & Diodorus in Excerptis Valesianis (y). Missos quidem, finito illo bello Romam ab hisce Asianis urbibus legatos, qui pro iisdem veniam a Senatu impetrarent, ex eodem Geographo docemur, qui de Xenocle, insigni oratore Adramytteno, ait: (z) Εἰρηκὼς ὑπὲρ τῆς Ἀσίας ἐπὶ τῆς συγκλήτου, καθ' ὃν χρόνον αἰτίαν εἶχε Μιθριδατισμοῦ. *Isque pro Asia ad Senatum oravit, quo tempore ea Mithridatis partibus favisse fuit insimulata.* Μιθριδατισμὸς nempe ibi, prout apud Græcos Oratores, Μηδισμὸς, Μηδίζειν, Φιλιππίζειν, Μακεδονίζειν, *Medorum* seu *Persarum*, vel *Philippi* aut *Macedonum partibus favere.* Libertatem autem seu αὐτονομίαν recuperasse postea easdem Asiæ urbes, liceret alioquin ex eodem Cicerone statuere; dum de illa Proconsulari Asia, in Epistola ad Quintum fratrem, tum ejusdem provinciæ Rectorem, ait, constare eam provinciam, (a) *primum e genere Sociorum, deinde ex eo genere civium* Romanorum, qui aut publicani, aut negotiatores forent. Quo referri etiam possunt, quæ de singulari Luculli primum, Sullæ successoris; ac dein Pompeii, cui cessit confecti belli Mithridatici gloria, in erigendis, recreandis, constituendisve iis-

(t) Mithridat. p. 185. & 212.
(u) L. XIII. p. 614.
(x) L. II. c. 18.
(y) Pag. 401.
(z) L. XIII. p. 614.
(a) Ad Q. fratrem L. I. Epist. 1.

dem

dem illis adflictis & oppressis Asiæ urbibus studio, & quidem datis aut redditis legibus, quibus eæ deinceps uterentur, & qua de re paullo infra, a Plutarcho *(b)* & a Dione traditur *(c)*. Ita *Mytilenæis*, olim quidem, ut ii de se apud Thucydidem prædicant *(d)* αὐτονόμοις, post insignem eorum Mithridatico bello perfidiam, libertatem in unius liberti Theophanis gratiam a Pompeio denuo restitutam, tradunt Velleius *(e)* & Plutarchus *(f)*. Ne jam eas tangam in eadem Asia urbes, quibus quod ad Mithridatem non defecerant, pristina jura libertatis vel αὐτονομίας non fuisse adempta, satis constat. Hinc *liberi* apud Ciceronem *(g)*, ut de iis paullo ante, *Apollonidenses*; & de *Magnetibus*, qui summa virtute, ut de iis Florus in Livii Epitome *(h)*, se adversus Mithridatem defenderant, a Sulla remuneratis, Tacitus *(i)* *Proximo Magnetes L. Scipionis & L. SULLÆ CONSTITUTIS nitebantur: quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis, fidem atque virtutem MAGNETUM DECORAVERE.* Hinc eadem sub Sipylo Magnesia *LIBERA urbs a Romanis judicata*, ΕΛΕΥΘΕΡΑ πόλις ὑπὸ Ῥωμαίων κεκριμένη a *(k)* Strabone dicitur. Ita *Cyzicenos libertatem* eodem bello Mithridatico meruisse, præter Appianum, *(l)* Strabo *(m)* & Tranquillus *(n)* docent. *Atheniensibus* vero, quibus antea in fidem receptis, Romanos patrias leges ac libertatem conservasse, observat Strabo *(o)*: idem beneficium, post suam ad Mithridatem defectionem, impetrata venia, a Sulla denuo adsertum, auctor ibidem Geographus: ac Plutarchus nominatim *(p)*, quod Sulla liberam illam urbem ac

(b) In Lucullo p. 506.
(c) L. XXXVII. p. 36.
(d) L. III. p. 177.
(e) L. II. c. 8.
(f) In Pompeio p. 649.
(g) Pro Flacco c. 70.
(h) L. LXXXI.
(i) Annal. III. c. 62.
(k) Lib. XIII. c. 621.
(l) Mithridat. p. 222.
(m) L. XII. p. 576.
(n) In Tiberio c. 37.
(o) L. IX. p. 198.
(p) In Sulla p. 478.

αὐ-

αὐτονόμων reliquerit. Quod tamen paullo aliter ab Appiano, ubi ejus rei meminit, traditur: *(q)* Νόμους ἔθηκεν ἅπασιν ἀγχοῦ τῶν πρόσθεν αὐτοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων ὁρισθέντων. *Legesque omnibus* Atheniensibus *dedit Sulla, easdem ferme, quae prius a Romanis fuerant decretae.* Quibus autem Atheniensibus veniam quoque, quod pro Pompeio stetissent, a Caesare postea concessam, auctor alibi Appianus *(r)*. Ab ipso vero Pompeio, confecto tandem bello Mithridatico, ac Oriente & reliqua Asia felici victoriarum cursu peragratis, e devictis vel subactis ab eo gentibus, alias eum reliquisse liberas ac *suis legibus*, sive, ut ibi dicitur, ἔθνη αὐτόνομα· alias Regibus, Dynastis, ac Tetrarchis adtribuisse; alias redegisse in formam provinciae; idem Appianus refert. Sed qua de re paullo accuratius erit nunc agendum.

(q) Mithridat. p. 196.
(r) Bell. Civ. L. II. p. 482.

CAPUT

CAPUT X.

De divisione imperii Romani in liberos populos *vel* civitates, regna, & provincias, *e Romanorum rerum Auctoribus, vel juxta Græcos, in* τὸ ἔνσπονδον, aut φίλους vel συμμάχους· & τὸ ὑπήκοον, καὶ ἀρχόμενον. *De* regnorum *ſeu* Regum *ſub Romanis conditione, obiter : Taciti, Strabonis, Livii, Joſephi, D. Johannis, & Scævolæ J. C. loca ea de re adducta. De* liberis populis *vel* civitatibus, *ſub iiſdem Romanis : Livii locus illuſtratus.* Fœderati *qui proprie dicti, & de impari fœdere, quo illi vulgo Romanis illigati. Iidem de* liberis *ſive* αὐτονόμοις *populis, vel civitatibus dicti. Proculi J. C. in Pandectis ea de re locus adductus & explicatus. De formula, juxta quam* majeſtatem Pop. Romani comiter conſervare *tenerentur iidem* liberi *vel* fœderati; *eaque jam inter Græcanicas urbes & Reges Selecidas uſurpata. Scævolæ J. C. ea de re locus illuſtratus. Qua ratione* ſuperiorem *Pop. Romanum* agnoſcerent liberi *ac* fœderati. *Exempla eam in rem e Romanorum fœderibus cum Latinis, Campanis, Apulis, Carthaginienſibus, Re-*

Regibus, Dynastis, ipsis Regum Regibus Arsa-cidis, adducta. Quid statuendum sit de liberi populi *data a Proculo J. C. definitione, & an* potestati *Pop. Romani iidem populi* liberi & fœderati *essent exempti? De restricta eadem suarum legum concessa liberis urbibus vel populis* libertate. De præfectis *earundem urbium; & de* tributis *ac* vectigalibus, *quæ eædem & Re-ges etiam exteri penderent Romanis. De im-*munitate a tributis, *sequentibus Imperatorum constitutionibus imminuta, vel adempta; ac pro-inde* restricto Juris Italici *ad urbem Constan-tinopolim privilegio.* De discrimine *tamen in-*ter stipendiarias, & liberas, *vel* αὐτονόμους ac tributarias *civitates. De* Autonomia *præci-puo* liberorum *populorum jure, ac inde pro-miscuo usu apud Græcos vocum* ἐλευθέρους ac αὐτονόμους. *Istud, ac nominatim* αὐτονόμους pro ἐλευθέρους, *aliis e-tiam in rebus usurpati, e Sophocle, Xe-nophonte, Diodoro, & Gregorio Nazianzeno illustratum.*

EQuidem ex iis, quæ hactenus adtigimus, facile licet adsequi, quomodo nota jam fuerit, ante confectum a Pompeio bellum Mithridaticum, illa Romani imperii in tres partes, quæ apud Romanarum rerum Auc-

tores

tores subinde occurrit, divisio: in *regna* nempe; *liberas civitates* vel *liberos populos*; ac *provincias*, sive juxta Græcos, qui res Romanas pertractarunt, scriptores, (*a*) ἐς τὸ ἔνσπονδον, vel (*b*) ἐς φίλȣς aut συμμάχȣς· καὶ (*c*) ἐς τὸ ὑπήκοον vel (*d*) ἀρχόμενον, vel etiam (*e*) δȣ́λȣς· in *fœderatos* nempe, vel *amicos* & *socios*: ac in *subjectos*, & in *ditione* Populi Romani, vel *inservientes* etiam quandoque dictos. Eam certe Romani orbis in *urbes liberas*, *regna*, & *provincias* divisionem, non inde, ut modo diximus, a Pompeio; minus autem ab Augusto, in cujus rebus fit de ea apud (*f*) Strabonem ac (*g*) Dionem mentio, sed jam ante locum habuisse, præter adducta luculenta ejus rei & vetustiora exempla, vel e Cicerone constare potest, a quo in Verrinis, ante demandatam proinde Pompeio belli Mithridatici provinciam dicitur, & dum illud a Lucullo, ut ipse Tullius id in iis tangit, gereretur: (*h*) *jam omnes provincias, jam omnia regna, jam omnes liberas civitates*: alibi: (*i*) *lugent omnes provinciæ; queruntur omnes liberi populi; regna denique jam omnia.* Adde eundem pro Deiotaro, sed J. Cæsare jam rerum potiente, (*k*) *omnes Reges quorum multi erant finitimi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes provincias*; ubi *liberi* ac *socii*, qua de re postea, distinguuntur. Quomodo apud Sallustium legitur: (*l*) *Reges & populos liberos, paucis nobilibus vectigal pendere*, missa nempe ibi provinciarum, quæ Populi Romani vectigales erant ac stipendiariæ, mentione: apud Suetonium

(*a*) Dio Lib. LIV. p. 526.
(*b*) Idem L. XXXVII. p. 36. & LIII. p. 513. Herodian. L. II. c. 13.
(*c*) Herodianus ibidem.
(*d*) Aristid. Orat. in Romam p. 313.
(*e*) Josephus Antiq. L. XIV. c. 4. p. 351. Dio L. LIV. p. 525. & L. LX.
(*f*) Lib. XVII. p. 830.
(*g*) Lib. LIII. p. 504.
(*h*) In Verrem V. c. 65.
(*i*) In Verrem III. c. 89.
(*k*) Cap. 5.
(*l*) Bell. Jugurth.

vero in Veſpaſiano, verum adulto jam Cæſarum imperio; *(m) ſed & provinciæ civitateſque liberæ, nec non & regna quondam tumultuoſius inter ſe agebant.*

De *Regnis* equidem ſive *Regibus* qui *ſocii* atque *amici* Populi Romani appellari meruerant, immo ipſum Regium nomen ab eo, ſive a Senatu, conſequi, jam non agimus; & quos alioquin *(n) inſervientium Regum* nomine citra ambages deſignat, ut notum, Annalium ſcriptor: alibi: (o) *vetere, & jam pridem recepta Populi Romani conſuetudine, ut haberet inſtrumenta ſervitutis & Reges*: & quomodo ὑπηκόων ὄντων, quod vere *ſubjecti eſſent* Romanis iidem Reges de iis ait *(*)* Strabo. Eoſdem certe Reges, qui ſemet in Pop. Romani fidem & clientelam, vel ſponte, vel vi, aut metu adacti dederant, Romanis exercituum Ducibus vel Legatis, aut vicinarum iiſdem Regnis provinciarum Rectoribus fuiſſe obnoxios, ex priſca Annalium & Hiſtoricorum fide ſat conſtat. Unde etiam Antiochi Epiphanis, Syriæ Regis, legatis, Romæ in Senatu referentibus, *(p) eum haud ſecus, quam Deorum imperio, legatorum Romanorum juſſu paruiſſe*, ab Senatu reſponſum refert *(q)* Livius: *Antiochum recte atque ordine feciſſe, quod legatis paruiſſet.* Qua ratione etiam factum, inſigni inſuper ejus rei, ac proinde memorando hic obiter exemplo; ut quinque ſimul, quos paullo ante enumeraverat, Regibus, Commagenes nempe, Emiſenorum, minoris Armeniæ, Ponti Polemoniaci, & Chalcidos, juſſiſſe Syriæ Præſidem Marſum, ut ii ſine mora diſcederent, tradat alicubi *(r)* Joſephus. Ut mittam & quod *(ſ)* alibi refert idem recutitus, illud Auguſti, in ſuis ad

(m) In Veſpaſ. c. 8.
(n) Hiſtor. II. c. 81.
(o) In Agricola c. 14.
(*) Lib. VI. p. 198.
(p) Lib. XLV. c. 13.
(q) Ibidem.
(r) Antiq. L. XIX. c. VIII. p. 678.
(ſ) Ibid. L. XVI. c. XV. p. 572.

Hero-

Herodem Judæorum Regem, literis ſuperbum & imperioſum, *eo hactenus uſum ſe amico, uſurum deinceps ut ſubdito*, ὅτι πάλαι χρώμενος αὐτῷ φίλῳ, νῦν ὑπηκόῳ χρήσεται. Adde tres ſimul Aſiæ ac Ægypti Reges, Eumenem, Antiochum, & Ptolemæum, de ſe apud Livium; (*t*) *pollicitoſque omnia, quæ Populus Romanus imperaſſet, præſtitutos*: & quod de Rege Deiotaro ait Cicero: eum eſſe: (*u*) *qui Senatui parere didiciſſet*. Ut proinde Roma haud immerito dicatur a Divo Johanne: (*x*) ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς, *habens regnum*, ſive *imperium in Reges terræ*. Hinc etiam paſſim (*y*) *accepti*, vel *recepti in fidem*; (*z*) aut *in Populi Romani fide permanere* dicti apud rerum Romanarum Auctores, iidem Reges; adde etiam *fideles*, ut dictus paullo ante Rex Antiochus apud Livium: (*a*) *imperaretque ſibi Populus Romanus, quæ bonæ FIDELIQUE ſocio eſſent imperanda*. Unde illud Romani Senatus ad Ptolemæi Regis Ægypti reſponſum alibi apud eundem Livium: (*b*) *regnique ejus opes ſcire ſubſidia firma & FIDELIA ſuæ Reipublicæ eſſe*. Adeo equidem ut Scævola, quod præterea obſervo, & in (*c*) Digeſtis legitur, majeſtatis teneri dicat lege Julia: *cujus dolo malo factum erit, quo REX EXTERNÆ NATIONIS POPULO ROMANO MINUS OBTEMPERARET*.

Alteram vero claſſem quod adtinet eorum, e quibus conſtabat præterea Romanum imperium, *liberas* nempe *civitates*, ſeu *liberos populos*, prout haud uno loco de iis loquentem paullo ante vidimus Ciceronem, & quibus adnumerandi continuo veniunt, *ſuis utentes legibus* ſive

(*t*) Lib. XLII. c. 26.
(*u*) Pro Deiotaro c. 5.
(*x*) Revelat. C. XVII. v. 18.
(*y*) Auctor Bell. Alexandr. c. LXV.
(*z*) Ibid. c. XXIII. Liv. L. XLII. c. 26.
(*a*) Ibid. cap. 6.
(*b*) Leg. IV. D. Ad Leg. Jul. Majeſt.
(*c*) Leg. VII. Sect. XV. D. de Captiv.

Αὐτόνομοι urbes, vel populi, horum equidem haud obſcura facta jam eſt a nobis mentio. Dicti vero etiam illi ſæpenumero Romanorum *ſocii* & *fœderati*, etſi ut diverſi iidem, *liberi* nempe ac *fœderati* cum alibi, tum in celebri Proculi J. C. qui exſtat in Pandectis loco commemorentur, eaque de re egerit in *(d)* præclaro opere Cujacius. *Liberæ* nempe gentes vel civitates a Romanis dictæ, quæ vel bello victæ, vel eorum opera alienæ dominationis, cui eædem antea ſubjacebant, jugo exemptæ; aut ob aliquod earum meritum in Populum Romanum: vel ob cognationem, ſicut *(e) Ilienſes*, ſuarum legum, patrii magiſtratus, regionis etiam ſive agrorum libertatem, quæ ſingula tribus hiſce vocibus ſubinde complectuntur Græci Auctores, νόμους, πολιτείαν vel πολίτευμα, & χώραν, a Romanis conſequebantur. Prioris utique facti, ſive victæ gentis vel urbis, cui hæc tria ſint a Romanis conceſſa vel relicta, obvia utique exempla ſuppeditant cum Latii primum vel Italiæ, & de quibus jam in ſuperiori Exercitatione egimus, municipia; quorum incolas, etſi cives Romanos, *legibus ſuis & ſuo jure utentes* tradit *(f)* Gellius: tum memorati paullo ante *Carthaginienſes*, *Macedones*, *Illyrii*, *Theſſali*, *Sardiniæ* populi, aliique, ac plures, de quibus adhuc dicetur. Ejuſdem vero juris vel libertatis, qua macti ſimiliter fuerint a Romanis alterius generis gentes vel civitates, liberati nempe ab aliorum qui eam ſibi arrogaverant, dominatione; aut ob eorum erga Populum Romanum merita, fidem utique faciunt adducti itidem *Græci*, iique poſt debellatos Philippum, penultimum Macedonum Regem, & Antiochum Magnum, tam *Aſiani*, quam *Europæi*; aut *Thermitani* Siculi; *Tarſenſes*, aliæque, quæ commemorandæ adhuc venient, gentes vel civitates. Qua ratione proinde id eſt a Romanis comproba-

(d) Obſerv. L. XXVII. c 33.
(e) Vid. Liv. L. XXXVIII. c. 39.
(f) Lib. XIV. c. 13.

tum,

tum, quod de iis ait alicubi *(g)* Dio Chryſoſtomus, non ita adfectos eſſe Romanos, ut neminem ſub ſe non perferant liberum. Unde illa unius e primoribus Chalcidenſium ad Ætolos verba apud Livium : *(h) nullam enim CIVITATEM ſe IN GRÆCIA noſſe; quæ aut præfectum habeat, aut ſtipendium Romanis pendat, aut fœdere iniquo alligata, quas NOLIT, LEGES PATIATUR : itaque Chalcidenſes, neque vindice ullo LIBERTATIS egere, cum LIBERI ſint : neque præſidio, cum pacem ejuſdem populi Romani beneficio, & LIBERTATEM habeant.* Quod vero *liberæ*, neque *fœdere iniquo* Romanis *alligatæ* Græcorum urbes ibi dicuntur, de eo mox videbitur. *Fœderati* equidem ii proprie dicti, qui, quod de iis ait *(i)* Procopius, & *(k)* monuit jam ὁ πάνυ Cujacius, non bello victi, ſed ultro ac pari jure & conditione, ſe ad Rempublicam Romanam adjunxere; quodque nomen poſtea ad alios ſit extenſum. Unde cum *fœderati*, tum *ſocii* ac *amici*, ſive τὸ ἔνσπονδον, ὑπόσπονδον, φίλοι, σύμμαχοι, a Græcis Romaniſque dicti continuo id genus Reges vel Populi, aut etiam *Fratres*, ſicut inter Gallos *(l)* Ædui; qui nempe fœderis lege in Romanorum amicitiam ac ſocietatem ultro, vel invitati, aut pretio quandoque eandem pacti, ac in fidem, uti cum iiſdem actum, venerant. Cujus autem fœderis vel ſocietatis leges, quod apud Auctores rerum Romanarum obvium, æreis tabulis inciſæ, in Capitolio, aliiſve ſubinde ſacris Ædibus, ad perpetuam ejus rei memoriam, ut de inita Judæorum & Romanorum ſocietate obſervat *(m)* Joſephus, recondi conſueverant. Priori autem jure & conditione, ut æquo ſcilicet fœdere cum Romanis paciſcerentur populi vel Reges exteri, mentio quidem ſubinde

(g) Orat. XXXI. p. 244.
(h) Lib. XXXV. c. 46.
(i) Bell. Vandal. L. V. c. 11. p. 204.
(k) Obſerv. L. XXVII. c. 33.
(l) Cæſar Bell. Gall. L. I. c. 33. & Eumen. Pærug. Flavienſ.
(m) Antiq. L. XII. c. 17.

occur-

occurrit apud rerum Romanarum ſcriptores, ſed in ſpeciem magis ea fœderis lex vel conditio ſubinde appellata, quam ut talis revera exſtiterit. Hinc, ſed poſt Cannenſem cladem, ſociis miſerabilis, ſuperbis autem & infidis Campanis ſpernendi, juxta Livium, Conſulis ad eorum legatos verba: (*n*) *Adjicite ad hæc quod FOEDUS ÆQUUM deditis, quod LEGES VESTRAS, quod ad extremum (id quod ante Cannenſem cladem maximum fuit) CIVITATEM NOSTRAM magnæ parti veſtrum dedimus communicavimuſque vobiſcum.* Iidem tamen Campani, ſe non tanquam ſecundis eorum rebus, *EX ÆQUO veniſſe in amicitiam* Romanorum, ſed tanquam *ſubjectos* & *dedititios* apud eundem (*o*) Livium, profeſſi pridem ante fuerant; & inde eorum poſtea ad Latinos *defectionis*, qui nempe (*p*) *non fœdere, ſed per deditionem in fidem veniſſent*, & (*q*) agro ideo a Romanis multati, facta quoque ab illo mentio. In prioribus equidem, quæ inter Romanos & Carthaginienſes, ſub primis Conſulibus, Junio Bruto & M. Horatio, aliiſque adhuc ante bellum Siculum, quæque a (*r*) Polybio commemorantur, inita ſunt, fœderibus, æquis adhuc inter utrumque populum pacis conditionibus eadem ſancita licet continuo adſequi. Ibi enim & navigationis utrique populo terminus ſtatuitur; iiſque, quæ in alterutrius gentis ditione cenſebantur, populis, ut nempe utrinque ab iis abſtinerent, uti etiam ab eorum ſociis; deque mutuis inter ſe auxiliis, ex æquo conſulitur. Quod factum itidem videas, ut alia nunc mittam in primo, quod Judæis, & de quo paullo ante, cum Romanis percuſſum legitur apud (*ſ*) Joſephum fœdere. Diſpar vero ratio continuo exſtitit illius, quod finito bello Siculo, ac primo dein Punico bello, initum eſt inter

(*n*) Lib. XXIII. c. 5.
(*o*) Lib. VII. c. 30.
(*p*) Lib. VIII. c. 2.
(*q*) Ibidem c. 11.
(*r*) Lib. III. c. 22. 23. &c.
(*ſ*) Antiq. L. XII. c. 17.

Roma-

Romanos & Carthaginienſes (ut de altero poſt bellum Punicum ſecundum) fœderis; quo, aliis quippe conditionibus quas memorat itidem (t) Polybius, quæ imparis omnino ſive iniqui inter eos fœderis vim obtinebant, *petentibus Carthaginienſibus*, quod in (u) Epitome Liviana dicitur, *pax eſt a Romanis data.* Ita de Romanorum cum Apulis fœdere idem Livius: (x) *Theates quoque Apuli ad novos Conſules, C. Junium Bubulcum, Q. Æmilium Barbulam, fædus petitum venere, pacis per omnem Apuliam præſtandæ populo Romano auctores, iis audacter ſpondendo impetravere; ut fædus daretur: neque EX ÆQUO tamen FOEDERE, ſed ut in ditione populi Romani eſſent.* Imparis autem, ſeu iniqui id genus fœderis, quo Græcorum, aliorumque ſociorum vel fœderatorum civitates Romanis erant alligatæ, (quamquam aliter ea de re, & Græcos quidem quod adtinet, adductis jam ante apud Livium verbis præ ſe ferrent Chalcidenſes, nempe *nullam ſe in Græcia civitatem noſſe quæ* (inter alia) *Romanis FOEDERE INIQUO alligata)* obvia occurrunt paſſim ac nota in priſcis monumentis ac apud Romanæ hiſtoriæ conditores, qui id abunde adſtruunt exempla. Immo non cum Regulis ſolum vel Dynaſtis, ſed cum Regibus etiam majorum gentium ipſiſque Regum Regibus Arſacidis, non ex æquo fœdere in amicitiam ac ſocietatem coiiſſe Populum Romanum liquet. Hinc de iiſdem Arſacidis Strabo: (y) ΠΑΡΘΥΑΙΟΙ ἢ ὅμοιοί τε ὄντες καὶ μέγιστον δυνάμενοι, τοσοῦτον ὅμως ἐνέδοσαν πρὸς τὴν Ῥωμαίων καὶ τῶν καθ' ἡμᾶς γινομένων ΥΠΕΡΟΧΗΝ, *PARTHI autem quamquam par eſſet iis & maxima potentia, tantum tamen ROMANORUM noſtrorumque imperatorum PRÆEMINENTIÆ detulerunt;* ac deinde, de ipſo Parthorum Rege Phraate, καὶ παίδων παῖδας ἐξομηρευσάμενος ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΩΣ τὴν φιλίαν, *& filiis filiorum obſidibus miſſis, Ro-*

(t) Lib. III. c. 27.
(u) Epit. XIX.
(x) Lib. IX. c. 20.
(y) Lib. VI. p. 198.

mano-

manorum amicitiam REVERENTER coluit. Neque aliter Romanorum duces apud Tacitum: (z) *Vologesem regem nuntiis monebant, pacem quam bellum mallet; datisque obsidibus, SOLITAM prioribus REVERENTIAM in populum Romanum continuaret.* Quo loco illud (*) Livii de imperatis similiter a Romanis, quos Rex Macedonum Philippus iis dare tenerentur, obsidibus, præteriri non debet: *non tam in pignus fidei OBSIDES desiderati erant quam ut appareret sociis, NEQUAQUAM EX DIGNITATE PARI congredi Regem cum legatis.*

Quorum autem fœderum, ac initæ cum Romanis societatis, ea fuit potissimum ratio, ut qui cæteroquin in fide populi Romani censerentur populi vel civitates, legum suarum libertatem, patrium magistratum, & agros præterea suos retinerent iidem socii vel fœderati. Ita *fœderati* dicuntur apud (a) Dionem, *patriis utentes institutis*, nempe πατρίῳ σφίσι τρόπῳ, populi & quod Augustus urbium *quasdem fœderatas libertate privavit*, apud (b) Suetonium, & apud Plinium juniorem ad Trajanum: (c) *Amisenorum civitas LIBERA & FOEDERATA, beneficio indulgentiæ tuæ, LEGIBUS SUIS UTITUR.* Unde etiam ab eodem, de quo modo Dione Cocceiano, Romanum imperium, quod paullo ante & obiter diximus, in duo genera demum distinguebatur, (d) τὸ ἔνσπονδον, καὶ τὸ ὑπήκοον, in *fœderatos & subjectos*: ab aliis, ut ab (e) Herodiano, in ἔθνη ὑπήκοα, καὶ φίλα, *in nationes subjectas & amicas*; ac in libello seu breviario Augusti, *in quo opes publicæ*, ut de eo (f) Tacitus, *continebantur: quantum CIVIUM SOCIORUMQUE in armis, quot classes, REGNA, PROVINCIÆ, tributa, aut vectigalia:* atque ita apud Ciceronem, aliosque illius & proximi ævi scriptores, per *socios* & *provincias* sit frequenter designata Romani imperii amplitudo. Qua pro-

(z) Annal. XIII. c. 9.
(*) Lib. XLII. c. 29.
(a) Lib. LIV. p. 526.
(b) In Augusto c. 47.
(c) Lib. X. Epist. 97.
(d) Lib. LIII. p. 504.
(e) Lib. II. c. 13.
(f) Annal. I. c. 11.

proinde generali *fœderatorum*, vel *ſociorum* etiam appellatione *liberas civitates, liberoſve populos*, iis aliiſque veterum id genus Auctorum locis contineri quivis videt. Unde etiam lux nonnulla accedit memoratis ſupra & vulgo notis Proculi J. C. in (g) libris juris Romanorum civilis ea de re verbis; in quibus nempe *liberi* ac *fœderati* continuo, ut in pari jure & conditione, conjunguntur: *non dubito quin FOEDERATI & LIBERI nobis externi ſint:* dein: *etenim quid inter nos atque eos poſtliminii opus eſt, cum & illi apud nos & LIBERTATEM SUAM, & dominium rerum ſuarum æque atque apud ſe retineant, & eadem nobis apud eos contingant.* Quod firmant adhuc ſequentia: *LIBER autem POPULUS is eſt, qui nullius alterius poteſtati ſubjectus eſt; ſive is FOEDERATUS eſt; item ſive ÆQUO FOEDERE in amicitiam venit: ſive FOEDERE comprebenſum eſt, ut is populus alterius majeſtatem comiter conſervaret.* Cujus autem poſtremæ conditionis eam continuo rationem ſubdit: *Hoc enim adjicitur: ut intelligatur alterum populum SUPERIOREM eſſe, non ut intelligatur alterum non eſſe LIBERUM.* Quod inſuper eo illuſtrat exemplo: *quemadmodum clientes noſtros intelligimus LIBEROS eſſe, etiam ſi neque auctoritate, neque dignitate, neque viribus nobis pares ſint:* (ita enim corrupta manifeſto poſtrema ibi verba, emendant viri docti) *ſic eos, qui majeſtatem noſtram comiter conſervare debent, LIBEROS eſſe intelligendum eſt.* Quæ autem ſingula tam de iis qui *liberi*, quam qui *fœderati* & poſtremi quidem generis, ibidem vocantur, dici ex æquo conſtat: quum utriſque certe incumberet *majeſtatem* Populi Romani *comiter conſervare*, eumque *ſuperiorem* omnino agnoſcere. Hinc illud in fœdere inter Ætolos olim ac Romanos ſimiliter cautum docebit Polybius; *(h)* ὁ δῆμος τῶν Αἰτωλῶν ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΔΥΝΑΣΤΕΙΑΝ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων ΑΔΟΛΩΣ ΤΗΡΕΙΤΩ. *Gens Ætolorum IMPE-*

(g) Leg. VII. D. de Captiv. (h) Exc. Legat. XXVIII.

RIUM MAJESTATEMQUE Populi Romani ABSQUE DOLO MALO CONSERVATO. Quod receptum jam olim inter Græcanicas Asiæ urbes & Reges Seleucidas, ut inde id videatur cum Romanis quoque deinceps observatum, liquere potest e fœdere Smyrnæorum & Magnetum cum Rege Seleuco Callinico, quod exstat in Marmoribus Oxoniensibus sive Arundellianis, *ubi se ad majestatem Callinici Regis tutius conservandam* obstringunt similiter dicti modo Smyrnæi & Magnetes. Cujus equidem rei, sive conservandæ a fœderatis Regibus vel nationibus Populi Romani majestatis ea ratio est ab iisdem Romanis habita, ut etiam majestatis tenerentur, juxta *(i)* Scævolam J.C. quod paullo ante vidimus, cujus *DOLO MALO* (non proinde ἀδόλως, ut in adducto Romanorum ac Ætolorum fœdere) *factum erat, ut Rex externæ nationis Pop. Romano minus obtemperaret.*

Adeo ut vel ex iis, si non aliunde, sat constaret, quod *superiorem* utique, prout a Proculo additur, Pop. Romanum *agnoscerent liberi* iidem populi. Id equidem abunde liquet, non eam solum fuisse, antiquissimi inter Romanos ac Latinos fœderis conditionem, de quo Livius, *(k) in eo fœdere SUPERIOR Romana res erat*; sed omnium aliorum ferme fœderum, quæ iidem Romani, ut paullo ante diximus, iniverunt deinceps cum exteris Nationibus vel Regibus, maxime ubi crevit res Romana, illiusque populi reverentia ac metu paulatim vicini & procul etiam positæ nationes Regesque tenerentur. Cujus autem rei, sive illius discriminis, quo *inferior* populus, sicut Rhodii, sui juris libertatem sub Romanis retinebant, rationem tangit & explicat in *(l)* Rhodiaca Dio Prusæensis. Unde quod in genere de Romani imperii, sub prioribus magistratibus ac Imperatoribus, administratione dicit in Officiis Tullius: *(m) illud PATROCINIUM orbis terræ verius, quam Romæ IMPERIUM poterat nominari,* ex iis, quæ a Rhodio-

(i) Leg. IV. D. Ad Leg. Jul. Maj.
(k) Lib. I. c. 52.
(l) Orat. XXXV. c. 571.
(m) Lib. II. c. 8.

rum

rum legatis Romæ in Senatu de Græcis Asianis, jam ante, ut observo, dicta fuerant liquidius intelligitur: (n) *hoc PATROCINIUM receptæ in fidem & clientelam vestram universæ gentis perpetuum vos præstare decet.* Hujus autem *patrocinii*, hoc est receptæ, quod ibi dicitur, in fidem & clientelam gentis vel urbis ea fuit ratio, quam luculenter tradit & explicat Polybius; dum ait: (o) hoc idem esse *quod victoris arbitrio se permittere*, τὸ τὴν ἐπιτροπὴν δοῦναι περὶ αὐτοῦ τῷ κρατοῦντι. Adde rursus ubi idem gravissimus Auctor (p) alibi explicandum suscipit, quid sit illud *se arbitrio Romanorum permittere*; nempe id esse, agrum omnem, viros in eodem ac fœminas, urbes præterea, quæ in sua potestate, omnes portus, sacra, monumenta iis permittere, omnium denique suarum rerum dominium amittere: sive, quod ibidem additur, quæcunque forent imperata, facere. Qua postrema demum conditione ac lege a Carthaginiensibus accepta, iis, confecto nempe secundo bello Punico, a Senatu Romano dari *libertatem, leges suas, & agrum omnem*, τὴν τ' ἐλευθερίαν, καὶ τοὺς νόμους, ἔτι δὲ καὶ τὴν χώραν ἅπασαν, docet eodem loco (q) Polybius.

Unde ut opinor, licet omnino adsequi, quid statuendum sit de adducta paullo ante a Proculo speciosa illa *liberi populi* sub Romanis ac *fœderati* definitione: nempe, *qui nullius alterius potestati subjectus est*. Etsi enim inde illa tria, quæ jam adtigimus, νόμους, πολιτείαν, χώραν, *legum suarum, Reipublicæ* seu *creandorum magistratuum*, & *regionis* seu *agrorum* libertatem retinerent aut consequerentur a Romanis id genus gentes vel urbes *liberæ*; non ideo tamen fuerint illæ Populi Romani potestati exemptæ, sive *quæ nullius alterius potestati subjectæ* censeri ac dici vere potuerint; aut in quas, juxta Ciceronem, merum esset Romanorum *patrocinium*, non *imperium*. Utrumque certe illud,

(n) Liv. Lib. XXXVII. c. 57.
(o) Exc. Legat. XIII.
(p) Exc. Legat. CXLII.
(q) Ibidem.

Romanorum nempe in liberas illas gentes vel civitates *potestatem* ac *imperium*, alibi videtur satis indicare idem Cicero, ubi ad Quintum fratrem, Asiæ tum Proconsulem, scribit : *(r) Quare quoniam in istis urbibus cum SUMMO IMPERIO ET POTESTATE versaris, in quibus tuas virtutes consecratas, & in Deorum numero collocatas vides* : mox : *ut te PARENTEM ASIÆ & dici, & haberi velis* : ac paullo ante, *(s) in tuo denique IMPERIO* : aut mox : *(t) ut eos, quos TUÆ fidei POTESTATIQUE Senatus populusque Romanus commisit.* Nota autem, ut priora *imperii* & *potestatis* verba in eadem Proconsulari Asiæ, quæ liberis & *αὐτονόμοις*, quod antea vidimus, & videbitur adhuc plenius, urbibus abundabat, nec obscure docet in eadem Epistola Tullius, jam non tangam : nota, inquam, *parentum*, & quidem propria juris Quiritium, sive patria in liberos, eaque etiam antiquitus vitæ & necis, potestas. Unde equidem id quod de *populo libero, nulli alterius potestati subjecto*, ait, ut vidimus, Proculus, & quidem ubi de *liberis* sub Romanis ac *fœderatis* id genus *populis* agitur, vel hoc uno videtur satis infirmari ; quod in *potestate* populi Romani situm foret, eam liberis illis populis vel urbibus sui juris libertatem vel relinquere, vel adimere : ut postremum istud, & qua de re jam ante ac postea dicetur adhuc plenius, sæpe ab iis factum constat. Sic, ut id paucis hic tangam, Atheniensibus a *(u)* Sulla, Cyzicenis ab Augusto & Tiberio, libertas illa modo *(x)* restituta, modo *(y)* adempta : idem præterea Augustus, & de qua loco paullo ante apud *(z)* Suetonium : *urbium quasdam FOEDERATAS, sed ad exitium licentia præcipites, LIBER-*

(r) Lib. I. Epist. I. c. 10.
(s) Ibidem c. 8.
(t) Ibidem c. 9.
(u) Appian. Mithridat. p. 196.
(x) Dio L. LIV. p. 537.
(y) Idem L. VII. p. 619. Sueton. in Tiberio c. 37.
(z) In Augusto c. 47.

TA-

TATE privavit: a (*a*) Dione autem, libertatem & jus civitatis Galliæ & Hispaniæ civitatibus, aliis dedisse, aliis ademisse dicitur. Ita rursus apud (*b*) Tranquillum, ut de aliis Cæsaribus jam nihil dicam, quod Græcis datam a Nerone libertatem *ei ademit Vespasianus, quasi UTI NESCIENTIBUS.* Quibus accedit quod populis illis vel civitatibus liberis, non plena semper daretur a Romanis legum suarum libertas, sed ea ferme restricta & precaria. Id aperte utique ubi de ea parte Romani imperii agit, quæ ex urbibus illis constabat, tangit (*c*) Strabo: iis nempe civitatibus permissum a Romanis vivere, κατά τινας πατρίους νόμους, *secundum quasdam patrias leges.* Unde etiam jus illud suarum legum apud Siculos obtinuit, ubi cives ejusdem civitatis inter se disceptarent; non vero ubi cum Romanis res iis erat. Id certe, post datam nempe a P. Rupilio Tribuno plebis ea de re legem, tradentem supra vidimus (*d*) Ciceronem: *Siculi hac jure sunt, ut quod civis cum cive agit, domi certet SUIS LEGIBUS.* Et quo referre etiam licet id quod de Græcis Asianis tangit alibi idem Tullius: (*e*) *sibi LIBERTATEM censent Græci datam, ut Græci disceptent SUIS LEGIBUS.* Adde, quod *nullam pacisci societatem, nisi ex auctoritate Romanorum possent,* ut Chalcidenses, quamquam liberi, id de se agnoscunt apud (*) Livium: nulla etiam bella, injussu Romanorum, suscipere, ut de Achæis apud (*f*) eundem legitur: hospitia vero & commeatus Romanorum ducibus vel exercitibus suppeditare: præfectum a Romanis, qui earum statum ordinaret, subinde accipere; tributum denique, nisi ubi speciali decreto & concessu ab eo præstando immunes declarabantur, ac vectigalia insuper pendere, liberæ eædem gentes vel civitates tenerentur.

(*a*) Lib. LIV. p. 538.
(*b*) In Vespas.
(*c*) Lib. XVII. p. 839.
(*d*) In Verrem II. c. 13.
(*e*) Ad Att. L. VI. Epist. I.
(*) Lib. XXXV. c. 46.
(*f*) Ibidem c. 50.

De

De *hospitiis* equidem, id cum aliunde tum vel ex iisdem liberis Chalcidensibusliquet: qui quum inter illatas sibi a Romanis Prætoribus calamitates & injurias, apud Patres Conscriptos quererentur, quod domos suas plenas haberent turba nautica, hoc responsum, auctore (g) Livio, Senatus jussu tulêre; *sociorum navalium neminem, præter magistros, in HOSPITIA deduci æquum censere.* Unde de illo hospitio præbendi, veluti supervenientibus militibus, quod civitatibus Romani orbis incumbebant, onere, observat Ulpianus: (h) *Eos milites, quibus supervenientibus HOSPITIA PRÆBERI IN CIVITATE OPORTET, per vias ab omnibus, quibus id munus contingit, suspici oportet:* mox: *munus HOSPITIS in domo recipiendi, non personæ, sed patrimonii onus est.* A quo vero onere recipiendi hospitem, magistris, qui civilium munerum vacationem habent; tum Grammaticis, Oratoribus, etiam Medicis, ac Philosophis, a Principibus immunitas data (i) alibi in eodem Digestorum titulo dicitur. Mitto hic vero quæ de *Metatis*, sive illo hospitium præbendi in civitatibus, non militibus solum, sed etiam Principis comitatui ac Judicibus onere: deque iis nominatim, qui ab eo erant immunes, leguntur in utroque Codice Theodosiano ac Justinianeo, & proprio quidem eam in rem titulo, Imperatorum Constantinianei & sequentis seculi constitutiones.

Duo autem illa posteriora paullo ante commemorata, quibus tenerentur eædem liberæ civitates, *præfectum* nempe a Romanis subinde *accipere*, ac *pendere tributum*, esseque *vectigales*, nisi ubi immunes, a tributis nempe, eædem a Romanis declarabantur, res itidem e priscis Auctoribus, aliisve monumentis nota est & comperta. Illud equidem de *præfecto*, quem a Romanis subinde haberent eædem urbes, inde lucem accipit, quod de Maximo, misso

(g) Lib. XLIII. c. 7. 8.
(h) Leg. III. Sect. 13. 14. D. de Muneribus.
(i) Leg. XVIII. S.30. Eodem.

ad-

ad ſtatum ordinandum liberarum Græciæ civitatum, tangit *(k)* junior Plinius: de *(l)* Polemone vero, ac *(m)* Herode Attico, eadem præfectura liberarum Aſiæ civitatum ſub Hadriano & M. Antonino functis, Philoſtratus: de ſe autem, quod Pergami ac Smyrnæ præfecturam ſub Macrino, & quæ ſuis adhuc infra locis dicentur, geſſerit, *(n)* Dio Cocceianus.

Alterum vero illud quod adtinet, tributum ſcilicet Romanis pendere, & iis vectigales eſſe, quæ libertate alioquin ſuarum legum vel creandorum magiſtratuum utebantur, gentes vel civitates, haud minus id ex eorundem Annalium & monumentorum fide eſt manifeſtum. Ita de Macedonibus, poſt debellatum & captum eorum Regem Perſea, decretum refert Livius. *(o) Omnium primum LIBEROS eſſe jubere Macedonas: habentes urbes eaſdem, agroſque, UTENTES LEGIBUS SUIS, annuos creantes magiſtratus, TRIBUTUM dimidium ejus, quod pependiſſent regibus, PENDERE POPULO ROMANO.* Neque aliter jam ante cum Carthaginienſibus pactum fuerat, juxta eundem Livium, quamquam non tam de ſtato tributo, quam de annua ad multos annos penſione, ibi agatur: nempe *(p) ut liberi LEGIBUS SUIS viverent, quoſque agros, quibuſque finibus ante bellum tenuiſſent, tenerent:* neque eo minus *decem millia talentum argenti deſcripta penſionibus æquis, in annis quinquaginta ſolverent.* Unde, ut alia jam mittam, facile intelligitur, quod non eadem ratio foret apud Romanos conceſſæ aut relictæ *ſuarum legum*, ac ut de veteri Bithynorum privilegio loquitur *(q)* junior Plinius, *arbitrio ſuo Rempublicam adminiſtrandi*, libertatis; aut vero immunitatis a tributis. Ut proinde ἐλεύθεροι & αὐτόνομοι eſſent ac di-

(k) Lib. VIII. Epiſt. 24.
(l) Vit. Soph. L. V. p. 536.
(m) Ibid. L. II. p. 547.
(n) Lib. LXXIX. p. 909.
(o) Lib. XLV. c. 29.
(p) Lib. XXX. c. 37.
(q) Lib. X. Epiſt. 16.

ceren-

cerentur eædem gentes vel civitates, quibus prius jus illud ſuarum legum erat datum ; non vero inde continuo ἀτελεῖς φόρων, aut ἀφορολόγητοι, *immunes a tributis* : vel quod τὸ ἀνείσφορον, de *immunitate* nempe *a tributis*, quæ hactenus Macedonibus Judæi penſitaverant, ab Ethnarcha Simone partavocat (*) Joſephus. Quæ tria equidem, libertatis, ſuarum legum & immunitatis a tributis, Græcis in Panegyri Iſthmiaca, ſolemni præconis voce, a Romanis conceſſa, e (r) Polybio, (ſ) Livio, (t) Valerio Maximo, aliiſque conſtat. Unde illud de Roma ſub Imp. Claudio apud Senecam: (u) *Ut quæ Achæis, Rhodiis, ac pleriſque urbibus claris JUS INTEGRUM, libertatemque CUM IMMUNITATE reddiderat, tributum ſpadonibus penderet.* Quomodo etiam M. Antonius Laodicenſes ac Tarſenſes, *liberos & immunes a tributis* reliquiſſe, ἐλευθέρους ἀφῆκε καὶ αὐτονόμους· ab (x) Appiano dicitur. Ita Ilienſibus, ob cognationem nempe, *pleniſſima immunitas* ab Antonino Pio tributa, quod in (y) Digeſtis legitur; & jam ante (z) Maſſilienſibus, ob eorum merita in populum Romanum: Cæſar autem perveniſſe *ad oppidum Leptim, liberam & immunem civitatem*, ab (a) Auctore belli Africani dicitur. Idem alioquin diſcrimen inter liberas ſeu αὐτονόμους & ἀφορολογήτους, *ſive immunes a tributis* tangit (b) Polybius, ubi agit de Græcis in Aſia urbibus, belli Antiochici temporibus ; ac nominatim (c) *Colophonem, Cumæos, Mylaſſenſes, Clazomenios* memorat, quibus ea immunitas ſit a Romanis data. Neque enim ea ad omnes Proconſularis illius Aſiæ civitates, quæ alioquin ſuarum legum & patrii magiſtratus libertate utebantur, fuit

(*) Antiq. Lib. XIII. c. 11.
(r) Exc. Legat. IX.
(ſ) Lib. XXXIII. c. 32.
(t) Lib. IV. c. 8.
(u) Lib. I. de Benef. c. 16.
(x) Bell. Civ. L. V. p. 675.
(y) Leg. XVII. Sect. 1. D. de Excuſat.
(z) Juſtin. L. XLIII.
(a) Cap. 7.
(b) Exc. Legat. XXXVI.
(c) Lib. V. Epiſt. I. c. 8.

expor-

exporrecta. Unde illud Ciceronis ad Quintum fratrem, ejusdem Asiæ tum Proconsulem: *Sumptus & TRIBUTA AB OMNIBUS, qui earum civitatum fines incolant, tolerari æquabiliter.* Hinc terræ motu adflictis pluribus ejusdem Asiæ, atque ita liberis inter eas & αὐτονόμοις, quod aliunde constat, civitatibus; aliis, *quod ærario, aut fisco pendebant, in quinquennium remissa:* alias, simili liberalitate, *levari in tempus tributis*, a Tiberio jussum refert *(d)* Tacitus. Ut mittam quod nec Reges exteri, qui amici & socii Populi Romani appellari meruerant, a pensitandis etiam statis id genus tributis, quod observat *(e)* Appianus, erant immunes: ἴστε δέ που καὶ βασιλέας, οὓς ἐδοκιμάζετε ἐπὶ φόροις τεταγμένοις, *scitis præterea Reges, quos approbaverant, sub condictis tributis*, & quales Pisidarum Amyntas, & partis Ciliciæ Polemo, & aliarum insuper gentium Reges ibidem commemorantur. Unde sicut ἀτελεῖς φόρων, quod paullo ante vidimus, dicti a Græcis, qui data illa a Romanis *immunitate a tributis* gaudebant; sic ὑποτελεῖς *vectigales* sive *tributarii* (prout hæc duo confundi sæpe apud priscos Auctores videas) in genere appellati, quicunque parebant Romano imperio socii ac fœderati, vel subjecti, τὸ ἔνσπονδον nempe & τὸ ὑπήκοον. Ita Josephus: *(f)* πάντες γοῦν ὅσοι τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ ΥΠΟΤΕΛΕΙΣ εἶεν, βωμοὺς τῷ Γαΐῳ καὶ ναοὺς ἱδρυμένων. *Nam quum omnes, qui Romano imperio* (ut ea verba vertit apud *(g)* Eusebium doctissimus Valesius) *subditi erant* (sive ad verbum *vectigales*) *aras, ac templa Caio statuerent.* Eos enim vesanos honores huic Caio passim in civitatibus tam liberis ac Romanorum sociis, quam subjectis delatos, liquere potest e Philonis Legatione ad eundem Caium. Idem alioquin discrimen suo ævo observat, inter *liberas* vel *fœderatas* urbes, ac *immunes a tributis* senior *(h)* Plinius, ubi diversa id genus Hispa-

(d) Annal. II. c. 47.
(e) Bell. Civ. L. V. p. 715.
(f) Antiq. L. XVIII. c. 10.
(g) Ad Lib. II. H. Eccl. c. 5.
(h) Lib. III. cap. V. 3.

niæ civitatum, ac in aliis quoque gentibus, privilegia enarrat: cujusque *immunitatis* consignata occurrit etiamnum in aliquot earum nummis memoria. Ne jam hic tangam eas urbes, quæ sub Romanis Imperatoribus nactæ juris Italici, & de quo alius adhuc occurret dicendi locus, privilegium, inde *immunes* dicuntur cum alibi, tum nominatim a *(i)* Paulo J. C. noto Digestorum de Censibus titulo. Neque proinde opus huc referre, quæ extra ordinem a Romanorum ducibus pro lubitu imperabantur subinde Regibus vel populis liberis pecuniæ, vel tributa. Ita urbes Asiæ αὐτόνομοι a Sulla coactæ pendere tributa, juxta *(k)* Appianum: Pompeius quoque, uti de eo Cæsar: *(l) magnam imperatam Asiæ, Syriæ, regibusque omnibus, & dynastis, & tetrarchis, & LIBERIS Achaiæ POPULIS pecuniam exegerat;* & de Scipione, qui erat in Pompeii partibus similiter: *(m) quo facto civitatibus* (tam liberis scilicet, quam subjectis) *tyrannisque magnas imperaverat pecunias:* ac de eo rursus agente tum in Proconsulari Asia, quæ liberis & αὐτονόμοις urbibus, ut ante dictum, & postea adhuc videbitur, abundabat: *(n) acerbissime imperatæ pecuniæ, tota provincia exigebantur:* dein *in capita singula servorum ac liberorum tributum imponebatur.* Quomodo etiam Regibus, Dynastis, ac liberis civitatibus imposita a M. Antonio mulcta aut tributi genus apud *(o)* Appianum dicitur. Id vero de capitatione, sive illa de *(p) humana,* hoc est tributo demum capitis, ut eam explicat magnus *(q)* Cujacius: sive juxta *(r)* Cl. Jac. Gothofredum, de *terrena* insuper seu possessio-

(i) Leg. VIII. D. de Censib.
(k) Bell. Civ. L. I. p. 414.
(l) Bell. Civ. L. III. c. 5.
(m) Ibidem c. 31.
(n) Ibidem c. 32.
(o) Bell. Civ. L. V. p. 674.
(p) Leg. I. C. Th. de Collat. Donat. & L. V. C. Just. de Colon. Thrac.
(q) Ad Leg. Unic. C. Just. de Capitat. A Censu &c.
(r) Com. Ad Leg. II. C. Th. de Censu.

nibus,

nibus, quarum nomine tributa itidem pendebantur, intelligi debeat: ab ea utique neminem in orbe Romano fuisse immunem, declarant aliquot Imperatorum constitutiones, sicut (s) Constantini, (t) Valentiniani Junioris, & aliorum, quæ etiamnum in utroque exstant Codice. Unius forte, si exteros, sed in Romanorum fide respicias, (u) domus Arsacis Armeniorum Regis, præter privatas res Imperatorum, Ecclesias Catholicas; aut certæ conditionis vel ætatis, de quibus (x) sequentibus agitur constitutionibus, personas; veluti virgines, viduas, & pupillos virilis sexus, usque ad viginti annos, immunitas ab illis tributariis functionibus, a Constantino decernitur. Unde utique ad alios Reges aut populos Romanis obnoxios, & ex earum proinde gentium numero vel civitatum, quæ suis adhuc uterentur legibus, idem beneficium non fuisse tum exporrectum, licet omnino statuere. Adeo ut eas civitates vel colonias, quæ alioquin juris Italici, iis ab anterioribus Imperatoribus concessi, privilegio, illi, ut ea de re (y) Ulpianus ac (z) Paulus J. C. a tributo capitis & soli immunitate fruebantur, non amplius gavisas, e Constantinianei & sequentis seculi constitutionibus, in utroque (a) Codice obviis, abunde, ut opinor, liqueat: in quibus utique nulla illius juris vel privilegii, iisdem civitatibus aliisve indulti, vel relicti, facta occurrit mentio vel exceptio. Adeo ut uni tum urbi Regiæ Constantinopoli illud *Italici*, ut (b) ibidem dicitur, *juris auxi-*

(s) Leg. I. C. Th. de Annon. & Tribut. & L. VI. C. Just. Eodem.

(t) Leg. VIII. C. Th. de Censu & L. I. C. Just. de Immun. N. Conced.

(u) Leg. I. C. Th. de Ann. & Tribut.

(x) Leg. IV. C. Th. de Censu &c.

(y) Leg. I. D. de Censibus.

(z) Leg. VIII. D. Eodem.

(a) Vid. titul. C. Th. & de Censu & Tit. de Annona & Tribut. & C. Just. Eodem.

(b) Leg. Unic. C. Th. de Jur. Urb. Constant.

lium, seu (c) *prærogativa*, Valentis Imp. constitutione, quam uterque Codex, sed Theodosianus pleniorem exhibet, restitutum aut confirmatum videatur.

Quamquam, & quod paullo ante adtigimus, de *tributis*, quæ Romanis penderent etiam gentes ac urbes *liberæ* & *αὐτόνομοι*, haud vero quæ declaratæ fuerant a Senatu, ac dein ab Imperatoribus, *immunes*, id intelligi debeat, ut non inde continuo cum iis, quæ *stipendiariæ* ac *vectigales* populi Romani dicebantur, confundi eædem debeant. A quibus nempe ii, qui *socii*, *amici*, aut *fæderati* Romanorum, aut alioquin *liberi* & *suis utentes legibus* dicebantur populi vel civitates, distingui a Romanorum rerum auctoribus, quod in iis tralatitium, consuevere. Ita, ut hoc unum in re nota hic tangam apud (d) Livium civitates, quæ in Sicilia a partibus Carthaginiensium fuerant, & contra Romanos bella gesserant, *stipendiariæ* ac *vectigales* Romanis *esse* dicuntur; non vero reliquæ, quæ in fide & amicitia populi Romani remanserant, & quas proinde *SUIS legibus* certasse, paullo ante e Cicerone vidimus. Stipendium nempe civitatibus vel populis, qui bello victi, & in ditionem Populi Romani, ac inde in provinciæ formam redacti, certum & condictum, quod iidem quotannis pendere tenerentur, imperatum. Ita J. Cæsar apud Suetonium: (e) *Omnem Galliam in provinciæ formam redegit, eique quadringenties, stipendii nomine imposuit:* ipse autem Cæsar post Britanniam ab eo domitam: (f) *obsides imperat; & quid in annos singulos vectigalis populo Romano Britannia penderet, constituit.* Tributa vero, si quæ urbibus liberis ac *αὐτονόμοις*, pro censu aut facultate singulorum, aut pro Reipublicæ necessitatibus, ex fœdere, vel a Senatu imposita, leviora vulgo erant, neque acerbe adeo exacta. Ita de

(c) Leg. Unic. C. Just. de Privil. Urb. Constant.

(d) Lib. XXXI. cap. 31.

(e) In Cæsare cap. 25.

(f) Bell. Gall. L. V. c. 22.

Spar-

Spartanis refert *(g)* Strabo, eos liberos ac *ſuis legibus* relictos, *præter aliquot amicas contributiones, nihil aliud pendentes*, πλὴν τῶν φιλικῶν λειτουργικῶν, ἄλλο συντελοῦντας οὐδέν· nempe velut ea, quæ *dona gratuita* dici variis in locis adhuc ſolent. Hinc eadem tributa iis civitatibus ſubinde, pro ratione temporum, aut obortis calamitatibus, ut de Aſiaticis ſub Tiberio paullo ante vidimus, remiſſa. Mitto quod non vulgo ad alendum Romanum militem,ſed ad publica earundem liberarum civitatum opera, viarum, portuum reficiendorum, balneorum, (quod poſtremum vel ex *(h)* Plinio juniore de Pruſæenſium balneo liquebit) aquæductuum, ædium ſacrarum extructionem, aliaque id genus, impenderentur frequenter eadem tributa vel vectigalia. Ita de Alexandro Severo Lampridius: *(i) vectigalia civitatibus ad proprias fabricas deputavit.* Adde quod eadem, de tributis loquor, in ſpeciebus, frumenti puta, vini, olei,hordei,ferri, aliiſque id genus, quod in pluribus conſtitutionibus, quas *(k)* uterque Codex exhibet, obvium, penderentur. Unde etiam inter *ſtipendiaria* & *tributaria prædia* diſcrimen exſtitiſſe obſervat, & quod ipſe ſuſtulerit, *(l)* Juſtinianus: a Theophilo autem de ſublata differentia *ſtipendiariæ ac tributariæ provinciæ* ibidem dicitur. Immo nec a vectigalibus pendendis immunes omnino erant civitates illæ liberæ ac αὐτόνομοι, ac inde publicanorum ſocietates, quæ e civibus Romanis, & vulgo equeſtris ordinis, ut notum, conſtabant, haberent eædem, quæ vectigalia ab iis exigerent. Quod in primis de Græcorum in Proconſulari Aſia, in qua maxima erant populi Romani vectigalia, urbibus cum aliunde, tum e Cicerone liquet ad Quintum fratrem, ejuſdem Aſiæ, ut ante dictum, Proconſulem:

(g) Lib. 8. p. 366.
(h) Lib. X. Epiſt. 75. 76.
(i) In Alexand. Sev. c. 21.
(k) Tit. de Annona & Tributis.
(l) Inſt. de Rer. Diviſ. S. 40.

(m) Ac-

(*m*) *Ac primum Græcis, id quod acerbissimum est, quod sint VECTIGALES, non ita acerbum videri debet, propterea quod sine imperio populi Romani, suis institutis, per se ipsi ita fuerunt:* mox: *Non esse autem leniores in exigendis vectigalibus Græcos, quam nostros publicanos.* Unde ut quæ ratio fuerit libertatis illius vel juris liberarum & αὐτονόμων id genus civitatum sub Romanis, sociorumve sive fœderatorum Regum & Populorum, uno velut obtutu, constet, tradendum hic est, id quod de Cæsare, devicto Pompeio, tradit Belli Alexandri scriptor: (*n*) *Commoratus fere in omnibus civitatibus, quæ majore sunt dignitate, præmia bene meritis, & viritim, & publice tribuit: de controversiis veteribus cognoscit, ac statuit: Reges, tyrannos, dynastas provinciæ finitimosque, qui omnes apud eum convenerant, receptos in fidem, conditionibusque impositis provinciæ tuendæ ac defendendæ dimittit & sibi & populo Romano amicissimos.* Accedit id quod ab ipso Proculo J. C. postremo loco, ubi de hisce agit liberis populis ac fœderatis additur: nempe: *At fiunt apud nos rei ex civitatibus fœderatis, & in eos damnatos animadvertimus:* ut ita rerum capitalium quæstiones in eos, juxta Quiritium leges eximerentur.

Hæc autem singula, quæ modo adtigimus, non præter fas, aut licentia Præsidum, quorum plerosque in provinciis, in quibus sitæ erant civitates id genus liberæ, perperam agere observat (*o*) Dio, contingebant, & de quibus justa pateret iisdem *liberis* ac αὐτονόμοις urbibus vel populis querendi caussa; sed pro conditione ac lege, qua libertas aut *autonomia* iis populis vel civitatibus erat a Romanis relicta vel concessa. Adeo ut non injuria omnino id a Legatis Regis Antiochi in congressu cum Romanis dictum legatur apud Livium: (*p*) *Specioso titulo uti vos Romani,*

(*m*) Lib. I. Epist. I. c. 11.
(*n*) Cap. 65.
(*o*) Lib. XXXVI. p. 20.
(*p*) Lib. XXXV. c. 16.

ni, Græcarum civitatum liberandarum video: sed facta vestræ orationi non conveniunt. Adde alibi apud eundem: *(r) hanc quoque SPECIE LIBERAM Demetriadem esse; revera omnia ad nutum Romanorum fieri:* denique ab Eumenis Regis legatis: *(s) LIBERAS esse Æneam & Maroneam velint Romani, nihil sui pudoris esse ultra dicere, quam ut admoneam, RE NON VERBO EOS LIBEROS RELINQUANT.* Immo quod Macedonum ac Thessalorum exemplo jam est ante comprobatum, quos in specie usos suis legibus, re ipsa vero Romanis Quiritium legibus fuisse obstrictos tradentem supra vidimus gravissimum auctorem Polybium.

Eadem vero *liberarum civitatum* vel *liberorum populorum*, quæcunque tandem foret juris illius libertas vel potestas, appellatione, eas simul gentes vel civitates designari, quæ erant αὐτόνομοι, sive *suis utentes legibus*, cum ex adductis Appiani paullo ante de instituta a Sulla devictarum gentium conditione, verbis, ubi *(t)* ἔθνη αὐτόνομα, *nationes suis utentes legibus*, quod ibidem vidimus, easdem vocat, satis liquet: tum aliunde e promiscuo illo apud Græcos ἐλευθέρας καὶ αὐτονόμου, seu *liberæ, & suis legibus utentis* civitatis usu, est utique manifestum. Erat enim hæc *autonomia* vel præcipua pars *libertatis* illarum urbium, quæ cæteroquin erant in Romanorum fide; in eo quippe, ut hactenus vidimus, sitæ, ut eædem suis legibus uterentur; proprios crearent Magistratus, a quibus nempe jus iis, non vero a Romanis Rectoribus, diceretur; agrosque suos præterea vel oppida, quæ erant in eorum ditione, retinerent; a Romanorum vero præsidiis, ut hoc addam, essent vulgo immunes. Ita de Græcis ait unus e Chalcidensium principibus apud Livium iis verbis, quæ jam ante adduximus: *(u) nullam enim civitatem se in Græcia nosse, quæ aut*

(r) Ibidem c. 31.
(s) Lib. XXXIX. c. 27.
(t) Bell. Civ. L. I. p. 414.
(u) Lib. XXXV. c. 46.

PRÆ-

PRÆSIDIUM habeat &c. Quomodo etiam ab iisdem cum Carthaginiensibus actum inter pacis conditiones, post bellum Punicum secundum initas: *(x) ut liberi institutis legibusque suis viverent, neque ullo PRÆSIDIO tenerentur*: aut vero ut præsidia e dictis modo Græcorum liberis urbibus deducerent continuo *(y)* Philippus Macedonum, aut *(z)* Antiochus Syriæ Reges, provisum in pacis conditionibus ac fœderum tabulis ab iisdem Romanis apud Polybium itidem ac Livium, ut alia jam mittam, videas. Adde quod de Massiliensium libertate, iisdem, quique erant illis subjecti, a Cæsare, etsi in diversis partibus fuerant, conservata agens, *(a)* Strabo, eam explicat de immunitate a jurisdictione Romani Præsidis, ΤΗΝ ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΝ ἐφύλαξαν, ἣν εἶχεν ἡ πόλις, ὥστε μὴ ὑπακούειν τῶν ἐπὶ τὴν ἐπαρχίαν πεμπομένων στρατηγῶν, μήτε αὐτὴν, μήτε τοὺς ὑπηκόους, *AUTONOMIAM* seu *libertatem pristinam conservarunt, ut neque ipsi, neque iis subjecti, missis in provinciam Rectoribus obtemperare cogerentur.* Hinc Cicero id Pisoni, qui Macedoniam rexerat, inter alia in crimen vertit: *(b) omitto jurisdictionem in liberam civitatem, contra leges Senatusque consulta.* Quum alioquin de Gallia in provinciam redacta, ac proinde non amplius αὐτονόμῳ, dicatur, ab Arverno Cratognato apud Cæsarem, *(c)* quod *LEGIBUS COMMUTATIS securibus subjecta, perpetua premitur servitute.* Inde vero etiam factum, ut αὐτονόμους vel αὐτονομουμένους urbes apud Herodotum, Thucydidem, Polybium, Diodorum, Josephum, Appianum, aliosque, per *liberas civitates*, etsi latius aliquanto ea vox *liberæ* pateat, & quandoque etiam *immunitatem a tributis* complectatur, vulgo reddant interpretes. Immo un-

(x) Polyb. L. XV. c. 18.
(y) Idem Exc. Legat. IX. Livius L. XXXIII. c. 30.
(z) Polyb. Exc. Leg. XXXV. Liv. L. XXXVIII. c. 38.
(a) Lib. IV. p. 187.
(b) In Pison.
(c) Bell. Gall. L. VII. c. 77.

de,

de, ut præterea obſervo, promiſcuus ille vocum αὐτονόμε & ἐλευθέρε uſus apud Græcos aliis etiam in rebus invaluit: prout apud (d) Sophoclem de Antigone in ſubterranea ſpecu includenda dici videas, ἀλλ' αὐτόνομος ζῶσα, *ſed libera, viva* &c. apud (e) Xenophontem τὸ ἱερὸν ἐν Δελφοῖς αὐτόνομον, *templum Delphis liberum*: & apud (f) Diodorum Siculum, Bacchus, ut patriæ gratiam referret, cunctas in Bœotiæ urbes in libertatem vindicaſſe traditur; &, quod addit idem Auctor: κτίσας τὴν πόλιν ἐπώνυμον ΤΗΣ ΑΥΤΟΝΟΜΙΗΣ, ἣν ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ προσαγορεῦσαι, *condita urbe AUTONOMIÆ cognomine, eam ELEUTHERAS* (h. e. *Liberam*) *nuncupaſſe.* Quomodo inſuper apud Gregorium Nazianzenum (g) alicubi, ut præterea obſervo, αὐτονομία γλώσσης *linguæ libertas* dicitur: & a Procopio, (h) quod Beliſarius, quæ ſemel placuerant, faceret ſemper αὐτονόμῳ γνώμῃ, *juxta liberum ejus propoſitum*, ſeu prout ipſemet conſtituerat.

(d) In Antigone v. 832.
(e) De Redit. p. 930.
(f) Lib. IV. p. 211.
(g) Epiſt. XXXI. p. 395.
(h) Bell. Goth. l. 1. c. 1.

CAPUT XI.

De populis *vel* urbibus *Romani imperii* liberis, *vel* αὐτονόμοις, *poſt devictum a Pompeio Mithridatem, ac libera adhuc Republica. De* Judæis autonomis,*aliiſque in* Palæſtina,Phœnicia,Syria, *idque Pompeii beneficio, civitatibus. De* Antiochia *in ſpecie, quæ ab eo* Autonomiam *pretio impetravit. De eadem urbe, item* Arethuſa *in Syria, ac* Seleucia Pieriæ ΑΥΤΟΝΟΜΟΙΣ *in antiquis earum nummis. De* Epochis *inde*

 vari-

variarum illius tractus urbium, e nummis ac Auctoribus antiquis. De multiplici Æra Antiochena *in variis Antiochensium nummis. De* Tyro ΑΥΤΟΝΟΜΩ *in veteri lapide. De* Autonomia *urbium continentis*, *seu* Proconsularis Asiæ, *& qualis eadem fuerit. De* Ponticis urbibus, Sinope & Amiso *itidem* liberis *ac* αὐτονόμοις; *& priscis, qui id adstruunt*, Amisenorum *nummis. De* Eleutherocilicibus, *& aliquot gentis illius urbibus*, Tarso, Anazarbo, Diocæsarea, Coryco, Sebaste, Seleucia ad Calycadnum, *&* Mopsuestia ΑΥΤΟΝΟΜΟΙΣ *vel* ΕΛΕΥΘΕΡΑΙΣ *in præclaris earum nummis*, *&* Mopsuestia *insuper in veteri inscriptione.* Eleutherolacones *itidem*; *item* Argivi; *variæ* Siciliæ, Illyrici & Galliæ Narbonensis *urbes*; Ædui, *pluresque alii* Gallorum *populi* liberi *vel* suis legibus usi. *De* lege Julia a *J. Cæsare lata, pro* populis liberis. *Ciceronis locus ea de re adductus & explicatus. Quæ urbes vel gentes* liberæ *sive* suis legibus *a J. Cæsare relictæ.*

E Quibus autem, quæ modo superiori capite adtigimus, liquidius, ut opinor, constabit, quæ ratio fuerit earum Αὐτονόμων sive *liberarum*, *suisve legibus* uten-

tentium ſub Romanis gentium vel urbium ratio: quodque de Pompeio ab Appiano relatum jam ante diximus, eum confecto bello Mithridatico, & pro recepta jam imperii Romani in tres illius partes diviſione; eum alias gentes vel urbes liberas ſeu *αὐτονόμους*, ut idem Appianus eas vocat, reliquiſſe; alias Regibus, vel Dynaſtis, aut Tetrarchis adtribuiſſe; alias vero in provinciæ formam redegiſſe. Inter eas autem gentes vel urbes, quas idem Pompeius reliquit vel conſtituit *αὐτονόμους*, & a quo Syria, Phœnicia, & Palæſtina ab eo devictæ, fuerant alioquin in provinciæ formam redactæ, adnumerandi continuo veniunt *Judæi*. Equidem captis a Pompeio Hieroſolymis, ſtipendiariam eandem urbem ab eo redditam tradit Joſephus; ac tum primum, ut addit, *(a)* Τήν τε γὰρ ἐλευθερίαν ἀπεβάλλομεν, καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν. *Libertatem amiſimus, & ſubjecti Romanorum imperio ſumus:* ac eodem teſte, mox etiam a Gabinio in quinque continuo juridicos conventus, ſeu diœceſes, in quibus jus a Romanis diceretur, fuerat Judæa diviſa, *(b) Hieroſolymis*, nempe, *Gadaris, Amathunte, Jerichunte, Sepphoris.* Suas tamen ſacrorum leges ac inſtituta patria iiſdem Judæis a Pompeio, ac dein ab eodem Gabinio relicta, abunde vel e conſtanti ac perpetuo eorundem Judæorum in iis ſervandis, & quibus *(c)* gravius erat iiſdem legibus, quam vita carere, ſtudio; & ex Hyrcano ab iiſdem, Pompeio & Gabinio, Pontifice conſtituto, licet colligere: ne ea hic tangam, quæ a Cæſare dein in eorundem Judæorum gratiam decreta idem Joſephus mox refert *(d)*. *Liberas* vero in eo terrarum tractu *urbes, Gazam, Joppen, Dora, Stratonis turrim*, quæ poſtea ab Herode magnifice condita, *Cæſareæ* nomen meruit, & præter *Gadara*, in liberti ſui Demetrii Gadarenſis gratiam

(a) Antiq. L. 14. c. 8.
(b) Ibid. c. 10. & B. Jud. c. 5.
(c) Ibid. L. 16. c. 4.
(d) Ibid. c. 19.

restaurata, a Pompeio relictas, auctor ibidem Josephus (*e*). Quomodo aliquot Cœles Syriæ urbes, quæ vel Macedonas habuerant conditores, vel antiquioris erant originis, *Antiochiam*, *Seleuciam*, *Philadelphiam*, aliasque, αὐτονομίᾳ seu *libertate*, *suisve legibus* ab eodem Pompeio donatas, aliunde constat. Quod de *Antiochensibus* nominatim, ut qui etiam pretio eam *autonomiam* a Pompeio redemerint, observat, ut alibi (*f*) pridem vidimus, Porphyrius in Excerptis (*g*) apud Scaligerum Eusebianis: Ὁ λαβὼν παρ' Ἀντιοχέων χρήματα, ΑΥΤΟΝΟΜΟΝ δὲ τὴν πόλιν εἴασε. *Pompeius accepta ab Antiochensibus pecunia, urbem eorum SUIS LEGIBUS reliquit:* ac de Syriæ *Seleucia*, libertate ab eodem Pompeio, quod a Tigranis partibus non stetisset, donata, Strabo (*h*) ac Eutropius (*i*). Quamquam ipsa seu prima solemnis Edicti, quo *Antiochia* non a Pompeio quidem, sed paucis post annis, a J. Cæsare Dictatore, quod & a Chronici Alexandrini (*k*) seu Paschalis Auctore traditur, *libera* sit proclamata,& ubi inter alia illius urbis præcipua, ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ, eadem appellatur, verba legantur hodie in vulgato nuper Antiochensis Malelæ Chronico (*l*) e quo adhuc inedito eadem olim descripta vulgaverat doctissimus Usserius (*m*): nempe, ἐν ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ τῇ Μητροπόλει Ἱερᾷ, καὶ Ἀσύλῳ, καὶ ΑΥΤΟΝΟΜΩ, καὶ ἀρχούσῃ, καὶ προκαθημένῃ τῆς Ἀνατολῆς, Ἰούλιος Κάϊος Καῖσαρ, καὶ τὰ λοιπά. *In ANTIOCHIA Metropoli, Sacra, Inviolabili, SUIS LEGIBUS, Principe, Orientisque Præside, Julius Caius Cæsar* &c. Quomodo eadem *Autonomia* non solum publicis fœderum tabulis, sed nummis aliisve duraturis ad posteros monumentis, est ab iis *Antiochensibus*, aliis-

(*e*) Ibid. c. 10. & 13. Jud. L. V. c. 5.
(*f*) Diss. de Præst. Num. p. 720.
(*g*) Pag. 62.
(*h*) L. XVI. p. 751.
(*i*) L. VI. c. 14.
(*k*) Edit. Reg. du Cange p. 187.
(*l*) L. IX. p. 278.
(*m*) Annal. p. 351. p. 11.

ve

ve populis vel urbibus, frequenter consignata. Quod varii quoque & insignes, non Cæsareanorum solum temporum, de quibus paullo post, sed hisce antiquiores id genus nummi, nobis adhuc ante oculos ponunt: sicut (*n*) a me adducti jam olim, inscripti ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Antiochensium Metropolis Et Suis Legibus*: & alter, quem exstare in Gaza Medicea (*o*) ibidem indicavi, cujusque inde in Critica Baroniana facta est ab eruditissimo Pagi mentio, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Seleucensium Sacræ Et Suis Legibus*. Cujusmodi vero insignes duos nummos, in quibus illud ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ privilegium vindicant sibi *Antiochenses* e cimeliarchiis Christinæ Suedorum Reginæ, ac Mediceis, ubi exstare illos (*p*) pridem indicaveram, vulgavit dein egregiis in hæc studia meritis, haud minus ac ostri nunc fulgore, splendidissimus (*q*) Norisius. Unum vero insuper e Gaza Gallorum Regia adferre haud minus hic juvabit, cum capite itidem Jovis Φιλίου laureati, quale exstare in nummo Mediceo tradit idem (*r*) Norisius; in aversa autem parte, præter laureatum tripodem, Daphnæi nempe ad illam urbem, ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗΝ in aliis ejus nummis inscriptam, Apollinis: quique laureatus tripos in nummo Reginæ Christinæ itidem comparet, cum adscripta insuper, de qua mox, urbis æra: nempe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΖΣ. *Antiochensium Metropolis Anno CCVII.*

(*n*) Diss. de Præst. Num. p. 789.
(*o*) Ibidem.
(*p*) Diss. de Præst. Num. p. 789.
(*q*) Epoch. Syr. Maced. Diss. III. c. 3.
(*r*) Ibidem c. 8.

Alium



Alium insuper e Gaza inclyti Cenomanensium Ducis protulit ibidem, utrumque vero inscriptum, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Seleucensium Sacræ Et SUIS LEGIBUS*. Cujusmodi vero plures hujus *Seleuciæ* nummi, illius nempe, quæ non ad Tigrim in Assyria; sed quæ ad mare in confinio Ciliciæ ac Phœniciæ, ut de ea alicubi *(s)* Polybius, erat sita, cum iisdem illius juribus ac privilegiis a doctissimo *(t)* Holstenio exstare dicuntur apud Pyrrhum Ligorium; nempe in Collectionibus ejus, quas olim Romæ versavimus, antiquariis, ac præterea apud antiquariorum tum in urbe, quum ibi agerem, principem, Franciscum Gothofredum. Ad quas vero Αὐτονόμως declaratas a Pompeio in Syria, ac vicinis regionibus, Phœnicia, & Palæstina, urbes, & cujus rei memoria sit hisce publicis earundem monumentis tradita, addi continuo debet *Arethusa*. Dum enim in Galliis nuper agerem, illatus in Cimeliarchium Regium nummus, in quo hinc caput velatum ac turritum apparebat; illinc Juppiter sedens, & dextra victoriæ signum tenens, cum inscriptione ΑΡΕΘΟΥΣΑΤΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, infra ΜΕ. ΗΓ. *Arethusa-*

(s) Lib. V. p. 209.

(t) Not. ad Stephan. p. 287.

thusa-

thusiatorum Sacræ SUIS LEGIBUS. Quid vero posteriores in ima nummi area literæ illæ seu *monogrammata* ΜΕ. ΗΓ. denotent; an loci æram, quæ in duobus aliis hujus urbis nummis Cæsarianis, uno Imp. Severi, altero Diadumeniani & de quo nos (*u*) alibi, Gazæ itidem Regiæ, quique postremus in luculento doctissimi Cardinalis Norisii (*x*) opere, deducto ibidem Æræ illius capite, conspicitur; atque ita junctis duabus illis hujusce nummi literis ME annus XLV. an vero quidpiam aliud, quod verosimilius, designetur; non vacat, neque id operæ pretium, nunc disquirere. Abunde erit, ut opinor, si singularis nummi, & qui illud ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, de quo hic agitur, nec in duobus aliis, quos modo retulimus, quique hactenus soli sunt ab eruditis antiquariis descripti, comparet privilegium huic urbi datum, ad majorem insuper ejus rei lucem ac fidem, hic subjiciamus.



Eam vero urbem, juxta *Azotum*, *Jamniam*, & maritimas civitates, *Dora*, *Gazam*, *Joppen*, *Stratonis Turrim*, *Cæsaream* postea dictam, simul a Pompeio in libertatem, ac inde *autonomiam* adsertas, aperte tradit haud uno loco

(*u*) Epist. III. ad Morell. p. 169.

(*x*) Epoch. Syr. Maced. Diss. III. c. 7.

(*y*) Jo-

(*y*) Josephus. Hinc eadem *Dora*, notam Phœniciæ urbem, ac ab eodem Josepho (*z*) sæpe memoratam, exhibet rursus præclarus ejusdem Gazæ Regiæ nummus, a me in eadem primum visus ac (*a*) alibi pridem adductus, & de quo infra, ubi ad Trajani Imp. tempora, quibus nummus ille est percussus, nos deducet hujus commentationis series. Unde etiam, & quod olim in eodem opere, neque (*b*) uno loco, adtigimus, ac de nonnullis illorum locorum urbibus viderat jam, ut ubi quoque moneo, magnus Scaliger, ab hac *Autonomia*, tanquam a memorabili maxime earundem urbium instauratione vel beneficio, novæ, prioribus abolitis, petitæ sunt eorundem locorum Æræ. Quod de *Antiochia*, ut loquuntur ea in re Græci, χρηματισμῷ, speciatim tangit Evagrius, (*c*) loco, quem de hac hujus urbis æra notarunt jam majorum gentium Chronologi ac eruditi, (*d*) Baronius, (*e*) Scaliger, (*f*) Petavius, (*g*) Valesius, (*h*) Norisius: ubi nempe de terræ motu, qui eidem urbi sub Trajano contigit agens idem Evagrius ait: Ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἐνιαυτὸν καὶ πεντηκοστὸν καὶ ἑκατοστὸν ἀγούσης τῆς πόλεως ΕΤΟΣ ΤΗΣ ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΣ γέγονεν. *Nam illa quidem accidit anno centesimo & quinquagesimo nono, EX QUO urbs fuerat SUAS LEGES adepta.* Cui accedit etiam, quod (*i*) Auctor Chronici Alexandrini, dum a tempore, quo eadem urbs *libera* sit a Cæsare declarata, restituta proinde vel adserta

(*y*) Antiq. Lib. XIV. c. 8. Bell. Jud. L. 1. c. 5.
(*z*) Antiq. L. V. c. 3. L. XIII. c. 11. 20. L. XIV. c. 8. 10. L. XV. c. 13. &c.
(*a*) Diss. de Præst. Num. p. 779.
(*b*) Ibidem p. 789. 790. 866. &c.
(*c*) Lib. II. cap. 12.
(*d*) Annal. ad A. C. III.
(*e*) Can. Isag. p. 301. & Anim. ad Euseb. p. 156.
(*f*) De Doct. Temp. L. X. c. 62.
(*g*) Not. ad Evagr. Lib. II. c. 12.
(*h*) Epoch. Syr. Maced. Diss. III. c. 4.
(*i*) Edit. Du Cange p. 187.

huic

huic *autonomia*, annos Antiochensium tradit numerari: ut de (k) Eusebiano Chronico, ubi de eodem initio hujus æræ Antiochenæ similiter agitur, nunc sileam. Idem vero evincunt etiamnum superstites illius urbis nummi: sicut alii *Seleuciæ*, *Gadarorum*, *Gazæ*, *Philadelphiæ* &c. totidem Syriæ & Palæstinæ urbium, cum adscriptis id genus epochis, a data iis a Pompeio, quod olim e nonnullis eorundem civivitatum nummis (l) videram ac monueram, αὐτονομίᾳ. Cujusmodi autem plures in præclaro opere protulit haud ita dudum, ac ab eadem *autonomia* & libertate illis urbibus a Pompeio concessa, aut a Cæsare dein uni vel alteri, sicut *Antiochensibus*, & *Laodicensibus* confirmata vel adserta, illustrandos suscepit, laudatus paullo ante (m) doctissimus Norisius. Ubi obiter illud adhuc dicendum est, signatam in Regio horum Antiochensium, quem paullo ante protulimus, nummo, Æram ZΣ. seu *annum* CCVII. non a parta tamen per Pompeium, anno proinde urbis Conditæ, juxta viros præstantes ac Fastos eorum temporum, DCXC, *Autonomia*; vel a restituta eadem aut adserta huic urbi a J. Cæsare, anno U. C. DCCV; minus a suscepto ab Augusto imperio, seu ab Æra vulgo Augustana, anno U. C. DCCXXI, esse deducendam: quam duplicem tamen, ut de priore Pompeiana, nihil dicam, horum *Antiochensium* Æram, *Julianam* nempe & *Augustanam*, in variis eorum nummis signari, est ab iisdem viris eruditis observatum. Ita enim ducto a Pompeiana Æra initio, in media Antonini Pii Imp. tempora, vel hisce adhuc posteriora, si Æræ Antiochensis *Julianæ* ab Eusebio, Evagrio, Chronici Alexandrini Auctore, traditæ; aut vero *Augustanæ* ratio habeatur, incideret demum Æra huic nummo inserta ZΣ, sive

(k) Edit. Scal. A mdcccclxix.
(l) Diss. de Præst. Num. p. 779.
(m) Vid. Epoch. Syr. Maced. Diss. III. c. 2. 3. 4.

Annorum CCVII. Quem tamen nummum vetustiorem, typus ejus & conspectus, ac literæ Σ, veteri ibi in his monumentis more, non ut passim ac a Domitiani vel in primis ævo, quod pridem *(n)* alibi monui, sub figura C. abunde arguunt. Unde omnino ad antiquiorem horum *Antiochensium* Æram, qualis olim exstitit in toto illo terrarum tractu, Seleucidarum; aut ad aliam eadem haud paullo recentiorem, sub aliquo e Seleucidis Regibus de hac urbe bene merito, inductam, sed quæ disquisitio non est jam hujus loci, hunc Annum CCVII. nummo illi adscriptum respicere omnino statuendum est. Qualis nempe occurrit urbis, de qua paullo ante, vicinæ in eadem Syria, ac ad fluvium itidem Orontem sitæ, *Seleuciæ Æ*ra, in nummo, excellenti ingenio ac virtute splendidissimi Cenomanensium Ducis, quem vulgavit idem, de quo ante, vir amplissima dignitate *(o)* Norisius. Nempe in quo signatus annus BC. sive CCII. qui ad hunc *Antiochensium* in adducto supra nummo U.C. seu Annum CCVII, proxime accedit, ad Antiochi quoque Grypi Syriæ Regis, qui *Seleuciæ Autonomiam* dederit, ab eodem Norisio tanquam ad caput illius Epochæ refertur. Neque vero præteriri hic debet, quod *Tyriorum* in antiquis eorum nummis Æram, deduxit idem doctissimus *(p)* Norisius, ab ea, quam illi sub Syriorum Regibus consequuti pridem fuerant, *Autonomia*; quamque iidem a Romanis, haud sine aliquo sumptu, (quod pridem quoque *(q)* monueram, ac de Antiochensibus tradentem vidimus Porphyrium) sunt consequuti. Adde, quod etiam Tyrios, juxta Sidonios, in libertate sive αὐτονομίᾳ, a M. Antonio, neque id, ut e modo dictis arbitrari licet, gratuito, conservatos refert *(r)* Josephus. Cujus etiam eorundem Tyriorum *autono-*

(n) Diss. de Præst. Num. p. 54.
(o) Epoch. Syr. Maced. Diss. III. c. 8.
(p) Ibidem Diss. V. c. 3.
(q) Diss. de Præst. Num.
(r) Antiq. Lib. XV. c. 4.

mia

miæ fidem adhuc facit antiquus lapis a magno *(ſ)* Scaligero, eam in rem jam adductus: in quo exſtat Græca Tyriorum, qui Puteolis habitabant, ad eorum metropolim Tyrum Epiſtola, Gallio (ſeu verius Gallo) & Flacco Corneliano Conſulibus, ut in eadem legitur, ſcripta, ac proinde ſub Imperatore Commodo, anno Æræ Chriſtianæ CLXXIV. In cujus autem Epiſtolæ capite legitur: τῇ πόλει ΤΥΡΙΩΝ τῆς Ἱερᾶς καὶ Ἀσύλου καὶ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ μητροπόλεως Φοινίκης, *urbis TYRIORUM, Sacræ, Et Inviolabilis, ET SUIS LEGIBUS, Metropoleos Phœniciæ.* Mitto vero tributum *Samoſatis* idem ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, in antiquis itidem illius urbis nummis, elogium; ſed quod ſerius adductis modo Phœniciæ aut Syriæ civitatibus, ac ſub Veſpaſiano primum, ut id poſtea dicetur, huic Syriæ *Commagenes Metropoli* conceſſum licet ſtatuere.

Accedunt vero hiſce, quæ ab eodem Pompeio, non in dictis ſolum Orientis vel Aſiæ partibus, ſed in ea quoque provincia, quæ in Proconſularis Aſiæ nomen apud Romanos tranſiit, conſtituta refert *(t)* Dio: τά τε πλείω ἔθνη τῶν ΕΝ ΤΗ ΑΣΙΑ ΤΗ ΗΠΕΙΡΩ τότε αὐτοῖς ὄντων, ΝΟΜΟΙΣ ΤΕ ΙΔΙΟΙΣ καὶ πολιτείαις κατεστήσατο, καὶ διεκόσμησεν· ὥστε καὶ δεῦρο αὐτοὺς· τοῖς ἀπ᾽ ἐκείνου νομισθεῖσι χρῆσθαι. *Majorem etiamnum nationum partem, quæ tum IN CONTINENTE ASIA Romanis parebant, PROPRIIS LEGIBUS, & certa Reipublicæ forma conſtituit ac decoravit: ita ut etiamnum hiſce ab eo ſtatutis vivant.* Nempe prout ἤπειρος, *continens Aſia*, hic & alibi paſſim a *(u)* Dione, ut obiter hoc notem, idque veterum Græcorum more, de illo Aſiæ tractu, qui parebat Romano Proconſuli, dicitur: qui cæteroquin uno *Aſiæ* nomine a Græcis Latiniſque Romanarum rerum Scriptoribus, ubi hæc in provinciæ formam eſt redacta, vulgo ſolet deſignari. Antiquam ve-

(ſ) Canon. Iſag. p. 301. Grut. Theſ. MCV.

(t) Lib. XXXVII. p. 38.

(u) Idem Lib. XLVIII. p. 371. L. 2. p. 422. 436. &c.

ro hanc *Asiæ continentis*, de eadem *Asia*, quæ a *(x)* Cicerone ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia, constare dicitur, appellationem exstitisse, docebit antiquus Auctor *(y)* Æschylus:

Λιποῦσα δ' Εὐρώπης πέδον,
ΗΠΕΙΡΟΝ ἥξεις ΑΣΙΑΔΑ.

Solum autem Europæ relinquens,
Pervenies in CONTINENTEM ASIAM.

alibi autem solo Ἠπείρῳ, sive *Continentis* nomine *(z)* πᾶσαν Ἠπείρου πλάκα, *solam continentis plagam* (ut de hac vocis *plagæ* apud Romanos origine haud dubitare liceat) appellat: prout similiter ab aliis Tragicis ac Auctoribus, ac præter alios, insigni apud Aristidem loco, *(a)* ubi maritima hæc Asiæ pars dicitur, *ablatum continentis nomen sibi proprium vindicasse*, ἀφελομένη τὴν ἠπείρου τοὔνομα, ἑαυτῆς ἴδιον πεποίηται. Notum alioquin *continentes provincias*, quod de iis tradit *(b)* Ulpianus a Romanis Scriptoribus dictas, quæ Italiæ erant junctæ, puta Galliam, uti & Siciliam, modico freto ab Italia divisam. Eandem vero *Asiam*, quam usque ad Mithridatici belli tempora, αὐτόνομον, *suis* seu *patriis utentem legibus*, jam sub ipso Persarum aut aliorum etiam Regum, dein sub Romanorum imperio vidimus; eodemque mox jure, sua ad Mithridatem defectione, excidisse; a Lucullo dein restituta legum æquitate recreatam; novam rursus a Pompeio legum & Reipublicæ formam, & juxta quam deinceps eadem constituta manserit, nactam, ex hoc Dionis loco licet percipere. Cujus equidem adducta

(x) Pro Flacco c. 27.
(y) Prometh. v. 734.
(z) Pers. v. 720.
(a) Orat. de Concord. Urb. p. 301. T. II.
(b) Leg. XCIX. D. de Verb. Signif.

ea

ea de re verba, *νόμοις τε ἰδίοις, καὶ πολιτείαις κατεστήσατο καὶ διεκόσμησε*, eandem ibi vim habere liquet, quam vulgo ea in re apud Græcos, quod ſupra obiter diximus, obtinent, de iis urbibus vel gentibus, quæ ſuis uterentur legibus, ſolemnes illæ formulæ, *τοῖς ἰδίοις νόμοις χρῆσθαι, τοῖς ἰδίοις θεσμοῖς, καὶ τὰ ἴδια νόμιμα*, ac apud Polybium ſimiliter de Lacedæmoniis & Antigono: *(c) τότε πολίτευμα τὸ πάτριον αὐτοῖς κατασήσας, avita illis Reipubl. forma reſtituta:* ac in adductis ſupra ejuſdem Auctoris verbis: quibus conſona illa apud Dionem: *(d) πολιτείαις καὶ νόμοις χρώμεναι τοῖς πατρίοις, avita Reipubl. forma & patriis utentes legibus.* Quomodo tamen hunc Dionis ea de re locum ita hic licet adſequi, ut non veram adeo & priſtinam, qua illi antea fruebantur *autonomiam*, veteremque plane eorum Reipublicæ formam, omnino hiſce Aſianis a Pompeio redditam intelligamus: quam ut certo & proprio jure, ſtataque Reipubl. forma, iidem deinceps regerentur, eum diligenter conſtituiſſe ac providiſſe. Haud aliter nempe ac de *Magnetibus* dicentem paullo ante vidimus Tacitum; *(e) quod ii Sullæ CONSTITUTIS nitebantur*, quibus ille ob præſtitam bello Mithridatico fidem & virtutem eos *decoraverat*; & quod hic ſimiliter de illis Aſiæ urbibus vel populis a Dione dicitur, quos Pompeius propriis legibus & certa Reipubl. forma *conſtituit ac decoravit, κατεστήσατο καὶ διεκόσμησε.* Quum tamen hiſce *Magnetibus*, aut *liberis*, juxta *(f)* Ciceronem, *(g)* Strabonem, *(h)* Suetonium, *(i)* Appianum, & de quibus jam ante, *Apollonidenſibus*, *Cyzicenis*, *Chiis*, *Erythræis*, *Ilienſibus*, aliiſve adhuc Aſianis, ſi qui tum fidem ſuam ac virtutem Romanis probaverant, ea quæ Sulla reliquerat, aut, quod ait ibi Tacitus, conſtituerat jura, non ademiſ-

(c) Lib. II. p. 154.
(d) Lib. III. p. 295.
(e) Annal. III. c. 62.
(f) Pro Flacco c. 29.
(g) Lib. XII. p. 576.
(h) In Tiberio c. 37.
(i) Mithridat. p. 210.

ſe

se Pompeium, liceat omnino statuere. Quomodo insuper *Phocæam* in eadem provincia urbem, ac Massiliæ metropolim, cuique devicto Antiocho αὐτονομίαν, ut e Polybio ac Livio paullo ante vidimus, Romani concesserant, *liberam* ab eodem Pompeio relictam tradit (*k*) Dio. Etsi alioquin multa iis in Asiæ partibus, quo illæ deinceps felicius vel pacatius agerent, ac in fide populi Romani certius ac validius continerentur, ab eo constituta quoque & provisa, quod ex adductis Dionis verbis discimus, fuerint. *Ionicarum* equidem urbium insignem, qua illæ sub Romanorum imperio fruebantur, *libertatem*, apud M. Agrippam extollebat, qui ibi Judæorum agebat caussam, ut apud (*l*) Josephum legitur, Nicolaus Damascenus. Hinc liberis ejusdem Asiæ Proconsularis civitatibus, adhuc M. Antonini Imp. temporibus, præfuisse Herodem Sophistam seu Atticum, & e quarum numero fuerit *Troas*, docet, de quo infra dicetur, & quod obiter supra jam indicavimus, (*m*) Philostratus. Ad quas autem *liberas* ac αὐτονόμους hujus Proconsularis Asiæ urbes respiciunt itidem præclari & singulares quidam vel *Bargyliorum*, vel *Halicarnassi*, utriusque in Caria urbis, nummi: prior, sub Caio Caligula: alter sub Geta; qui ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, & de quibus paullo post agetur, elogium utrique illi civitati tribuunt. Quomodo insuper duæ in eadem Caria urbes, *Aphrodisias* & *Stratonicea*, *liberæ*, & Cæsare quidem, qua de re mox, vel Augusto auctore, a (*n*) Plinio dicuntur. *Pompeiæ* alioquin *legis*, sed qua Pontus & Bithynia, quas, devicto & sublato Mithridate, ante continentem Asiam, ut ibidem (*o*) Dio, adierat, fuerunt ab eo ordinatæ, occurrit haud semel mentio in Plinii, earundem regionum

(*k*) Lib. XLI. p. 165.
(*l*) Antiq. L. XVI. c. 4.
(*m*) De Soph. L. II. p. 547.
(*n*) Lib. IV. Sect. 29.
(*o*) Lib. XLI. p. 154.

tum

tum Rectoris ad Trajanum *(p)* Epistolis. Mitto *Sincpen* & *Amisum*, Ponticas urbes, libertate itidem sive αὐτονομίᾳ, bello Mithridatico a Lucullo jam ante, juxta *(q)* Appianum donatas: quamque a Pharnace urbi *Amiso*, ereptam, ei dein a J. Cæsare, postea etiam ab Augusto restitutam vel confirmatam, *(r)* Strabo ac *(s)* Dio tradiderunt. Hinc plures nummi hujus civitatis etiamnum superstites, & qualis pridem e Gaza Medicea est *(t)* a me adductus; in quibus jus illud *Liberæ Amisi* ΑΜΙΣΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ, sub Hadriano, Commodo, Antonino Caracalla, & Maximino adhuc sibi vindicat: adscripta in iis quoque a parta, post depulsam ab ea Stratonis tyrannidem, libertate, urbis æra. Sed de qua *libera & suis legibus utente*, juta juniorem *(u)* Plinium, *Amiso* dicetur adhuc infra.

Ad eos vero Αὐτονόμους in Asia sub Romanorum imperio, & libera adhuc ipsa aliarum urbium principe ac Regina, populos referri itidem debent memorati a *(x)* Cicerone, qui illi provinciæ præfuit, *Eleutherocilices:* quod autem nomen iis ad sua usque tempora a Myrina Amazone, a qua liberi iidem sint relicti, hæsisse tradit *(y)* Diodorus. Eos autem ita dictos ab ea *Ciliciæ* parte, quam qui incolerent, sua ætate adhuc Ἐλευθερῖται sunt appellati, notat, & quod alibi dudum *(z)* monui, Stephanus. Cujus autem privilegii ac juris, quo fruerentur adhuc sub Imperatoribus, iisque etiam ævo Constantinianeo proximis, aut vero quod denuo fuerint nacti iidem *Cilices*, luculenti etiamnum ac patrii testes selecti ac insignes va-

(p) Lib. X. Epist. 83. 113. 115.
(q) Mithridat. p. 175. 222.
(r) Lib. XII. p. 547.
(s) Lib. XLII. p. 207.
(t) Diss. de Præst. Num. p. 783.
(u) Lib. X. Epist. 93.
(x) Ad Attic. L. V. Epist. 20. Famil. L. XV. Ep. 4.
(y) Lib. III. p. 188.
(z) Diss. de Præst. Num. p. 785.


ria-

riarum ejuſdem Ciliciæ urbium nummi, qui in ditibus talium cimeliorum Gazis vel Muſæis proſtant, Quales utique conſpiciuntur duarum gentis metropoleon, *Tarſi*, & *Anazarbi* ; *Diocæſareæ* præterea, *Coryci*, *Sebaſtes*, *Seleuciæ ad Calycadnum* ; in quibus, ut poſtea luculentius conſtabit, vel ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ vel ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Liberæ*, aut *ſuis legibus* utentis jus manifeſto tribuitur. Quibus accedit, prout a Græcis dicebatur alia adhuc Ciliciæ civitas, *Mopſueſtia*, non in veteri ſolum & dicata in honorem Antonini Pii Imp. quam e (*a*) Gruteriano Theſauro dudum quoque (*b*) protulimus, inſcriptione ; ubi utrumque ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Liberæ Et Suis Legibus Utentis* privilegium eadem urbs ſibi vindicat ; ſed præterea cum eodem illo ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ jure, in ſingulari prorſus nummo, nec alibi, quod equidem ſciam, hactenus viſo, ſplendidiſſimæ ſereniſſimi Boruſſorum Regis Gazæ, quamque in noviſſimo (*c*)Theſauro Brandenburgico vulgavit,cui hæc antiquitatis ſtudia plurimum debent, Begerus noſter. Exhibet vero ille, non alicujus Romani Imperatoris, ut Antonini Pii, aut eo recentiorum, (quales etiamnum conſpiciuntur alii ejuſdem urbis, & de quibus mox dicetur,nummi,) ſed Jovis laureati caput : unde & ex ipſa inſcriptione ſeu literarum apicibus, de nummi illius vetuſtate licet ſtatuere ; in averſa autem ejus parte, Aram accenſam, cum epigraphe, ΜΟΨΕΑΤΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ *Mopſeatarum Sacræ Et SUIS LEGIBUS*, infra Μ ΗΓ, quod æram urbis, quæ comparet in aliis ejus nummis Cæſarianis quales jam deſcripſerunt diligentes antiquarii, haud notat : maxime quum nulli æræ conveniat duarum ſimul literarum monogramma ΗΓ ibidem inſculptum, ſed

(*a*) Pag. CCLV.
(*b*) Diſſ. de Præſt. Num. p. 785.
(*c*) Theſ. Brand. Tom. III. p. 67.

Hyn.

Ἡγεμόνος *Præsidis*, aut Ἡγησάνδρου *Hegesandri* vel *Hegesippi*, proprium nomen, aliudve simile possit eodem designari.



Ex ipso vero **ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ** privilegio ibi consignato abunde liquet, cur a Plinio *(d) libera* eadem dicatur; nempe *MOPSOS LIBERAM Pyramo amni impositam:* prout *Ægas* quoque, aliam insuper Ciliciæ urbem, *liberam* vocat ibidem Plinius. Sicuti vero modo duabus vocibus Μόψου ἑστία, vel ἑστία Μόψου, ut postremum istud alicubi apud *(e)* Appianum: modo una voce Μοψουεστία dicta est eadem urbs a Græcis, ac in veteri ejus inscriptione, de qua paullo ante, ac inde etiam ab *(f)* Ammiano Marcellino, *Mopsuestia*: ita incolæ ejus, sive gentile loci, una voce non Μοψεάται solum, ut observat Stephanus, sed quod jam viderunt ad eundem Ἐθνικογράφον viri docti, Μοψουεστιεῖς *Mopsuestienses*, ut præter *(g)* Josephum eo loco, quem pridem videram, ac ubi factum illud eorundem *Mopsuestiensium* tangit, quo Rege Antiochenus Grypus, quod pecunias ab iis exigeret, est cum Regia & amicis ab iis combustus, quodque horum incolarum facinus memorat quoque

(d) Lib. V. Sect. 22.
(e) Syriac. p. 132.
(f) Lib. XIV. c. 8.
(g) Antiq. L. XIII. c. XXI. p. 460.

 (h) Ap-

(*b*) Appianus. Mitto quod Μοψουεστηνοὶ *Mopsuesteni*, ut monuerunt itidem ad Stephanum viri docti, sint iidem appellati. Etsi vero tria illa occurrunt apud veteres Auctores gentilia hujus loci nomina, quod sæpe de aliis Græcorum urbibus factum, e Stephano pridem alibi, ac e nummis ipsis antiquis observavimus, prius illud tamen Μοψεατῶν, fuisse vetus & antiquum urbis illius gentile & quidem κατὰ τὸ ἐπιχώριον, omnino arguunt plures illi, nec unius etiam ætatis antiqui ejus nummi. Quum autem ab ejus conditore *Mopso* augure hæc urbs Græca, in ora Ciliciæ maritimæ, uti de ea (*i*) Cicero alicubi, condita, nomen illud Μόψου ἑστίας tulerit, hoc est *Mopsi Foci*, sive *Aræ*, sive *Larium*, pro obvia vocis ἑστίας quam (*k*) alibi illustravimus, apud veteres Græcos significatione, hinc opportune omnino consignata occurrit in hoc insigni nummo, qui hanc ejus originem indicat, & quod proinde præteriri ad eundem non debuit, Ara accensa. Jovis autem caput inde quoque in eodem nummo sculptum, quod ipse summus haberetur auspiciorum & auguriorum, quibus inclaruerit hic Mopsus, præses: ac unde ab alio præstantissimo itidem augure, Amphiarao nempe, auspicium ex avibus capturo, quod in (*l*) alio opere haud ita pridem adnotavi, invocatur apud Statium: (*m*)

Juppiter omnipotens, nam te pernicibus alis
Addere consilium:

& mox,

Ditior ille animi, cui tu, Dictæe, secundas
Impuleris manifestus aves:

(*h*) Diss. de Præst. Num. p. 910.
(*i*) De Divinat. L. 1. c. 40.
(*k*) Diatrib. de Vesta Græcor.
(*l*) Observ. ad Callim. p. 620.
(*m*) Theb. Lib. III. v. 471.

ac unde insuper *interpretes Jovis Optimi Maximi augures* dicuntur ab augure *(n)* Cicerone. Exstat vero vetus Epigramma, inscriptum εἰς τὴν Μόψου ἑστίαν, *In Mopsuestiam*, juxta genuinum proinde ac antiquum urbis illius nomen:

> Μόψου τὴν δὲ εἰσορᾷς κλεινὴν πόλιν, ἥν ποτε μάντις
> Δείματο, τῷ ποταμῷ κάλλος ἐπικρημνάσας.

Mopsi hanc vides claram urbem, quam quondam augur Ædificavit, flumini, Pyramo nempe, de quo paullo ante *decus superimponens.* Occurrit vero ut obiter hoc addam *Anazarbi,* de qua infra dicetur, in eadem Cilicia nummus, in qua ejusdem fluvii *Pyrami,* ad quem ea urbs itidem adjacebat, spectatur typus simul ac nomen; nempe in L. Vero Regiæ Gallorum Gazæ, ΠΥΡΑΜΟϹ ΤΩ ΑΝΑΖΑΡΒΩ ΕΤ. ΒΠΡ. *Pyramus Anazarbi*, (sive ad Anazarbum.) *Anno CLXXXII.* ac similiter in alio ejusdem Gazæ ΙΕΡΑΠΟΛ. ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΠΥΡΑΜΩ, *Hierapolitarum Ad Pyramum*, inter Græcos illius Thesauri nummos, qui ad Cæsareanos non adtinent, nullam certe Imperatoris Romani effigiem, iis vulgo antiquiores, exhibent. Eundem vero nummum adduxit quoque *(p)* vir eruditus, sed quem non ad hanc, de qua hic agitur, *Mopsuestiam* sed *ad Anazarbum* placuit illi, sed minus consulto, referre: adde male ab eo descriptum, ΜΗΤΡΟΠ. pro ΙΕΡΑΠΟΛ. ΤΩΝ Π. Τ. Π. prout legi omnino in eodem nummo monuit me, qui hæc præstantissima Gazæ illius Regiæ cimelia non versavit solum diu ac attente, sed accuratissime insuper delineavit, antiqui hujus æris callentissimus Morellus noster.

Haud aliter vero ac hi, de quibus egimus, *Eleutherocilices*, ita quoque *Eleutherolacones*, quorum meminit *(q)*

(n) De Legib. L. II. c. 8.
(o) Anth. L. IV. c. 28. Ep. 9.
(p) Harduin. Num. Urb. p. 319.
(q) Lib. VIII. p. 366.

Strabo, appellati; quos autem non de Spartæ quidem incolis, sed de nonnullis, quæ sub Spartanorum ditione erant, oppidis, & quæ eorundem Laconum legibus exemerit Augustus, dictos refert (r) Pausanias. Exstat eorum mentio in antiqua inscriptione apud (s) Reinesium: nempe ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ ΤΩΝ ΕΛΕΤΘΕΡΟΛΑΚΟΝΩΝ, *Commune Eleutherolaconum*, sive *Liberorum Laconum*. De ipsis vero Laconibus in genere, ut vere ac ab antiquo αὐτονόμοις, dixit alicubi Cicero: *(t) Lacedæmonii SOLI toto terrarum orbe septingentos annos amplius unis moribus, ET NUNQUAM MUTATIS LEGIBUS vivunt:* immo jam ante similiter a Polybio (u) traditum, Lacedæmoniis Lycurgum diutius libertatem conservasse, quam sit ab ullo populo orbis cogniti factum. Unde etiam ἐλευθερώτατοι τῶν Ἑλλήνων, *Græcorum maxime liberi* dicuntur ab Apollonio apud (x) Philostratum. Argivos certe nobilitate a Spartanis superatos, quod, hi se αὐτονόμους conservassent, observat (y) Strabo; eosque mansisse sub Romanis liberos, nihil præter socias operas Romanis pendentes. Idem quoque de *Sardinia*, quæ ad sua usque tempora, juxta veteris oraculi fidem, inconcussam retinuerit αὐτονομίαν, auctor est (z) Diodorus. In vicina vero eidem insulæ Sicilia, *Thermitanis*, quod ante vidimus, *suas leges* redditas a Romanis, tradit (a) Cicero: (b) alibi autem, duas in eadem provincia liberas urbes & fœderatas agnoscit, *Mamertinam & Tauromenitanam:* tum quinque præterea, quamquam non fœderatas, immunes tamen ac *liberas, Centuripinam* nempe, *Halesinam*, *Segestanam*, *Haliciensem*, *Panormitanam*, etsi non plena earundem, uti & aliarum adhuc Siciliæ urbium, sed restricta fuerit, quod

(r) Lib. III. p. 203.
(s) Synt. p. 457.
(t) Pro Flacco c. 26.
(u) Lib. VI. c. VIII. p. 639.
(x) Lib. VI. c. XIII. p. 292.

(y) Lib. VIII. p. 376.
(z) Lib. V. p. 296.
(a) In Verrem II. c. 37.
(b) In Verrem III. c. 6.

supra

ſupra vidimus, *autonomia.* Mitto in Illyrico *Dyrrhachium*, quam *liberam urbem* vocat alibi idem *(c)* Tullius : aut in Africa, quod antea vidimus, *Leptim, liberam civitatem & immunem*, juxta *(d)* Scriptorem belli Africani : aut tot *liberas* in Hiſpania, quarum meminit *(e)* Plinius, civitates : aut in provincia Galliæ Narbonenſis, *Maſſiliam*, cui eam, quam ab antiquo ſub Romanis fruebantur, *αὐτονομίαν* & *libertatem*, ac unde *fortiſſimorum fideliſſimorumque ſociorum* civitas a *(f)* Cicerone dicitur, a Cæſare, eadem expugnata, quod obiter ſupra adtigi, relictam docent *(g)* Strabo, ac *(h)* Dio, & innuere voluit Cæſar *(i)* iis verbis, quibus ſe Maſſilienſes *magis pro nomine & vetuſtate, quam pro meritis in ſe civitatis* conſervaſſe teſtatur.

Equidem, quod vel ex antedictis liquere poteſt, vix ulla nobilior erat populi Romani provincia, in qua non darentur aliquæ aut plures etiam civitates, quæ ob ſingularem in populum Romanum fidem, aut antiqua earundem urbium decora, liberæ ac ſuis legibus viverent. Quo ſpectant ea Cæſaris de illo Romanorum inſtituto ad Arioviſtum verba : *(k) Populi Rom. hanc eſſe conſuetudinem, ut ſocios atque amicos, non modo SUI NIHIL DEPERDERE, ſed gratia, dignitate, honore auctos velit eſſe.* Unde ab eodem Cæſare idem *ſuarum legum* beneficium Æduis relictum, docet ipſemet : *(l) Quod legibus Æduorum, iis qui ſummum magiſtratum obtinerent, excedere ex finibus non liceret : NE QUID DE JURE aut LEGIBUS eorum diminuiſſe videretur, ipſe in Æduos proficiſci ſtatuit* ; ac de Atrebatis ſimiliter : *(m) Pro quibus meritis civitatem ejus* (Atrebatenſis Cornii) *immunem eſſe juſſerat, JURA*

(c) Lib. XIV. Epiſt. I.
(d) Cap. 7.
(e) Lib. III. c. 3.
(f) Pro Fonteio c. 3.
(g) Lib. IV. p. 181.
(h) Lib. XLI. p. 165.
(i) Bell. Civ. L. II. c. 42.
(k) Bell. Gall. L. I. c. 43.
(l) Ibid. Lib. VII. c. 33.
(m) Ibidem c. 76.

LE-

LEGESVE reddiderat. Immo qui ab initio illius belli cum Ariovisto gesti, & facta de Avernis & Rutenis, a Q. Fabio Maximo antea domitis, mentione, addit, *(n) si judicium Senatus servari oporteret, LIBERAM debere esse Galliam; quam bello victam SUIS LEGIBUS uti voluisset.* Quomodo etiam apud Plinium plures dicuntur liberi Gallorum populi, sicut, *Nervii, Suessiones, Santenes, Treviri, Bituriges, Secusiani*, aliique: sive ii hoc beneficium a Cæsare, vel ab ejus successoribus, de quibus postea dicetur, sint consequuti. Ad quam etiam Cæsaris, antequam is summæ rerum præesset, benevolum in liberos ac suis legibus utentes populos animum, referri debet præclarus apud Ciceronem locus, & cui lux aliqua simul est adferenda. Exstat ille oratione in Pisonem: *(o) obtinuisti provinciam consularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepigerat: nam LEGE CÆSARIS justissima atque optima, POPULI LIBERI plane & VERE ERANT LIBERI: lege autem ea, quam nemo legem præter te & collegam tuum putavit, omnis erat tibi Achaia, Thessalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta.* Nempe L. Pisoni Cæsaris Socero obtigerat consularis, quam per triennium administraverat, provincia Macedonia, e qua autem, adnitente maxime Cicerone, fuerat ille revocatus, decreto ei a Senatu successore, *(p)* Q. Anchario. Eadem vero Macedonia pridem ante, post victum ab Æmilio ultimum Macedonum Regem Perseum, in provinciæ formam fuerat quidem redacta: ita tamen, quod jam ante vidimus, ut *liberos Macedonas, et suis utentes legibus* Romani, teste Livio, & cui accedit Plutarchus declararent. Unde etsi sequutis mox ætatibus, ac pro temporum conditione, vel incolarum merito, ut de Thessalis supra querentem

(n) Ibid. L. I. c. 45.
(o) Cap. 16.
(p) Ibidem c. 36.

dix-

diximus Philippum, penultimum Macedonum Regem, (*s*) *insolenter & immodice abuti Thessalos indulgentia Populi Romani*; aut Præsidum ingenio ac libidine, imminuta fuissent paulatim, aut conculcata illa Macedonum privilegia; ævo tamen Cæsaris *pars* Macedoniæ adhuc, quod adducta jam ante verba aperte indicant, & aliis similiter liberis populis sive *αὐτονόμοις* concessum est a Romanis, *libera* etiamnum appellabatur. Quum autem ea populorum id genus liberorum & suis legibus utentium jura subinde Romani earum Provinciarum, in quibus siti iidem erant, Rectores labefactarent, ac pessumdarent; lex est a J. Cæsare in primo ejus consulatu, & stante adhuc Republica, lata, *ut populi liberi, plane & vere essent liberi*: Quomodo eandem legem Juliam, cujus ab hoc ejus socero nulla omnino ratio fuerat erga *liberos* Macedonas, quibus ille per triennium præfuerat, habita, tangit in sequentibus Cicero: (*t*) *Mitto EREPTAM LIBERTATEM populis, ac singulis, qui erant adfecti præmiis nominatim, quorum nihil est, quod non sit LEGE JULIA, ne fieri liceat, sancitum diligenter.* Unde alibi (*u*) *de vexatione Macedoniæ*, aut *strage* illius *provinciæ*, cujus auctor fuerat idem (*x*) *hic vulturius illius provinciæ* Piso, loquitur in eadem Oratione, Tullius. Quod vero priori loco, ut vidimus, continuo subdit, *de omni Achaia, Thessalia, Athenis, cunctaque Græcia*, similiter eidem Pisoni *addicta*; id omnino innuit, quod pluribus dein ac citra finem illius in Pisonem Philippicæ dicitur: (*y*) *Achaia exhausta, Thessalia vexata, laceratæ Athenæ, Dyrrhachium & Apollonia exinanita, Ambracia direpta, Parthini & Bullienses illusi, Epirus excisa, Locri, Phocii, Bœotii exusti, Acarnania, Amphilochia, Perrhæbia, Athamanumque gens vendita, Ma-*

(*s*) Lib. X.
(*t*) In Pison. c. 36.
(*u*) Ibidem c. 17.
(*x*) Ibidem c. 16.
(*y*) Ibidem c. 40.

cedo-

cedonia condonata barbaris, Ætolia amissa. E quibus autem commemoratis modo populis vel oppidis *Achæorum*, sive pluribus in ea gente, quod vel e *(z)* Plinio juniore, & qua de re postea dicetur, civitatibus, *Athenienses* insuper, *Thessalos*, ut de aliis jam nihil dicam, liberos ac αὐτονόμους, ea tum ætate exstitisse, jam ante vidimus. De eodem vero J. Cæsare id alioquin tradit Auctor belli Alexandrini, *(a)* eum confecto bello Ægyptiaco, *quas in provincias regionesque venisset, eas ita relinquere constitutas* (nempe, ut mox addit, *Syriam, Ciliciam, Asiam*) intendisse, *ut domesticis dissensionibus liberarentur, JURA LEGESQUE acciperent.* In quibus tamen provinciis ac in *Syria* quidem, ubi tum agebat Cæsar, varias urbes *liberas* in ea & αὐτονόμους ab eo relictas, vel ex iis, quæ de *Antiochia*, ac *Laodicea* diximus, licet statuere: ac prout etiam *libera* utraque illa civitas, præter Pieriæ *Seleuciam*, a *(b)* Plinio traditur. Quo respiciunt ea, quæ mox ab eodem belli Alexandrini Scriptore, de Cæsare adhuc in Syria morante dicuntur: *(c) Commoratus fere in omnibus civitatibus, quæ majore sunt dignitate*, quales utique in ea provincia dictæ modo Antiochia, ejusque æmula *Laodicea*, *præmia bene meritis & viritim & publice tribuit.* Idem in *Cilicia*, ejus provinciæ civitatibus Tarsum evocatis, a Cæsare quoque constitutum, docent proxima ejusdem Auctoris ea de re *(d)* verba. Quibus, certe sub Augusto, temporibus *liberam* jam exstitisse, uti eadem a *(e)* Plinio, ac in nummis ejus antiquis, de quibus postea, dicitur, ac αὐτόνομον illius provinciæ metropolim *Tarsum*, vel ex iis liquere potest, quæ de eadem, tanquam huic Cæsari, uti & Augusto, de quo mox, impense addicta refert *(f)* Dio Cocceianus:

(z) Lib. VIII. Epist. 24.
(a) Cap. 65.
(b) Lib. V. Sect. 18.
(c) Cap. 65.
(d) Ibidem c. 66.
(e) Lib. V. Sect. XXII.
(f) Lib. XLVII. p. 342.

Adeo

adeo ut *Tarsenses* ejus nomine Ἰουλιόπολιν *Juliopolim*, urbem suam nuncuparint. Quomodo postea eadem urbs, ut vel inde peculiare quoddam illius ea in re studium ac institutum liqueat, adsumptis aliorum quoque Imperatorum, nempe Augusti, Hadriani Severi, Antonini Caracallæ, Macrini, & Alexandri Severi nominibus, ΣΕΒΑΣΤΗ, ΑΔΡΙΑΝΗ, CΕΥΗΡΙΑΝΗ, ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗ, ΜΑΚΡΕΙΝΙΑΝΗ, & ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, *Augusta*, *Hadriana*, *Severiana*, *Antoniniana*, *Macriniana*, & *Alexandri* inscribitur in variis & selectis eorundem Cæsarum nummis, & cujusmodi plures versavimus in Thesauris Gallorum Regiis, & novissime describi videas in luculento Cl. Vaillant de nummis Imperatorum Græcis commentario. Idem vero, quod in *Syria* ac *Cilicia*, ut modo vidimus, ita in *Asia*, Proconsulari nempe dein dicta, ac ad Pompeii, ut hoc addam, & de quo supra, exemplum, rebus nempe itidem in Ponto post debellatum Pharnacen constitutis, fecisse Cæsarem, docet sub *(g)* finem ejusdem libri Hirtius, seu quisquis ejus Auctor: *Iter per Gallogræciam Bithyniamque in ASIAM fecit, omniumque earum provinciarum de controversiis cognoscit & statuit: JURA in Tetrarchas, Reges, CIVITATES distribuit.* Hinc *Ephesii* (quod iis postea, qui ad Bruti & Cassii partes transierant, objicit apud *(h)* Appianum M. Antonius) tertia vectigalium parte a Cæsare sublevati; illisque insuper, ut ab agricolis vectigalia cogerent, permissum. A quo proinde Cæsare declarati forte Αὐτόνομοι, ut in memoratis paullo ante nummis inscribuntur, *Ephesii*. Idem vero *Iliensibus libertatem*, præter agrum, & ab oneribus publicis immunitatem, concessisse apud *(i)* Strabonem legitur: in Caria vero *Aphrodisienses & Stratonicenses*, quos *liberos* a Plinio dici paullo ante vidimus, Dictatoris Cæsaris, ob *vetusta in partes merita*, decretum (de Asyli nempe jure, quo ii nitebantur) Ro-

(g) Cap. 78.
(h) Bell. Civ. L. V. p. 673.
(i) Lib. XIII. p. 595.

mam adtulisse dicuntur apud (*k*) Tacitum. Utrum vero Cæsaris, ut arbitratur (*l*) vir eruditione ac ingenio præstans, an altero potius ac recentiori, cujus ibidem meminit Tacitus, decreto, iidem *Stratonicenses* sint libertatem consequuti, mox videbitur. Ne ea hic tangam, quæ de *Bargyliis* in eadem Caria, fide veteris nummi, αὐτονόμοις, ac jus illud dudum ante Cæsarem a Publio Lentulo jam nactis, & qua de re paullo post; aut quod de *Mylasis* & *Alabanda*, ut *liberis* quoque Cariæ oppidis, notat (*m*) Plinius. Mitto denique *Judæos*, quibus *suas leges* ac patria instituta reliquisse Cæsarem, prolatis haud unis illius ea de re decretis vel edictis, ut id paullo ante adtigimus, abunde docebit Josephus: immo quo nomine, ut jus illud suarum legum adipiscerentur, Romanis δίδραχμον eosdem pendidisse tradit (*n*) Dio.

(*k*) Annal. III. c. 62.
(*l*) Hard. de Num. Urb. Ill. p. 474.
(*m*) Lib. V. Sect. 22.
(*n*) Lib. LX.

CAPUT

CAPUT XII.

De eadem ſuarum legum *libertate ab AUGUSTO data, vel relicta Dionis Cocceiani loca ea de re adducta & illuſtrata. Duo tum populorum vel urbium in Orbe Romano genera* τὸ ὑπήκοον, & τὸ ἔνσπονδον, ſubjecti *ac* fœderati. *Quædam urbes ab Auguſto libertate privatæ. Ejus cæteroquin in concedenda* Autonomia *facilitas. Exempla de* Gallia, Hiſpania, Pamphylia, *de qua Dionis locus illuſtratus*, Lycia, Sardinia, Cydoniatis & Lappæis *in* Creta, *ac de vero poſtremæ illius urbis nomine, Theophraſtus ac Polybius emendati. De nonnullis* Aſiæ Proconſularis *urbibus, ac* Ionibus *in ſpecie* apud Joſephum αὐτονόμοις *ſub eodem Auguſto. De* Tarſo Ciliciæ *Metropoli* libera *ac* immuni, *& de beneficiis ab Auguſto in eandem collatis. Dionis Pruſæenſis locus ea de re adductus & explicatus, ac Dan. Heinſii ſententia de eodem confutata. De fluminis & maris vicini jure dato eidem* Tarſo. *De* Sardinia *ſub eodem principe adhuc* αὐτονόμῳ. *De* Judæis *itidem* αὐτονόμοις, *item ſub TIBERIO & CAIO. De varia*

Commagenes *in Syria Euphratensi ab iisdem Principibus, & sub CLAUDIO conditione. De* Bargyliis, *urbe* Cariæ, ΑΥΤΟΝΟΜΟΙΣ, *juxta antiquum Caii Caligulæ nummum. De* Rhodiorum & Iliensium *libertate sub Claudio a Nerone impetrata: de eadem* Lyciis *a Claudio adempta.*

EAndem vero suarum legum libertatem, sub AUGUSTI & successorum imperio, variis adhuc Orbis Romani gentibus vel civitatibus concessam primum, aut restitutam, e priscis itidem Auctoribus aliisve antiquis monumentis discimus. Cujus utique rei fidem continuo facit Dio Cocceianus, ubi de divisione Romani imperii sub Augusto instituta agens, post enumeratas provincias, quæ vel ab eo Principe, vel a Senatu Populoque Romano deinceps regerentur, addit: *(a)* τῶν δὲ δὴ λοιπῶν οὐκ ἐμνημόνευσα, ὅτι τὰ μὲν ὕστερον αὐτῶν προσεκτήθη, τὰ δὲ εἰ καὶ τότε ἤδη ἐκεχείρωτο, ἀλλ᾽ οὔτοι γε καὶ ἀπὸ τῶν Ρωμαίων ἤρχετο, ἀλλ᾽ ἢ ΑΥΤΟΝΟΜΑ ΑΦΕΙΤΟ, ἢ καὶ βασιλείαις τισὶν ἐπιτέτραπτο. *Cæteras vero non recensui, quæ vel tum temporis nondum a Romanis erant subactæ; aut subactæ quidem fuerant, SUIS tamen LEGIBUS ADHUC UTEBANTUR; vel quæ Regibus quibusdam concessæ fuerant.* Hinc eam Augusti vel indulgentiam, vel moderationem, qua is in concedendo aut relinquendo haud uni populo vel civitati illo *autonomiæ* & libertatis jure, sit largiter usus, inter alia illius Principis collata in genus humanum beneficia, non omisit Philo, qui de eodem ait: *(b)* οὗτος ὁ τὰς πόλεις ἁπάσας εἰς ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ ἐξελόμενος, *hic civitates universas LIBERTATE donavit.* Unde mox de eo-

(a) Lib. LII. p. 504.

(b) Legat. ad Caium. p. 1013.

dem Principe addit: *(c)* Ἤδεσαν αὐτοῦ τὴν ἐπιμέλειαν, καὶ ὅτι τοσαύτην ποιεῖται ΤΗΣ ΒΕΒΑΙΩΣΕΩΣ ΤΩΝ ΠΑΡ ΕΚΕΙΝΟΙΣ ΠΑΤΡΙΩΝ, ὅσην καὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν, *norant ejus adtentionem, qui non minus esset sollicitus de CONFIRMANDIS PATRIIS illorum INSTITUTIS, quam de Romanis curam gereret.* Quod utrumque in Augusto tangit adhuc gravis & Consularis Auctor, de quo modo, Dio: *(d)* Ο δὲ δὴ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ τὸ μὲν ὑπήκοον κατὰ τὰ τῶν Ῥωμαίων ἔθη διώκει· ΤΟ δὲ ΕΝΣΠΟΝΔΟΝ ΤΩ ΠΑΤΡΙΩ ΣΦΙΣΙ ΤΡΟΠΩ ΑΕΙ ΑΡΧΕΣΘΑΙ, εἴα· οὐδ' ἠξίωσεν, οὔτε ἐκείνων τι προσθέσθαι, οὔτε ἕτερόν τι προσκτήσασθαι, ἀλλ' ἀκριβῶς ἀρκεῖσθαι τοῖς ὑπάρχουσιν ἐδικαίου. *Dum hæc Romæ fiunt, Augustus interim subjectos, ex Romanarum legum præscripto composuit; FOEDERATOS autem UTI PERPETUO PATRIIS SUIS INSTITUTIS permisit: neque quidquam vel illis adimere, vel bello adquirere, sed plenissime contentos esse partis statuit.* Ita duo, etsi mutata Reipublicæ, quæ plane in unius arbitrium & potestatem tum concesserat, forma, manserunt in Orbe Romano regiminis genera: unum, quo τὸ ὑπήκοον, *subjecti nempe* ac *provinciales*, qui ex Præsidum Romanorum Edictis, iisque ferme ad Quiritium leges, qua de re jam ante, accommodatis regebantur: alterum vero, quo τὸ ἔνσπονδον, *fœderati* socii, quibus in fidem populi Romani acceptis vel deditis, adde, aut bene cæteroquin de Principe ac populo Romano meritis, suis legibus patriisque institutis, sicut jam ante, ita deinceps uti permittebatur: aut illius etiam, quo antea caruerant, juris beneficium iis tum primum concedebatur. Ut nunc sileam de fœderatis itidem seu precariis Regnis, quæ tangit quoque in commemoratis paullo ante verbis Dio: cujusmodi, præter nonnullos adhuc regulos, sive quarundam urbium tyrannos, erant ea ætate, *Judæa, Syria, Commagene, Armenia, Cappadocia, Ponti pars ac Bosporus Cimmerius, Thracia, Hiberia, Albania,*

(c) Ibidem p. 1014. (d) Lib. LIV. p. 526.

Mau-

Mauritania: quæ, uti & constitutæ sub eodem Augusto in Judæa *Ethnarchiæ*, vel *Tetrarchiæ (Galatiæ* enim *Tetrarchias* cum *Lycaonia*, post Regis Amyntæ mortem, in provinciæ formam redegerat idem Princeps) etsi majestatem ac amicitiam Cæsaris & Populi Romani comiter colere ac revereri tenerentur; certa etiam, prout id meruerant, aut *erant jam ante constituta*, ἐπὶ φόροις ἤδη τεταγμένοις, uti ea de re loco jam ante adducto Appianus, *tributa* persolvere: a jugo tamen Romanarum legum erant similiter libera, & quorum inde, in adductis prioribus Dionis verbis, cum αὐτονόμοις in Orbe Romano populis fieri mentionem cernimus.

Equidem hujus Augusti in concedendo aut relinquendo variis gentibus vel civitatibus illo αὐτονομίας jure, benignitatis, aut facilitatis illustria nobis exempla suppeditat idem, de quo modo, Dio. Quamquam de hoc Principe tradat Suetonius, (*e*) quod *urbium quasdam fœderatas, & ad exitium licentia præcipites, LIBERTATE PRIVAVIT.* Quod utique haud novum vel insolens videbitur, ut quod pro meritis id genus urbium erga Populum Romanum, vel ob antiqua loci decora impertiebatur *suarum legum* vel *libertatis* beneficium; idem illis, ubi se eodem indigno præstarent nec intra concessos continerent limites, continuo adimeretur. Cujus etiam rei testimonia cum jam ante adtigimus, tum postea adhuc commemorabuntur. Rebus certe ab Augusto in Gallia, Germania, & Hispania compositis, (*f*) τήν τε ἐλευθερίαν, καὶ τὴν πολιτείαν, quod postremum in priori Exercitatione jam vidimus, & hic alioquin, pro utroque illo hujus vocis πολιτείας apud Græcos Auctores usu, de *proprio magistratus jure*, seu avita Reipubl. iis in locis forma potest intelligi *libertatem*, quæ vulgo cum *autonomia* erat, ut antea diximus, conjuncta, & *civitatem* aliis dedisse, aliis vero ademisse tra-

(*e*) In Augusto c. 47. (*f*) Lib. LIV. p. 538.

dit

dit Dio: hoc eſt, prius quod adtinet, conſtituiſſe Auguſtum in iis gentibus civitates, alias quidem *liberas*; alias vero totidem *municipia* ſeu *oppida civium Romanorum*, ut hæc diſcrimina in deſcribendis Galliæ & Hiſpaniæ, aliiſque Romani Orbis populis ac oppidis, a Plinio paſſim tangi, ſupra vidimus. Ad quæ proinde Auguſti tempora referri poſſunt, ſicuti de *municipiis* ab eo conſtitutis ibidem egimus, plerique illi vel *liberi* apud Gallos *(g)*, quos idem Auctor enumerat, & paullo ante diximus, populi, *Nervii, Sueſſiones, Ulmanetes, Leuci, Treveti, Secuſiani*; aut in ulteriori Hiſpania *(h)*, ſex ſeptemve *donata libertate*, ut ex eodem diſcimus, *oppida*. Quo ſpectare itidem videntur, donatæ ſuis legibus *Pamphyliæ* civitates, prius Amyntæ Galatarum Regi adtributæ; prout ejuſdem Dionis *(i)* ea de re verba interpretatus eſt Xylander, τῷ ἰδίῳ νόμῳ ἀπεδόθη, *ſuæ ſunt libertati*, ſeu *ſuis legibus*, *reſtitutæ*: verum ubi, juxta Leunclavium non νόμῳ, ſed νομῷ legendum, reddendaque proinde, ut ab eo factum, eadem verba, *ſunt ſuæ præfecturæ adtributæ*: & prout alterum illud, non unius numero, ἰδίῳ νόμῳ, ſed ἰδίοις νόμοις, ab hoc Dione aliiſque, qua de re jam ante, dici ſolet. Etſi illam Xylandri interpretationem, ac proinde, ut ibi apud Dionem νόμῳ legatur, non νομῷ, tueri poſſet; tum quod de Ægyptiacis ferme *præfecturis* vox ea νομὸς uſurpari a Græcis Scriptoribus ſoleat, niſi quod νομὸν Βερεκύνθιον, *præfecturam Berecynthiam*, ac in Phrygia proinde, *(k)* ſitam, dixerit olim, ſed ut ad eundem notamus, Ægyptiorum more, Cyrenæus & Alexandriæ in Ægypto agens Callimachus *(l)*: tum quod necdum inter Populi vel Auguſti provincias eadem Pamphylia relata legatur apud hunc Dionem *(m)*, ubi earum paullo ante facta eſt ab illo men-

(g) L. IV. Sect. 31. 32.
(h) L. III. Sect. 3.
(i) L. LIV. p. 534.
(k) Obſerv. p. 299.
(l) Hym. in Dian. v. 246.
(m) L. LIII. p. 503.

tio;

tio ; nec apud Strabonem similiter (n) ubi eandem provinciarum institutam ab Augusto divisionem tangit. Quum tamen alteram ejusdem apud Dionem loci lectionem, νομῷ nempe, non νόμῳ, & explicationem, adstruat omnino alius, ut observo, ejusdem Auctoris locus (o), ubi Lyciis Claudius ademisse libertatem dicitur, καὶ ἐς τὸν τῆς Παμφυλίας νομὸν ἐσέγραψεν, ut bene ibi Xylander, & *Pamphyliæ adjecit*, seu *Pamphyliæ præfecturæ adtribuit.* Adde quod L. Piso *Pamphyliæ* sub eodem Augusto præfuisse, alibi ab eodem Dione (p) traditur. *Lyciæ* equidem, huic Pamphyliæ, ut modo diximus, conterminæ, iisdem Augusti temporibus, eam, qua pridem sub Romanis, quamque ei bello Mithridatico a Sulla restitutam ex Appiano supra vidimus, libertatem sive αὐτονομίαν adhuc adsertam, abunde docent Strabonis de iisdem *Lyciis* verba : (q) Εὐνομουμένοις αὐτοῖς, συνέβη παρὰ Ῥωμαίοις ΕΛΕΥΘΕΡΟΙΣ διατελέσαι, ΤΑ ΠΑΤΡΙΑ ΝΕΜΟΥΣΙ. *Iis ob rectam legum administrationem, contigit, ut sub Romanis LIBERI PERPETUO agerent, ac PATRIIS INSTITUTIS & terris fruerentur.* Ut mittam, quod eosdem Lycios *immunes a tributis* a M. Antonio, dum necdum ipse & Augustus bello dissiderent, relictos tradat Appianus (r). Quibus adnumerari debet *Sardinia* ; quam ad sua usque, ac proinde Augusti tempora, suis uti legibus, tradentem paullo ante vidimus Diodorum: quæ tamen cum Africa sola fuit inter Populi Romani Provincias, quam idem Augustus, teste (s) Tranquillo, non adierit. In *Creta* vero, quam, ante eandem a Metello subactam, perpetuam retinuisse libertatem, dixerat alibi Dio : (t) eam *Cydoniatis* & *Lappæis* (non, ut ibi legitur, *Lampæis*) ab Augusto restitutam, idem quoque memo-

(n) L. XVII. p. 840.
(o) L. LX. p. 676.
(p) L. LIV. p. 675.
(q) L. XIV. p. 665.
(r) Bell. Civ. L. V. p. 675.
(s) In Augusto c. 47.
(t) L. XXXVI. p. 8.

rat.

rat (*u*). Nempe ut haud frustra omnino, non quidem jus ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ vel ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, sed quod subinde iis jungi in antiquis id genus locorum nummis solet, ΑΣΥΛΟΥ, *Sacri* seu *Inviolati Soli*, ut hanc vocem explicat alicubi Livius (*x*), eidem *Lappæ* tribuat insignis ille, quem Romæ olim a me in cimeliis Reginæ Christinæ observatum pridem alibi indicavi (*y*), nummus, ΑΣΥΛ. ΛΑΠΠΑΙΩΝ. Unde etiam, uti & ex altero præclaro itidem Domitiani in Regiis Gallorum thesauris nummo, cum eodem nomine ΛΑΠΠΑΙΩΝ, & ex alio insuper Dionis loco (*z*), ubi is Λάππαν eandem vocat, verum illius urbis Creticæ nomen dudum adserui, (*a*), ac in Theophrasto (*b*) insuper notaveram, apud quem Λαπαίᾳ pro Λαππαίᾳ legitur, & quod postremum monuisse eruditissimum Meursium in ejus Creta (*c*) nunc video. Adeo ut aut idem Meursius; aut juxta Stephanum, vel, qui illud in compendium malo fato redegit, Hermolaum, doctissimus Holstenius (*d*), duplicem illius nominis scripturam admittere non debuerint: quod veteres utique ac indubiæ fidei ejusdem urbis nummi, & luculenta insuper apud Gruterum (*e*), in eademque civitate reperta, ut ibi legitur, inscriptio, ΛΑΠΠΑΙΟΝ Η ΠΟΛΙΣ, præter adducta Theophrasti ac Dionis loca, abunde redarguunt. Unde etiam, uti in altero Dionis loco (*f*), ita apud Polybium (*g*), ubi is ejusdem urbis meminit, Λαπταῖοι pro Λαμπαῖοι, levi utique ac obvio librarii, qui priscos codices jam insederat, errore, legendum liquet. Quamquam forte adstrui inde posset,

(*u*) L. LI. p. 443.
(*x*) L. XLV.
(*y*) Diss. de Præst. Num. p. 342. & 901.
(*z*) L. XXXVI. p. 8.
(*a*) Diss. de Præst. Num. ut supra.
(*b*) H. Pl. L. II. c. 8.
(*c*) Pag. 41.
(*d*) Not in Stephan. 186.
(*e*) Thes. MXCI. 9.
(*f*) L. LI. pag. 443.
(*g*) L. IV. p. 319.

ni obstarent vetera illa & authentica ejusdem loci monumenta, duplex illa ejusdem urbis, Λάμπης nempe, & Λάππης scriptura: quod Æolibus, ad quorum dialectum accedebat Cretensium, ut docent superstites etiamnum Fœderum (*h*) apud illos tabulæ, sermo, haud insolitum esset, quod de iis notant Grammatici, π in μ commutare. Sed hoc non tanti erat, ut eruendis hisce veris id genus urbium nominibus, ubi de summis earundem juribus ac immunitatibus agitur, nunc immoremur. *Patrensibus* vero, iisque solis *Achæorum*, datam ab Augusto libertatem, ac simul coloniæ jura, auctor est Pausanias (*i*): quod postremum, præter Strabonem (*k*), arguunt etiamnum veteres ejus sub Augusto nummi, a nobis pridem (*l*), ac a præstantibus antiquariis, Seguino, (*m*) ac nuper Vaillantio (*n*) descripti & vulgati; ac unde factum, ut eadem urbs *Patræ*, Corinthi loco, Achaiæ caput deinceps evaserit. Quomodo, ut id rursus a Dione dicitur (*o*), aut in Ionia *Samiis*, quod tradit etiam in Chronico Eusebius (*p*), in mercedem actæ apud eos hyemis, dum nempe Asiam, ut ex eodem Dione (*q*) constat, ordinaret Augustus, *libertas* est ab eo data: aut eadem *Cyzicenis* (*r*), quod illi cives Romanos necassent, sed quam dein eis restituit, adempta: aut in *Caria*, de quibus paullo ante egimus, *Aphrodisienses*, & *Stratonicenses*, quod *Parthorum*, Labieno nempe duce, *irruptionem, nihil mutata in populum Romanum constantia*, ut de utraque illa urbe Tacitus, (*s*) pertulissent

(*h*) Thes. Grut. DV. Marm. Oxon. pag. 116. P.1.
(*i*) L. VIII. p. 432.
(*k*) L. VIII. p. 387.
(*l*) Diss. de Præst. Num. p. 647.
(*m*) Select. Num. pag. 14. ult. edit.
(*n*) De Colon. Imper. T. 1. p. 58.
(*o*) L. LIV. p. 527.
(*p*) Ad Olymp. CXC. 3.
(*q*) L. LIV. 525.
(*r*) Ibid. pag. 537.
(*s*) Annal. III. cap. 62.

ſent (etſi id ſolis *Stratonicenſibus* imputat Dio (*t*) de utriſque vero ſilet, (*u*) Strabo) Auguſti decreto, cujus ibidem meminit Tacitus, libertatem, quam iiſdem tribuit Plinius (*x*), conſecutos licet ſtatuere. Immo liberas alioquin exſtitiſſe ſive αὐτονόμους Græcas in *Ionia* ſub Auguſto civitates, colligere licet e Judæorum in iiſdem urbibus agentium deprecatione apud Agrippam, quæ apud (*y*) Joſephum legitur. Ubi nempe iidem, de admiſſis in ſe Ionum injuriis querentes, eos, ut parum erga Cæſarem Populumque Romanum gratos perſtringunt: atque inter alia, quod *non inſervientium populorum numero, ſed LIBERORUM a Romanis iidem haberentur*; nempe τὸ μηκέτι δούλους, ἀλλὰ ΕΛΕΥΘΕΡΟΥΣ φαίνεσθαι.

In *Cilicia* vero, metropolim ejus *Tarſum*, poſt eam a Caſſio, quod illa ab Antonii & Auguſti partibus ſtetiſſet, direptam; & inde ea recuperata, ab eodem Antonio, juxta Appianum (*z*), *liberam* denuo ac *immunem* redditam; ab Auguſto dein iiſdem adhuc & majoribus beneficiis cumulatam, docet in ſecunda, non vero priore, juxta τὸν πάνυ Grotium (*a*), Tarſenſi, alter ſeu Pruſæenſis Dio: (*b*) Ὑμῖν γὰρ, ἄνδρες ΤΑΡΣΕΙΣ, συμβέβηκε μὲν πρώτοις εἶναι τοῦ ἔθνους, οὐ μόνῳ τῷ μεγίστην ὑπάρχειν τὴν πόλιν τῶν ἐν τῇ Κιλικίᾳ, καὶ μητρόπολιν ἐξ ἀρχῆς, ἀλλ᾽ ὅτι καὶ ΤΟΝ ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ, ὑπὲρ πάντας ἔσχητε οἰκείως ὑμῖν διακείμενον. ac dein, ubi propius collata in eos ab Auguſto beneficia tangit: Τοιγαροῦν, ἅ τις ἂν φίλοις ὄντως καὶ συμμάχοις, καὶ τηλικαύτην προθυμίαν ἐπιδειξαμένοις, κἀκεῖνος ὑμῖν παρέσχε, χώραν, ΝΟΜΟΥΣ, τιμὴν, ἐξουσίαν τοῦ ποταμοῦ, τῆς θαλάττης τῆς κατ᾽ αὐτὴν, ὅθεν ταχὺ μεῖζον ἐγένετο ἡ πόλις, καὶ διὰ τὸ μὴ πολύν τινα χρόνον διελθεῖν, τὸν ἀπὸ τῆς ἁλώσεως.

(*t*) L. XLVIII. p. 373.
(*u*) L. XIV. p. 660.
(*x*) L. V. Sect. 29.
(*y*) Antiq. L. XVI. c. 4.
(*z*) Bell. Civ. L. V. p. 575.
(*a*) Annotat. ad Act. Apoſt. XXII. verſ. 25.
(*b*) Orat. XXXIV. pag. 415.

Vobis enim, viri TARSENSES, obtigit, ut primi sitis in hac gente, non solum quod maximam omnium in Cilicia inhabitatis civitatem, & metropolim ab initio; verum etiam, quod SECUNDUM CÆSAREM super omnes optime habuistis erga vos adfectum. mox: *Quapropter omnia, quæ quis amicis revera & sociis, & qui tam propensam exhibuere voluntatem, præstare posset, & ille vobis præstitit; agrum, LEGES, honorem, potestatemque fluminis & maris vicini, unde cito major effecta est civitas, licet ab ejus expugnatione haud ita longo intervallo.* In quibus prioribus Dionis hujus verbis id obiter licet observare, *Tarsum* non *metropolim* solum Ciliciæ ab antiquo, sed *primam* etiam gentis ibidem dici: juxta distinctas quandoque Πρώτης & Μητροπόλεως in eadem provincia appellationes, diversaque earum jura: prout in Bithynia *Metropoleos* nomen Nicomediæ proprium, *Primæ vero* seu Πρώτης, commune illi cum Nicæa exstitisse, observat alibi, & quod viderunt (c) eruditi nummorum interpretes, idem aurei oris Dio. Unde etiam *Nicomedienses* in antiquis nummis utrumque sibi jus tribuunt, in quibus non solum ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ ΠΡΩΤΗ ΒΕΙΘΥΝΙΑϹ ΝΕΙΚΟΜ. *Metropolis Prima Bithyniæ Nicomedia* dicitur, sed etiam (d) Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ ΝΕΟ. ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ ΠΟΝΤΟΥ ΚΑΙ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ. *Metropolis Neocoros Et Prima Ponti Et Bithyniæ. Nicæenses* vero in præclaro Domitiani nummo apud Tristanum (e) ac in thesauris Gallorum Regiis, ubi eum vidimus, ΝΕΙΚΑΙΕΙΣ ΠΡΩΤΟΙ ΤΗΣ ΕΠΑΡΧΙΑΣ, *Nicæenses Primi Provinciæ.* Ut mittam ortas olim graves de illo gentis *Primatu*, seu περὶ Πρωτείων, inter nobiliores Asiæ Proconsularis urbes, *Ephesum, Pergamum, Smyrnam*, dissensiones, quas tangit alio loco idem Dio (f), data vero opera Aristides (g): quo *primatu* autem non intelligi,

(c) Tristan. T. 1. p. 334.
(d) In Cimeliarchio Regis Galliarum, & Thes. Patin. p. 185.
(e) T. 1. pag. 334.
(f) Orat. XXXIV. pag. 427.
(g) Orat. de Concord. p. 302. T. II.

juxta

juxta viros præſtantes Triſtanum *(h)* ac Harduinum, *(i)*, fori prærogativam, ſeu quod vicina oppida eo diſceptare foro tenerentur ; ſed *Primatum* ſacrarum apud eos ædium, ſeu in publicorum ſacrorum, feſtorumque vel agonum communium ſolemnibus, quod viderunt jam eruditi marmorum Oxonienſium interpretes. & qua de re nos alibi plenius, eſt utique manifeſtum. Quæ vero ſequuntur Dionis de *Tarſo* verba, & quæ huc potiſſimum ſpectant : contuliſſe nempe eidem urbi Auguſtum, χώραν, ΝΟΜΟΥΣ, τιμὴν, ἐξουσίαν τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς θαλάσσης τῆς κατ' αὐτὴν, *agrum, LEGES, honorem, poteſtatem maris & fluminis vicini* ; ea male utique accepit in Sacris Exercitationibus *(k)* vir magnus : ubi ad Tarſenſis Pauli, ſe, qui civis Romanus eſſet, præter jura & leges flagellatum querentis verba, eadem adducit & explicat, ut nihil in iis, quod illibenter dicimus, viderit : χώραν nempe, *agrum liberum ac communem* ; νόμους, *leges, quæ de libertate municipiis conferri ſolita*, ac unde, quod jam ibi adtigerat, municipium evaſerit Tarſus ; τιμὴν, *honorem*, hoc eſt, ipſum *civitatis* Romanæ *jus*. Quæ utique quantum abeant a rei veritate, ſeu a Tarſenſium conditione, qui nec *municipes* fuerint, vel in genere *cives Romani*, in priori Exercitatione, ubi de Tarſenſi Paulo, eoque cive Romano agebatur, jam vidimus : addo nunc, quæ a Dionis ea de re verbis, veterumque Auctorum, ubi de his agunt juribus, valde ſunt aliena. Iis enim verbis, quibus Tarſenſibus conceſſiſſe dicitur Auguſtus, χώραν, νόμους, τιμὴν, nihil aliud, & quod alioquin erat obvium, intelligitur, quam quod iis *agrum*, urbi nempe vicinum, *ſuas leges*, & *proprios magiſtratus*, αὐτονομίαν proinde ac αὐτοδικίαν, ſive πολιτείαν,

(h) T. III. p. 18.
(i) De Num. Urb. Ill. p. 167. & 346.
(k) Dan. Heinſius ad Act. XXII. v. 25.

uc

ut loquuntur Græci, reliquerit. Quod enim hi vulgo vel ἰδίους, vel οἰκείους, vel πατρίους νόμους, ut ſupra vidimus, vel αὐτονομίαν paſſim vocant; id una etiam νόμων voce, quibus *jus ſuarum legum* relictum intelligitur, ſubinde ſolent, ut hic quoque Dio, deſignare. Ita Carthaginienſibus, confecto ſecundo bello Punico, in pacis cum iis initæ legibus, dicuntur apud Polybium Romani *(l)* & opportune omnino ad adducta Dionis de Tarſenſibus verba, ἐλευθερίαν, καὶ ΤΟΥΣ ΝΟΜΟΥΣ. ἔτι δὲ ΤΗΝ ΧΩΡΑΝ *ἅπασαν conceſſiſſe*: hoc eſt, interprete, quod ſupra jam vidimus, Livio, *(m) ut liberi, LEGIBUS SUIS viverent, quas urbes, quoſve AGROS &c. ante bellum tenuiſſent, tenerent.* Per τιμὴν vero, id quod ea in re πολιτεία, aut τὸ πάτριον πολίτευμα, proprius nempe magiſtratus, ſeu priſtina Reipublicæ forma, ac inde a juriſdictione Romani Præſidis immunitas, a Polybio, Diodoro, utroque Dione Pruſæenſi & Cocceiano, aliiſque Græcis Auctoribus dici conſuevit. Ut proinde id *Tarſenſibus*, ob inſignem eorum in ſuas partes fidem, & atrocem, in quam inde iidem inciderant, calamitatem, indulſiſſe dicatur iis verbis Auguſtus, χώραν nempe, νόμους, τιμὴν, quomodo victo eorum Rege Perſeo, Romani liberos eſſe jubent Macedonas, habentes urbes eaſdem, *(n) agroſque utentes legibus ſuis, annuos creantes magiſtratus*, ſive χώραν, ut hic, νόμους & τιμὴν, ac prout duo poſtrema quod adtinet, id *(o)* πολιτεύειν αὐτονόμους, vel *(p)* ἐν αὐτονομίᾳ πολιτεύεσθαι dicunt iidem Græci. Quomodo adhuc ſub Trajano in hac Tarſica, quamque apud eoſdem Tarſenſes habuit Dio *(q)*, eorum πολιτείας, & πολιτεύεσθαι, ac τῶν πολιτευόντων apud eos, ſive eorum *Reipublicæ*, & qui eam *adminiſtrarent*, illiuſque qui per ſex menſes ſupremum apud eos *Prytanis* (de

(l) Excerpt. Legat. XCIII. p. 925.
(m) L. XXX. c. 37.
(n) Liv. L. XLV. c. 29.
(o) Plutarch. in Alexan. p. 685.
(p) Pauſan. L. IV. p. 287.
(q) Orat. XXXIV. p. 423. 424.

quo

quo nos alibi) magiſtratum gereret; cum etiam ἐκκλησίας, ſeu *concionis*, more liberarum & αὐτονόμων urbium, apud eos habitæ, meminit hic oris aurei Orator. Quo itidem utroque ſuarum legum, & proprii magiſtratus, νόμων καὶ τιμῆς, jure, *libera* a *(r)* Plinio dicitur eadem *Tarſus:* immo prout in inſigni & antiquo illius urbis nummo, qui eſt in Regis Gallorum theſauris, nunc vero in eleganti eximii Morelli noſtri *(ſ)* ſpecimine proſtat, cum publici ſeu *communis* illius urbis *concilii*, tum ejuſdem *libertatis* memoria eſt ſub Antonino Caracalla conſignata, ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡΣ. ſeu Ἐλευθέρας Ταρσοῦ, *Commune Concilium Liberæ Tarſi:* ſed de quo nummo paullo infra. Per *fluminis* autem & *maris vicini jus* ſive *poteſtatem*, quam iiſdem *Tarſenſibus* ab Auguſto inſuper tributam docet in adductis antea ejus verbis Dio; dominium quoddam ſeu proprietatem, cum in Cydnum fluvium, qui Tarſum, ut ait *(t)* Plinius, ſecabat; ac in maris partem urbi proximam, denotari, ſatis, ut opinor, liquet: idque tam eo jure, quo Romani Cæſares, ſe maris non minus, quam terræ dominos venditabant, prout alter *(u)* Dio ſeu Cocceianus, θάλασσαν τὴν Ῥωμαίων πᾶσαν, *mare omne Romanorum* dixit: tum quod *flumina* etſi *(x) publica*, aut *mare commune* dicantur in civili Romanorum jure, dominium tamen ſeu proprietas in eadem flumina, vel in loca quæ iiſdem adluuntur, aut in proximam maris partem, uſurpata jam olim a variis populis vel civitatibus, aut iis conceſſa leguntur; & qua de re, neque enim id jam agimus, conſuli poſſunt præclari juris gentium aut maritimi Scriptores, ac præ aliis, quem nec hic Dionis

(r) Lib. V. Sect. 22.
(ſ) Tabul. IV.
(t) Lib. IV. Sect. 27.
(u) Orat. XXXIV. p. 458.
(x) Inſt. de Rer. Div. Sect. 1. 2. & L. 1. Sect. 2. D. de Flum. Public.

lo-

locus ibi fugit, ὁ πάνυ (y) Grotius. Qua ratione autem, ut hoc addam, *Tarſenſibus*, cum a *portus*, ut ab (z) Ulpiano dicitur, *vectigali*, quod exigebant publicani; tum ab adluvionibus, unde accreſcebat *tributorum*, quod e Romanorum (a) legibus itidem conſtat, *præſtatio*, immunitas concedebatur: immo quibus earum rerum, portorii nempe & adluvionum, propria iis vel exactio, vel poſſeſſio adſerebatur: tum jus piſcandi in iiſdem fluminis vel maris partibus, ac præterea vicinorum illis paſcuorum uſus, propria itidem reddebantur. Quum alioquin hic Dio Pruſæenſis in eadem (b) Tarſica, diſceptationem tangat inter *Tarſenſes* & vicinos *iis Mallotas* ortam, *de paſcuis ad littus, ſeu ad paludem*, quorum uſum ſibi utrique vindicabant. Sed de hiſce *Tarſenſibus*, conceſſiſque ab Auguſto juribus vel immunitatibus, ac inſigni eam in rem Bithyni Oratoris loco, hactenus.

De *Judæis* vero id præteriri hic non debet, quod de ſplendida eorum ad Auguſtum legatione, *περὶ τῆς ἔθνους αὐτονομίας, de jure ſuarum legum* ab ea gente miſſa, tradit haud uno loco (c) Joſephus; utque ſub Romano Præſide potius quam ſub Rege Archelao, illius *αὐτονομίας* jure fruerentur. Quod cæteroquin beneficium, cum Judæis Romæ degentibus, tum in Judæa, & in iis, ubi agebant, urbibus & provinciis, ab eodem Auguſto conſtanter adſertum, pluribus tangit in legatione ad Caium Imperatorem (d) Philo. Quomodo id jus patriarum legum, & gentis rituum, Judæis quoque a TIBERIO conſervatum tradit idem Auctor, & quidem quaſi agnoſcente Tiberio, Judæorum *νομίμα, ὡς ἀλείφοντα πρὸς εὐστάθειαν, le-*

(y) De Jur. Bell. & Pac. L. II. c. 131. Num. 13. & 12. Annot.

(z) L. XVII. S. 1. D. de V. S.

(a) Leg. II. C. de Ablation.

(b) Orat. XXXIV. p. 426.

(c) Antiq. L. XVII. c. 12. Bell. Jud. L. II. c. 1. & 4.

(d) Pag. 1014. 1015.

ges,

ges, tanquam quæ conferrent ad tranquillitatem publicam. A quo cæteroquin Tiberio (*e*) *Syriæ & Græciæ Principes confiscatos*; tum (*f*) *plurimis etiam civitatibus & privatis immunitates ademptas*, meminit in ejus vita Suetonius: qui & jam antea Tiberium, *Cyzicenis*, in cives Romanos violentius quædam ausis, ac, ut addit (*g*) Dio, quod iidem inchoatum Augusti Herois, seu Divi fanum non perfecissent, ademisse denuo libertatem dixerat. Ita Syri *Commageni*, ad *jus Prætoris*, ut ait (*h*) Tacitus ab eodem Tiberio *translati*; sive, ut ait illius ævi Auctor (*i*) Strabo, in provinciæ formam redacta, quæ Antiocho Regi tum parebat, Commagene.

Ab ejus autem successore CALIGULA, idem *Commagenes* regnum huic Antiocho restitutum, cum a (*k*) Suetonio, tum a (*l*) Dione, in hujus Caii rebus traditur; ab hoc autem in (*m*) Claudio, quod eruditos ibi Tranquilli interpretes fugit, illud eidem Antiocho a Caio denuo ademptum, a Claudio vero redditum (ut, quam varia regni illius, aut Regis, sub tribus continuis Romanis Principibus, sors fuerit, inde liqueat) traditur: τῷ δὲ Ἀντιόχῳ τὴν Κομμαγηνὴν ἀπέδωκεν· ὁ γὰρ Γαΐος, καίπερ αὐτὸς ὁ δοὺς, αὐτὴν ἀφῃρέθη. *Antiocho enim Commagenem restituit: ipse enim, qui eam reddiderat, Caius eandem mox ademit.* Id nempe pro naturali illius Principis levitate & inconstantia; qui, ut de eodem ait in sua id illum legatione Philo, (*n*) *si quid boni fecisset, mox irritum & infectum cuperet, majori cum damno & noxa*: ac, ut addit, *vinctos solveret aliquos, mox nihil commeritos, vinciret denuo*:

(*e*) In Tiber. c. 49.
(*f*) Ibidem c. 37.
(*g*) Lib. LVII. p. 619.
(*h*) Annal. II. c. 56.
(*i*) Lib. XVI. p. 749.
(*k*) In Caligula c. 16.
(*l*) Lib. LIV. p. 645.
(*m*) Lib. LX. p. 670.
(*n*) Pag. 1039.

Zz ii

εἰ καί τι χρηστὸν ἐργάσαιτο, μετανοεῖν αὐθὺς, καὶ τρόπον τινὰ, δι' ὃ καὶ τουτὶ λυπήσεται, ζητεῖν, μετὰ μείζονος ἀνίας καὶ βλάβης· οἷα δή τι λέγω, δεσμώτας ἔλυσεν ἐνίους, ἐπ' οὐδεμιᾷ προφάσει πάλιν ἔδησε. Etſi ab eodem Caio data quibuſdam vel nova, vel avita regna (quæ proinde a Romanorum legibus eſſent adhuc vel manerent libera) tradit Dio (*o*): nempe Soæmo, *Arabum Ituræorum* regnum; Cotyi, *Armeniam minorem*, ac nonnullas *Arabiæ* partes; Rhymetalci, Cotyos ditionem, ſive *Thraciam*: Polemoni vero, Polemonis filio, paternum *Ponti*, nempe *Polemoniaci*, regnum: & cujus parentis Polemonis pulcherrimum cum Auguſti effigie in altera ejus parte nummum, cum in theſauris Gallorum Regiis, prout pridem facta eſt (*p*) a me ejus mentio, tum Coloniæ Agrippinæ in privato & præclaris id genus cimeliis inſtructo muſeo videre mihi itidem contigit. Exſtat vero deſcriptus a Goltzio ſub eodem CAIO nummus, neque hactenus, quod ſciam, in præclaris cimeliarchiis viſus, qui inſcribitur ΒΑΡΓΥΛΙΑΤΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Bargyliatarum Sacræ & SUIS LEGIBUS*. Eam certe maritimam *Cariæ* urbem, poſt debellatum a Romanis Philippum, *liberam*, declaratam, ac unde nummi fides poteſt continuo adſtrui, docet alicubi, qui & in Excerptis Valeſianis ejus quoque meminit, (*q*) Polybius: *Πόπλιος μὲν Λέντλος εἰς* ΒΑΡΓΥΛΙΑ *πλεύσας*, ΗΛΕΥΘΕΡΩΣΕ, *Publius quidem Lentulus, nave BARGYLIA contendit, eamque urbem LIBERAM eſſe juſſit*; eujuſque Lentuli, & e Bargyliis profectionis meminit cæteroquin Livius (*r*). Alios equidem horum *Bargyliatarum* in Caria nummos, ſub Lucilla, Commodo, aut Caracalla cuſos, notavi olim in theſauris Chriſtinæ Suedorum Reginæ, ac in

(*o*) Lib. LV. p. 649.
(*p*) Diſſ. de Præſt. Num. p. 830.
(*q*) Exc. Legat. IX.
(*r*) Lib. XXXIII. c. 39.

Re-

Regiis præterea Gallicis; ſed in quibus nulla illius αὐτονομίας huic urbi olim conceſſæ, quantum equidem viderim, aut e noviſſimo Cl. Vaillant de Græcis Imperatorum nummis opere conſtare cuivis poteſt, facta occurrit mentio.

A CLAUDIO vero, Polemonis filio, de quo paullo ante, data ejus loco Ciliciæ parte, ademptum paternum illud *Ponti* regnum, quod Mithridati, e magni Mithridatis poſteris, eſt ab eo impertitum, e (*ſ*) Dione rurſus diſcimus. *Commagene* autem, ut modo vidimus, Antiocho (*t*) eſt ab eodem Claudio reſtituta: ſicut reddita juxta Dionem *Rhodiis*, & deprecante quidem Nerone, quam iis paullo ante (*u*) ob Romanos in crucem actos ademerat idem Princeps, *libertas*; uti (*x*) *Ilienſibus*, pro iis orante itidem Nerone, tanquam Romanæ gentis auctoribus, ab omni onere immunitas eſt ab eodem Claudio conceſſa. Verum (*y*) *Lyciis*, etſi ſub Romanorum imperio, quod ſupra e Strabone vidimus, liberi; dein eadem libertas, quod inteſtinis & exitialibus diſſenſionibus, ac ad cædem uſque Romanorum iidem conflictarentur, eſt a Claudio adempta; iique in provinciæ formam, ſublato proinde communi illo gentis, quo eadem, juxta (*z*) Strabonem, ac veterum Achæorum inſtar regebatur, concilio, redacti, & Pamphyliæ adtributi. Quam proinde ab hujus Claudii temporibus communem *Lyciæ & Pamphyliæ* ſub uno Romano Præſide adminiſtrationem adſtruunt etiamnum antiqui lapides (*a*), inſcripti PORCIO PROCOS. LYCIÆ PAMPHYLIÆ, ac (*b*) alii ſimiliter, ſed ubi Præſidis nomen non comparet; & prout Conſtanti-

(*ſ*) Lib. LX. p. 670.
(*t*) Sueton. in Claud. p. 25.
(*u*) Lib. LX. p. 681.
(*x*) Sueton. in Claudio c. 25.
(*y*) Sueton. Ibid. Tacit. Annal. XII. c. 58.
(*z*) Lib. XIV. p. 664.
(*a*) Grut. Theſ. CCCCLVIII. 6.
(*b*) Ibid. CCCCXCI. 12.

ni adhuc ævo, lex ab eodem & Licinio legitur in Codice Theodosiano, (c) *ad Eusebium Præsidem Lyciæ & Pamphyliæ*. Quum alioquin apud Tacitum (d): *Galatiam* (non vero *Lyciam*) *ac Pamphyliam provincias*, uni *Calpurnio Asprenati regendas Galba permisisse*, dicatur; ac quod Vespasianus demum in provinciæ formam redegerit *Lyciam* Suetonius, aliique & qua de re mox, prodiderint.

(c) Leg.II. C. Th. de Censu. (d) Hist. L. II. c. 6.

CAPUT XIII.

De Rhodiis *adhuc* liberis *sub NERONE. Item de data ab eo* Achaiæ libertate, *&* Sardinia *ejus loco Pop. Romano concessa. De* Ephesiis *sub eodem, juxta veterem eorum nummum,* ΑΥΤΟΝΟΜΟΙΣ. *An quod* Ephesus *sedes esset Romani Proconsulis, & quod in ea forum ille ageret ac jus diceret, ideo minus* suis legibus *uti potuit?* Liberarum *ac* Αὐτονόμων *urbium exemptio a jurisdictione Romani* Præsidis: *etsi sedes eædem id genus Præsidum forent. In quibus situm fuit id genus urbium privilegium. De quingentis* Asiæ Proconsularis *urbibus, & novem in ea Conventibus, e Josepho, Philostrato, & Aristide. Multæ urbes* liberæ

&

& αὐτόνομοι in Provinciis, quæ a Romanis Præsidibus regebantur; ut id e Siciliæ, Sardiniæ, Galliæ Narbonenſis, Syriæ, Ciliciæ, *aliarumque adductis antea exemplis conſtat. De* Judæis *itidem αὐτονόμοις, & tributum pendere adactis.* Armorum *poteſtas, haud minus ac* legum *penes Romanos Præſides. De reſtricta* libertate *variarum id genus urbium αὐτονόμων, ubi cives inter ſe, non autem cum Romanis diſceptarent. Id e Cicerone, de Græcis* Aſiaticis *&* Siculis *illuſtratum. De* Bithynorum Apamenſium *privilegio, ex Plinio Juniore.*

A NERONE equidem *Rhodios* ac *Ilienſes*, ſub Claudio *liberos* & *immunes* ab eo adſertos, modo vidimus: cujus autem beneficii fidem adhuc faciunt percuſſi veteres *Rhodiorum* nummi, qualem *(a)* alibi e Gaza Medicea protulimus; qui hinc Neronis caput ſub radiati Solis, tutelaris eorum numinis, effigie; illinc Victoriam cum palma & laurea proræ navis inſiſtentem exhibet, cum inſcriptione, ΕΛΕΥΘ. ΡΟΔΙΩΝ, *Liberorum Rhodiorum*; & quo referri poteſt ſimilis eorundem nummus in Cimeliarchio Gallorum Regio, cum adſcripto Neronis nomine, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΝΕΡΩ ΚΑΙΣΑΡ *Imperator Nero Cæſar.* Verum ab eodem Nerone, beneficio adhuc latius patente, donatam libertate univerſam *Achaiam*, quam ſolis in ea *Patrenſibus* conceſſerat, ut paullo ante vidimus, Auguſtus, præter *(b)* Suetonium ac *(c)* Di-

(a) Diſſ. de Præſt. Num. p. 784.

(b) In Nerone c. 24.

(c) Lib. LXIII. p. 720.

onem, docent *(d)* Plinius, *(e)* Pausanias, *(f)* Philostratus, & quo respexit similiter, ut hoc addam, Andromachus Medicus, in iis ad Neronem de Theriaca versibus, quos in primo de *(g)* Antidotis libro adtulit Galenus:

Καῖσαρ, ἀδειμάντῳ δῶτερ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ.

Cæsar, securæ dator LIBERTATIS.

Unde *Achaiæ* loco, quæ proconsularis tum erat populi Romani provincia, *Sardiniam*, quæ nempe a Legato Cæsaris regeretur, populo, ne quid inde ei decederet, a Nerone concessam, tradit *(h)* Pausanias. Quam tamen *Sardiniam*, in prima provinciarum ab Augusto instituta divisione, non Cæsari, sed Populo cessisse, e *(i)* Strabone ac *(k)* Dione, qui eandem memorant, liquet. Verum quam Populi & Cæsaris provinciarum, ut hic *Achaiæ* loco *Sardiniæ* permutationem, sæpe pro ratione temporum, aut ad lubitum Imperatorum, & jam ab Augusto, quod ex *(l)* Dione discimus, cœptam, cum e priscis, qui illam subinde tangunt, Romanarum rerum Scriptoribus; tum ex antiquis lapidum ac nummorum monumentis, & qua de re nos alibi, licet percipere.

Ephesum voro nobilissimam Asiæ Proconsularis metropolim, sive quæ, ut a *(m)* Josepho alicubi dicitur, πρωτεύουσα τῆς Ἀσίας, *primatum Asiæ obtinens*, (de qua tamen ei lis erat, quod aliunde, & ex nummis etiam constat, cum *Smyrna* & *Pergamo*) *Autonomia*, sive jure *suarum legum*, sub Nerone usam, docet ejus nummus sub hoc Prin-

(d) Lib. IV. c. 6.
(e) Lib. VII. p. 428.
(f) Vit. Apoll. L. V. c. 14.
(g) Cap. 6.
(h) L. VII. p. 428.
(i) Lib. XVII. p. 840.
(k) Lib. LIII. p. 503.
(l) Ibid. p. 504. & L. LIV. p. 521.
(m) Antiq. L. XIV. c. 17.

cipe

cipe percussus, cum hac in corona inscriptione, ΕΦΕΣΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Ephesiorum Sacræ Et SUIS LEGIBUS*. Ita enim descriptus legitur hic nummus in manuscripto Goltzii libro, in quo ineditos adhuc plures nummos a se visos ac observatos adnotavit vir ille egregie de his antiquitatis studiis olim meritus: qui autem liber est in Regium Gallorum Cimeliarchium, dum ante bellum pace Rysvicensi sedatum, in illa Regia agerem, & quem inspicere ac versare mihi tum contigit, illatus. Exstant adhuc alii descripti ab eodem Goltzio duo horum *Ephesiorum* nummi: unus sub Vespasiano, qui in Thesauro ejus pridem vulgato jam prostat: alter, sub Nerva in eodem illo libro necdum edito: qui ambo idem illud ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Sacræ Et SUIS LEGIBUS*, privilegium huic urbi tribuunt. Neque certe prius illud ΙΕΡΑΣ, sive *Sacræ*, jus, tot aliis urbibus in hac veterum nummorum copia impertitum, mirum utique aut insolitum videri cuipiam poterit: maxime autem ob sat notam inclyti illius Dianæ Ephesiæ templi in Romano orbe, ut apud Persas antea, quod (*n*) alibi haud ita pridem illustravi, religionem ac sanctitatem. Unde etiam ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΑ ΑΣΥΛΟΣ, *Diana Ephesia Inviolabilis* dicitur in nummis Otaciliæ ac Philippi Filii, & a (*o*) Plutarcho alicubi traditur, quod a solvendo, quod quis contraxerat, fœnore, liberum ac inviolatum præstaret illud Dianæ templum. Quomodo in eodem, tanquam in loco tuto ac inviolabili, reconditas undique populorum ac Regum pecunias, observat alicubi (*p*) Dio Chrysostomus. Alterum vero ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, sive *jus suarum legum*, quo fruerentur sub Romanis Cæsaribus iidem *Ephesii*, inde posset forte negotium cuipiam facessere: quod eadem urbs esset primaria Romani

(*n*) Observ. ad Callim. p. 153. 154.

(*o*) De Vitan. Ær. Alien. p. 828.

(*p*) Orat. XXXI. p. 327.

Pro-

Proconsulis, qui ad regendam Asiæ provinciam quotannis mittebatur, sedes: *prima* certe, quæ in alia constitutione hujus Antonini Caracallæ, sive Rescripto ab *(q)* Ulpiano itidem memorato dicitur, & quod alibi satis diligenter expendimus, *Asiæ Metropolis*, ad quam mari Proconsul deberet appellere. Hinc eundem *Ephesi*, haud minus ac in aliis illius Provinciæ juridicis conventibus, forum egisse, docebit, ut alios nunc mittam, & qui novem id genus conventus in eadem provincia exstitisse alibi observat, *(r)* Aristides; & inde in eadem urbe jus dixisse, qui ejus rei meminit, *(s)* Josephus, ubi Julium Antonium Proconsulem Asiæ inducit dicentem, δικαιοδοτοῦντί μοι ἐν Ἐφέσῳ, *jus mihi dicenti Ephesi.* Unde missa quoque ad eosdem *Ephesios*, non Augusti solum, aliorumve Imperatorum, sed Romanorum etiam Magistratuum, Dolabellæ, Agrippæ, Julii Antonii, Edicta, apud *(t)* Philonem, *(u)* Josephum, ut de aliis posterioris ævi *(x)* Imperatoribus jam sileam. Hinc etiam de Rectoribus Asiæ sua ætate Cicero: *(y) Censuerat senatus, ut Prætor Asiæ NON MODO IN SOCIOS, verum etiam IN LIBEROS, quorum in numero cives Romani, & in iis Decianus, JUS DICERET.* In eo autem situm fuisse *jus illud suarum legum* sive αὐτονομίαν monet; ubi de *Massiliensibus*, vel clara itidem in Gallia Narbonensi *Nemauso* agit *(z)* Strabo, ut a jurisdictione Romani Præsidis immunes agerent liberæ id genus vel αὐτόνομοι urbes, nec ejus fascibus vel securibus, ut ea de re loquuntur iidem Auctores, ac jam ante vidimus, essent subjectæ: prout cæteroquin de eadem Gal-

(q) Leg. IV. S. 5. D. de Off. Procos.
(r) Serm. Sacr. IV. p. 604.
(s) Antiq. L. XVI. c. 10.
(t) Legat. ad Caium p. 1036.
(u) Antiq. L. XIV. c. 27. & L. XVI. c. 10.
(x) Leg. VI. in fine C. de Sum. Trinit.
(y) Pro Fonteio c. 32.
(z) Lib. IV. p. 181. & 186.

lia

lia Narbonensi, quod *in provinciam redacta, JURE & LEGIBUS COMMUTATIS, securibus subjecta, perpetua premitur servitute*, querebantur, teste J. (*a*) Cæsare, conjurati tum Galli. Id autem ab Agrippa, Judæorum Rege, de omnibus in genere Proconsularis hujus Asiæ civitatibus, ac proinde *Epheso* quoque, dictum apud (*b*) Josephum legitur: τὶ δ' αἱ πεντακόσιαι τῆς Ἀσίας πόλεις, οὐχὶ δίχα φρουρᾶς ἕνα ΠΡΟΣΚΥΝΟΥΣΙΝ ΗΓΕΜΟΝΑ, καὶ τὰς ὑπατικὰς ῥάβδους. *Quid autem quinquaginta Asiæ civitates, nonne absque ullo præsidio, uni tantum RECTORI PARENT, & consularibus FASCIBUS?* Quæ verba vel ideo insuper adduximus, quod ex iis, & ex alio insuper (*c*) Philostrati loco, ut præterea observo, liqueat quingentas fuisse Proconsularis Asiæ civitates, quæ omnes Romano Præsidi & quidem, juxta (*d*) Aristidem, omnium rerum maximarum ac minimarum relicto illi arbitrio, obtemperarent; ipsi autem Præsides, sub Cæsarum imperio, teste alibi eodem (*e*) Aristide, in rebus alicujus momenti omnia referrent ad Principem. Hinc de iisdem Asianis, qui nempe parebant Romano Proconsuli, ait Cicero: (*f*) *quibus odio sunt nostræ secures*. Quæ autem ratio foret hujus Asianorum, aliorumve id genus provincialium *odii*, docebunt abunde illa de Romanis id genus Præsidibus verba Macedonum apud Livium: (*g*) *Prætor Romanus conventus agit; eo imperio evocati conveniunt: excelso in suggestu superba jura reddentem, stipatum lictoribus vident: virgæ tergo, secures cervicibus imminent: & quotannis alium atque alium dominum sortiuntur.* Adde, quæ de vectigalibus in illis Asiæ urbibus, & publicanis, qui eadem exigerent, supra vidimus; quid vero de hisce statuendum,

(*a*) Bell. Gall. L. VII. c. 77.
(*b*) Bell. Jud. L. IV. c. 16.
(*c*) Πεντακοσίων πόλεων φόρον. De Vit. Soph. L. II. p. 597.
(*d*) Orat. de Concord. Urb. p. 329. T. II.
(*e*) Orat. in Romam p. 361.
(*f*) Pro Flacco c. 8.
(*g*) Lib. XXXI. c. 39.

ipsius Romani Senatus, quod memorat alicubi idem (h) Livius, judicium: *ubi publicanus est, ibi aut JUS PUBLICUM vanum, aut LIBERTATEM sociis nullam esse.*

Quæ equidem quamquam certa sint, ac a fide dignis Auctoribus tradita, haud inde tamen jus illud αὐτονομίας, sive *suarum legum*, *Epheso*, similibusque urbibus, continuo ademptum, statuendum est: quum & aliæ subinde urbes, totidem quoque gentis suæ metropoles, & quas inhabitarent missi ad regendam provinciam Romani Præsides, haud eo minus ΕΛΕΥΘΕΡΑΙ, vel ΑΥΤΟΝΟΜΟΙ, nempe *LIBERÆ* & *SUIS LEGIBUS UTENTES* inscribuntur in publicis Cæsareanorum nummorum, vel veterum inscriptionum monumentis: sicuti, quod partim jam vidimus, & dicetur adhuc plenius, *Antiochia*, *Tarsus*, *Samosata*, *Tyrus*, aliæque. Neque enim ideo, quod Romanorum Præsidum jussis essent eædem urbes cæteroquin obnoxiæ; aut quod in iisdem ordinandis ac regendis summa esset penes eosdem Præsides aut Præfectos etiam, de quibus supra dictum est, potestas: ideo minus suarum legum libertate, aut patrio etiam magistratu, πολιτείᾳ, juxta Græcos, καὶ νόμοις, fruebantur id genus civitates, quibus hoc beneficium fuerat a Romanis relictum vel concessum. Hinc notum illud Ciceronis, Ciliciæ tum Proconsulis, ad Atticum: (i) *Laodiceæ ad Kal. Maias, omnium Diocæsium, præter Ciliciæ, mirabilia quædam effecimus. Ita multæ civitates omni ære alieno liberatæ, multæ levatæ sunt: OMNES SUIS LEGIBUS & JUDICIIS usæ, AUTONOMIAM adeptæ, revixerunt.* Adde eundem, loco similiter ante jam adducto, ac ubi de Græcis Asianis sermo: (k) *sibi libertatem censent Græci datam, ut Græci disceptent SUIS LEGIBUS.* Constabant enim provinciæ, quod jam vidimus, tam e liberis sive fœderatis, quæ hoc nomine ac jure in

(h) Lib. XLV. c. 18.
(i) Ad Att. L. VI. Epist. 2.
(k) Ibidem Epist. I.

iis

iis censebantur, quam e subjectis & *nostro jure*, ut de iis loquitur alicubi (*l*) junior Plinius, sive Romano, *obstrictis* urbibus; ad quas omnes, haud pari tamen jure vel conditione, regendas mittebantur Romani Præsides. Unde præter commemoratos supra Siculos, gaudentes eodem jure certandi suis legibus, ubi civis cum cive ageret, & quas in eadem provincia commemorat alibi Cicero, urbes aliquot *liberas*; de *Nemauso*, de qua itidem paullo ante, id nominatim tangit (*n*) Strabo, quod exempta fuerit eadem jurisdictioni Romani Præsidis, etsi, ut continuo addit, illa regio Provinciæ nomine regeretur. Qua ratione proinde factum uti, *Sicilia, Sardinia, Gallia Narbonensis, Achaia, Asia Proconsularis, Cilicia, Syria, Phœnice, Palæstina*, aliæque, etsi, quod de tribus prioribus ait Pomponius, ubi in ditionem Pop. Romani venerant, tanquam totidem Provinciæ a Prætoribus Romanis regerentur, plures tamen *liberas urbes*, ac *suis utentes legibus* haberent, quod ex Auctoribus vel antiquis eorundem locorum monumentis liquet: immo quod de *Sardinia* provincia in genere, tanquam adhuc Αὐτονόμῳ sub Augusto, tradentem supra diximus Diodorum. Ut *Judæos* nunc mittam, quibus plenam *suarum legum* libertatem a Romanis Cæsaribus, non solum ante eorum exitium, sed postea etiam relictam, in priori Exercitatione, ac præterea paullo ante vidimus: qui tamen vel ante, vel post eorum excidium, Romanorum Præsidum jussis ac mandatis Imperatorum, oneribus etiam tutelæ aliisque, quod ex illorum Principum constitutionibus constat, erant obstricti, ac tributum quoque pendere cogebantur. Ne illud obvium jam hic tangam, quod penes Præsides provinciarum non esset solum legum, sed *armorum* etiam, ut id a (*o*) Justiniano dicitur, *potestas*; *permissa scilicet eis rei belli-*

(*l*) Lib. X. Epist. 94.

(*n*) Lib. IV. p. 186.

(*o*) Præf. Nov. XXIV.

cæ administratione, quod jus proinde illis, tam in liberas cæteroquin sive αὐτονόμους, quam obstrictas Romanorum legibus provinciarum, quibus iidem præerant, civitates competebat. Adde hisce denique, quod omnino hic advertendum, & qua de re supra jam egimus, quod data aut relicta variis id genus populis vel urbibus *legum suarum* libertas, non plena ferme esset, sed restricta; ubi nempe ejusdem urbis cives inter se disceptarent; prout id de aliquot Diœcesibus Asianis & de Siculis dicentem paullo ante vidimus Tullium; non vero ubi cives illi in eadem provincia cum Romanis, quod alibi in Verrinis aperte tradit idem Cicero, certarent. Adeo ut priori loco, a jurisdictione Romani Præsidis, non vero posteriori, immunes essent earum urbium αὐτονόμων cives; nec suis tum legibus, sed Romanis, sive ex Præsidum Edictis disceptare tenerentur. Nempe juxta Populi Romani ea de re potestatem, de qua audiendus idem Cicero: *(p) de jure enim libertatis, & civitatis, suum putat esse judicium, & recte putat.* Accedebat, quod ingens esset civium Romanorum, in iisdem Provinciis, Sicilia puta, Proconsulari Asia, aliisque, & maritimis in primis, qui in iis negotiarentur, aut vectigalia populi Romani exigerent publicani, ac ita etiam *Ephesi*, e primariis tum, quod aliunde constat, Romani orbis emporiis: quibus proinde civibus jus a Romanis Rectoribus, etsi αὐτόνομοι cæteroquin essent eædem urbes, dicebatur. Mitto, quod sæpenumero contigit, ut a Præsidibus, pro varia nempe eorum indole aut cupiditate, vexarentur subinde præter meritum eædem urbes in ea, quam tum illi regerent provincia, *liberæ* alioquin ac *suis legibus* a Romanis relictæ: nulla ferme illius juris, quo eas perfrui oportuit, ratione ab iisdem Præsidibus habita: sicut de Verre Siciliæ, & Pisone, Cæsaris socero, Macedoniæ Rectoribus, querentem supra vi-

(p) In Verrem l. c. 1.

dimus

dimus Tullium. Ita etiam contigit, ut eædem urbes αὐτόνομοι, adeo præter fas omne, concultatis earum juribus, vexatæ, postea vel *legis Juliæ*, de qua facta est ibidem mentio, & qua cavebatur, *(q)* ut *populi liberi, plane & vere essent liberi*, patrocinio; vel sequentium Præsidum, in iis sublevandis ac in libertatem denuo ac jus suarum legum adserendis studio ac voluntate, (sicuti ab eodem Cicerone, Ciliciæ Proconsule, & cui tres Asiaticæ διοικήσεις, uti eodem nomine eas vocat alicubi *(r)* Aristides, seu *juridici conventus* erant adtributæ, factum, docet ipsemet loco jam ante adducto) auctoritate denique ac edictis Imperatorum, reviviscerent denuo ac erigerentur. Quo referri itidem debet illud Plinii Bithyniæ tum Rectoris, de Bithynis Apamensibus ad Trajanum Imp. *(ſ) Apamenses dicunt habuisse privilegia, ac vetustissimum morem ARBITRIO SUO Remp. administrare:* nempe quo tamen privilegio vel jure, sub anterioribus illius provinciæ Rectoribus eorundem, ut paullo ante de Verre ac Pisone dictum, vexatione, aut vero Populi Romani, vel alicujus e Trajani decessoribus Imperatoris voluntate, ut subinde contigit, ii postea exciderant.

(q) Cicer. Orat. in Pison. c. 56.

(r) Serm. Sacr. p. 607.

(ſ) Lib. X. Epist. 56.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Autonomia *sive* libertate Achaiæ *a* VESPASIANO *adempta*: *item* Lyciæ, Rhodo, Samo, *aliisque*. *De* Samosatis *sub eodem*, *juxta veteres illius urbis nummos*, ΑΥΤΟΝΟΜΟΙΣ. *Dion. Petavii de situ illius urbis*, *tanquam in Mesopotamia*, *error notatus*. *De aliis nummis*, *in quibus* Ephesus ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ *inscribitur*: *item* Hyperesia *urbs Achaiæ*. *De* liberis Asiæ *urbibus sub* TRAIANO *&* HADRIANO: *in specie de* Atheniensibus, Lacedæmoniis. *De* Byzantio, Methone, Argis, Rhodo, Amiso, Autonomis. *Dio Prusæensis illustratus*. *De* Amiso libera *&* Autonomo *sub Trajano*, *ac jam ante*, *&* *eadem adhuc* ΕΛΕΥΘΕΡΑ *in Caracallæ nummo adducto Gazæ Gallorum Regiæ*. *De* Doris *in Phœnicia*, *in Trajani nummo* ΑΥΤΟΝΟΜΟΙΣ, *&* *de gentilibus illius urbis nominibus* ΔΩΡΙΤΩΝ, *vel* ΔΩΡΙΕΩΝ. ΔΩΡΙΕΙΣ *in nummis Imperatorum*, *de Græcis* Doribus, *non de* Doritis, *aut* Doriensibus *in Phœnicia*, *juxta celebrem antiquarium*, *dicti*. *De situ urbis* Dora, *eaque cum oppido* Adora *in* Idumæa

mæa *ab Appione confusa. Aliquot Josephi eadem re loca explicata & emendata. De* Arabia, Armenia, Assyria, Mesopotamia, Dacia, *in provinciæ formam redactis a TRAJANO: ab HADRIANO vero* sui juris *relictis. De* liberis Asiæ Proconsularis *urbibus, sub eodem Hadriano. De* Tyanis, *urbe Cappadociæ in Hadriano nummo*, ΑΥΤΟΝΟΜΟΙΣ. *De situ illius urbis* ad Taurum *montem indicato in eodem nummo, non ejus* primatu, *juxta virum doctum. Aliarum quoque urbium* ad Montes *situs in antiquis nummis designatus.*

HAud diuturna vero exstitit *Achæorum*, de quibus paullo ante agebatur, data a Nerone libertas: dum post translatum a domus Juliæ, vel natura, vel adoptione, Cæsaribus, ad alias urbis gentes vel familias imperium, mox jus illud a VESPASIANO est eisdem Achæis, uti aliis insuper populis, ademptum. Quod præter *(a)* Suetonium, *(b)* Eusebium in Chronico, *(c)* Orosium, tradunt, ut viderunt ad Tranquillum viri docti, *(d)* Philostratus, ac, addita etiam sublatæ illius libertatis caussa vel *πρόφασιν*, *(e)* Pausanias. Cujus etiam Pausaniæ ea de re locum, quem jam ad Suetonium opportune nuper adtulit eruditissimus Pitiscus, hic, quod inde liqueat, quibus juribus exciderint tum iidem Græci,

(a) In Vespas. c. 8.
(b) Ad Olymp. CCXIII. 2.
(c) Lib. VII. c. 9.
(d) Vit. Apollon. L. V. c. 14.
(e) Lib. VII. p. 429.

sub-

ſubjicere haud erit inconſultum : *(f)* Οὐ μὴν Ἕλλησί γε ἐξεγένετο ὄνασθαι τῆς δωρεᾶς. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ γὰρ μετὰ Νέρωνα ἄρξαντος, ἐς ἐμφύλιον στάσιν περιήχθησαν, καὶ σφᾶς ὑποτελεῖς τε αὖθις ὁ Οὐεσπασιανὸς εἶναι φόρων, καὶ ἀκούειν ἐκέλευσεν ἡγεμόνος· ἀπομεμαθηκέναι φήσας ΤΗΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ ΤΟ ΕΛΛΗΝΙΚΟΝ. *Verum equidem haud diu Græcis eo beneficio frui licuit : nam cum imperium poſt Neronem obtineret VESPASIANUS, is Græcos, qui in domeſticam ſeditionem inciderant, tributa rurſus perſolvere, & Romano Præſidi parere juſſit : quum diceret, LIBERTATE UTI GRÆCOS jam dedidiciſſe.* E quibus proinde verbis docemur, cum immunitatem a tributis, tum patrium, qui iis jura redderet, magiſtratum, ac proinde ſuarum legum, quibus Græci uterentur, beneficium, & in quibus data iis a Nerone libertas fuerat ſita, ſive ut eadem jura liberarum urbium, vel gentium dici a Græcis, quod antea vidimus, ſolent, cum φόρων ἀτέλειαν, tum πολιτείαν, vel αὐτοδικίαν, ac ſimul αὐτονομίαν fuiſſe iiſdem a Veſpaſiano, quod iis bonis uti amplius iidem neſcirent, adempta. Quibus conſentanea ſunt, quæ prodidit ea de re Philoſtratus : reddita nempe Græcis a Nerone libertate, eorum civitates ad priſtinos mores ac inſtituta (ac proinde tum denuo αὐτονόμους) revertentes, inde in ſumma egiſſe & floruiſſe concordia : Veſpaſianum vero, poſt ſuum in Græciam adventum, captato ſeditionum aliorumve obtentu, eandem libertatem immerentibus illis Græciæ populis ademiſſe. Qua de cauſſa Veſpaſianum, etſi ab eo arceſſitus, adire noluerit Apollonius ; & qui etiam tribus, quæ ibidem apud Lemnium Sophiſtam leguntur, ad hunc Principem litterulis, hoc illi redactæ ab eo in ſervitutem Græciæ factum exprobarit. Quæ libertas autem an iiſdem Græcis, ſicut nonnullis viſum, fuerit a Domitiano reſtituta ; & an, eadem a Veſpaſiano ſublata, nullæ liberæ remanſerint in eadem gente civitates, mox videbitur.

(f) Vit. Apollon. ut ſupra.

Neque

Neque vero *Græciam*, solum seu *Achaiam*, sed *Lyciam* præterea, *Rhodum*, *Byzantium*, *Samum*, *Tracheam* insuper (ut omnino apud Tranquillum *(g)* legi debet, non *Thraciam)* *Ciliciam*, *Commagenem*; quæ partim liberæ erant, partim Regiæ adhuc ditionis sicut *Commagene*, in provinciæ formam, seu quod Græci una ἐπαρχίαν voce, ubi ea de re agunt, solent efferre, ab eodem Vespasiano redactas, docent iidem memorati paullo ante Auctores, Suetonius *(h)*, Eusebius *(i)*, Orosius *(k.)* Etsi illius *Commageni regni*, ut Ammianus Marcellinus *(l)* de ea loquitur, *clarissimam sedem Samosatam*, illiusque provinciæ *Metropolim*, a Vespasiano ΑΥΤΟΝΟΜΟΝ insuper declaratam, seu cum suarum legum libertate, & addito eidem ΦΛΑ. seu FLAVIÆ cognomine, doceant insignes illius urbis, & de quibus paullo post dicetur, nummi, qui etiamnum in præclaris Cimeliarchiis prostant: licet ii sub aliis dein Cæsaribus sint percussi, *Hadriano*, *Pio*, *Marco*, *Severo*, *Caracalla*, *Philippo*. Immo unde, & quod ibidem tangetur, nunc etiam constat, e concessa illa eidem urbi a Vespasiano αὐτονομίᾳ, æram suam, more aliarum Syriæ, Phœniciæ ac Palæstinæ, de quo jam ante, urbium, deinceps computasse *Samosatenos*. De qua autem Pauli Samosateni patria dum ait Epiphanius, *(m)* ἀπὸ Σαμοσάτων ἦν ἐπὶ τὰ μέρη τῆς Μεσοποταμίας, hæc ita vertit, ut se ἀγεώγραφον ibi prodat doctissimus Petavius, *Samosatis Mesopotamiæ ad Euphratem*: quasi nempe hæc urbs trans Euphratem ac in Mesopotamia, non vero cis hunc fluvium, & in Syria *Commagene* seu *Euphratensi* dein, vel juxta Victorem in Epitome *(n)*, *Augustophratensi* sua ætate dicta, foret sita:

(g) In Vespasian. cap. 8.
(h) Ibidem.
(i) Ad Olympiad. CCXIII. 1.
(k) L. VII. cap. 9.
(l) L. XVII. cap. 4.
(m) Adv. Hæres. XLV. pag. 607.
(n) In Breviario.

ac unde ait alicubi Ammianus, (o) *Nos dispesuimus properare SAMOSATA, ut SUPERATO EXINDE FLUMINE, pontiumque apud Zeugma & Capertana juncturis abscissis* &c. Adeo ut in eundem plane errorem inciderit ibi Petavius, quem in inepto quodam belli Parthici scriptore redarguit alicubi (p) Lucianus; quod is patriam ipsius *Samosata* Mesopotamiæ perperam tribuerit. Quæ proinde Epiphanii verba vertenda tantum ad verbum fuerant, *erat Samosatis ortus, ad partes Mesopotamiæ*, quæ nempe solo fluvio intermedio ab ea urbe sejuncta. *Lyciam* vero quod adtinet, id jam sub Claudio contigisse, ut eadem Pamphyliæ adtributa in provinciam Romanorum cesserit, paullo ante vidimus; adeo ut vel ab ipso Claudio, uti de vicinis Lyciorum genti *Rhodiis* ab eo, aut de *Cyzicenis* ab Augusto factum diximus, vel a Nerone, in libertatem denuo adserti fuerint iidem *Lycii*; & quam iis postea ademerit Vespasianus. *Rhodum* vero vel *Samum* quod spectat, quibus libertatem itidem ab illo Principe ereptam, memorati Auctores tradunt, ac præter eos insuper de *Rhodo* Sex. Rufus (q); id post conditum a Plinio naturalis historiæ opus, qui utramque illam insulam (r) *liberam* vocat, & uno verbo moneri ibi ab eruditis ejus Interpretibus debuit, contigisse, licet statuere. Quod de *Achaia* similiter dicendum est; cui *libertatis* a Nerone datæ, non vero ab hoc Vespasiano ademptæ, idem Plinius (s) alibi meminit. Quibus autem Vespasiani actis addi debet illud, quod tangit paucis post verbis Suetonius (t): nempe qui restitutis, quæ in Capitolii incendio conflagraverant, & quidem undique investigatis exemplaribus, tabulis, *confecit instrumentum imperii pul-*

(o) L. XVIII. cap. 8.
(p) Quom. Conscr.Hist.p.680. Ed. Salm.
(q) In Breviario.
(r) Lib. V. Sect. 36. 37.
(s) L. IV. Sect. 10.
(t) In Vespasian. cap. 8.

cher-

cberrimum ac vetustissimum, quo continebantur jura ab exordio Urbis, senatusconsulta, plebiscita, de societate & fœdere, AC PRIVILEGIO cuicunque concessis: ac proinde de iis quoque libertatis ac αὐτονομίας juribus ac *privilegiis*, quæ variis Romani Orbis gentibus vel civitatibus fuerint subinde, libera adhuc Urbe, aut sub priorum Cæsarum imperio, ex fœdere, aut aliunde permissa. Quomodo a Goltzio referri *Ephesiorum* nummum sub Vespasiano percussum, supra indicavimus, inscriptum ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Ephesiorum Primorum Asiæ Sacræ Et Suis Legibus.* Cui geminus apud eundem & sub eodem Principe nummus legitur *Hyperesiæ*, urbis Achaiæ, cujus ab Homero *(u)* jam olim, præter Geographos, Strabonem *(x)*, Stephanum *(y)*, & priscos Poetarum Græcorum interpretes *(z)*, facta occurrit mentio, cum simili inscriptione, ΥΠΗΡΕΣΙΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Hyperesiorum Sacræ Et Suis Legibus.*

E quibus autem nummis, modo indubia sit illorum fides, utramque hanc urbem, inter *liberas*, & quæ *suis legibus* uterentur, Asiæ & Achaiæ civitates, de quibus mox dicetur, referendam quivis videt. Ab hujus vero Vespasiani filio DOMITIANO, libertatem *Achaiæ*, aut immunitatem a tributis restitutam, inde colligit in eximio opere nuper edito *(a)* vir veterum nummorum intelligentissimus, ac de præclaris illis antiquitatis studiis insigniter meritus: quod nempe nulli hactenus occurrant cusi sub Vespasiano ac Tito *Corinthiorum* nummi, qui sub Domitiano haud pauci adhuc prostant. Quæ tamen conjectura inde statui potest invalida, quod præter Auctorum veterum, & eorum quidem infra Domitiani ævum,

(u) Iliad, B. v. 573.
(x) L. VIII. pag. 383.
(y) In Ὑπερησία.
(z) Schol. Apoll. Rhod. l. 1. v. 3.
(a) Vaillant. de Colon. Imper. T. 1. p. 199.

uti Pausaniæ & Philostrati, qui libertatis Græciæ a Vespasiano ademptæ meminerunt; de eadem autem a Domitiano restituta omnino tacent, silentium; præter id, inquam, non eadem foret horum *Corinthiorum*, uti nec *Patrensium*, quæ reliquarum Achaiæ urbium, ratio. Erat enim utraque illa civitas, quod vel ex veteri earundem, & in illo luculento viri præstantis opere conspicua penu, constat, Romana colonia: quarum itaque potior quædam ratio haberi a Principe vel a Senatu potuit, quacunque tandem agerent aliæ ejusdem provinciæ civitates conditione.

Quamquam mox sub TRAIANO, liberas adhuc fuisse plures Achaiæ urbes, idque jus iis ab antiquo, ac proinde etsi mutata subinde fuerit illius provinciæ seu reliquarum in eadem civitatum administratio, adsertum, docet junior Plinius ea epistola *(b)*, qua Maximum missum ad ordinandas liberas Græciæ seu Achaiæ civitates, adloquitur, easdemque illi commendat: *Cogita te missum in provinciam ACHAIAM, illam veram & meram GRÆCIAM, in qua primum humanitas, literæ etiam, fruges, inventa esse creduntur: missum AD ORDINANDUM STATUM LIBERARUM CIVITATUM, id est, ad homines MAXIME LIBEROS, qui jus a natura datum, virtute, meritis, AMICITIA, FOEDERE denique, & religione TENUERUNT.* mox: *Nihil ex cujusquam dignitate, nihil ex LIBERTATE, nihil etiam ex petitione decerpseris.* dein, ubi officii delatique muneris eum admonet: *Te vero etiam atque etiam (repetam enim) meminisse oportet officii tui TITULUM, ac tibi ipsi interpretari, quale quantumque sit, ORDINARE STATUM LIBERARUM CIVITATUM. Nam quid ordinatione civilius? quid LIBERTATE pretiosius?* In quarum autem *liberarum* in Græcia *urbium* numerum *Athenienses* & *Lacedæmonios* refert ibidem Plinius: *Habe*

(b) Lib. VIII. Epist. 24.

ente

ante oculos &c. ATHENAS esse, quas adeas: LACEDÆMONEM esse, quam regas, quibus reliquam umbram & residuum LIBERTATIS NOMEN eripere, durum, ferum, barbarumque est. E quibus utique abunde, ut opinor, liquet: Primo, non universæ *Græciæ* vel *Achaiæ*; seu singulis ejus civitatibus, ademptam a Vespasiano *libertatem*; sed illam, eo, qui in aliis etiam Romanis provinciis (ut vel ex iis, quæ hactenus sunt a nobis observata, de variis *Siciliæ, Syriæ, Asiæ Proconsularis, Ciliciæ, Galliæ*, etiam & *Hispaniæ liberis* itidem *urbibus* constare potest) obtinuit more, iis Græcanicis itidem civitatibus, quæ ea jam ab antiquo fruebantur, tum relictam. Secundo, ad easdem *liberas urbes ordinandas*, & tanquam Romani in eadem provincia Rectoris jurisdictioni exemptas, extra ordinem subinde a Romanis missos, qui illas, idque citra imminutæ libertatis jura, constituerent ac regerent. Quomodo etiam Herodes Atticus, sub Hadriano præfuisse liberis Asiæ civitatibus, uti id jam ante obiter adtigi, & qua de re mox adhuc videbitur, a Philostrato dicitur: ac unde adductus Plinii locus de Maximo misso similiter *ad ordinandum statum liberarum* Achaiæ *civitatum*, easque *regendas*, haud parum illustratur. Tertio in eo *liberarum* Achaiæ *civitatum* censu, ob pristinam urbium celebritatem, & quendam olim in Græcia principatum; eamque, qua illæ ab antiquo fruebantur, ut jam antea e Cicerone, Cæsare, Pausania, Appiano, vidimus, & e majore Plinio, qui *liberas* easdem vocat, præterea liquet, *libertatem* ac αὐτονομίαν, *Athenas* nempe & *Lacedæmona*, commendari potissimum ab altero Plinio, & quarum in primis rationem a Maximo ad eas regendas misso haberi velit. Quibus accedit eadem hujus Plinii ætate, & Trajani itidem familiaris, Dio Prusæensis *(c)*, a quo *Athenienssium* itidem & *Lacedæmoniorum*, præter *Byzantios* &

(c) Orat. XXXI. p. 343.

Myti-

Mytilenæos, qui libertate, seu ea, quam ait Plinius, *libertatis umbra* adhuc gauderent, fit mentio. Quum enim earundem, quas dixi civitatum, earumve in erigendis statuis studii, & sumptuum eam in rem impensorum, in Rhodiaca meminisset, quendam Rhodium se audivisse dicentem addit, οὐχ ὅμοια τὰ ἐκείνων καὶ τὰ ὑμέτερα. τοῖς μὲν γὰρ μόνον ὑπάρχειν ΤΗΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ, δίχα ΑΘΗΝΑΙΩΝ. καὶ τούτους δὲ μηδὲν μέγα κεκτῆσθαι· τὴν δὲ ὑμετέραν πόλιν ἐπίφθονον εἶναι παρὰ πᾶσιν, ὡς ἄριστα πράττουσαν. *Non pares esse illorum & res vestras: Illis enim solam superesse LIBERTATEM, exceptis ATHENIENSIBUS, & hos tamen nihil magni possidere; vestram autem Rhodiorum civitatem invidia laborare apud omnes, velut quæ in optimo rerum suarum statu esset*, seu *opibus abundaret*. Quibus equidem verbis, cum *liberas* adhuc ea ætate urbes illas, de quibus ibi agit, *Athenas*, *Lacedæmona*, *Byzantium*, *Mytilenas* exstitisse, fidem facit hic Dio: tum *Athenienses*, non ea quidem libertate, ut ejus de iis verba possent forte nonnullis imponere, exutos; sed præ illis *Lacedæmoniis*, *Byzantiis*, *Mytilenæis*, aliquantum plus posse *Rhodios*, seu viribus adhuc & facultatibus plus valere. Quarto, haud tamen ex adductis vel Plinii, vel hujus Dionis locis statuendum esse, eas equidem solas, *Athenas* nempe & *Lacedæmona*, illo libertatis jure tum in Græcia seu Achaia usas. Quod vel e majori Plinio constare potest, a quo, & proinde Vespasiani (*d*) adhuc ætate, *liberæ* insuper dicuntur in eadem gente, *Thespiæ*, *Tanagra*, *Delphi*; ac præterea in adducto paullo ante Vespasiani nummo, inscripta ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ *Hyperesia*. Verum ad quæ ejusdem VESPASIANI, & qui proxime ante eum decesserunt, GALBÆ, OTHONIS & VITELLII tempora referri insuper debet, id quod a Proculo J. C. qui ea ætate Romæ floruit, *de liberis ac fœderatis populis*, quæque illorum conditio fuerit, in celebri ea

(*d*) L. IV. Sect. IV. 12.

de

de re lege, ſupra jam a nobis diſcuſſa, tangitur: ut nempe etſi alterius populi, Romani nempe, majeſtatem comiter conſervare tenerentur, & ſuperiorem eundem haberent, haud eo minus *liberi* iidem forent.

Quibus addi debet ſub *Trajano*, & a quo libertatem conſequuta apud (*e*) Pauſaniam dicitur urbs Meſſeniorum *Methone*; prout legi apud eum debet cum eo loco, tum (*f*) alibi, ubi illius urbis meminit, & ex aliis antiquis Auctoribus conſtat, (*g*) Strabone, Harpocratione, Stephano (*h*) &c. & recte uno apud eundem Pauſaniam loco, (*i*) Μεθώνη, inquam non Μοθώνη, aut Μοθωναῖοι. Cujus autem Pauſaniæ ea ſunt de hac urbe verba: (*k*) ΜΕΘΩΝΑΙΟΙΣ δὲ βασιλεὺς μὲν ΤΡΑΙΑΝΟΣ ἔδωκεν ΕΛΕΥΘΕΡΟΥΣ ὄντας ἐν ΑΥΤΟΝΟΜΙΑ πολιτεύεσθαι. *Imperator vero TRAJANUS METHONÆIS conceſſit, ut cum LIBERI eſſent, SUIS LEGIBUS rempubl. adminiſtrarent.* Quod de *Argivis* quoque, etſi *liberis* Achaiæ populis eos non adnumeret major Plinius, ſtatuendum videretur, cum ex iis, quæ de illis tradit Pauſanias (*l*), ΑΡΓΕΙΟΙ δὲ ἅτε ἰσηγορίαν, καὶ ΤΟ ΑΥΤΟΝΟΜΟΝ ἀγαπῶντες ἐκ παλαιοτάτε. *ARGIVI autem, qui jam ab antiquo juris æqualitatem, & SUARUM LEGUM libertatem imprimis diligebant*; tum e Juliani Imperatoris de iiſdem Argivis narratione: eos nempe a vicinorum Lacedæmoniorum imperio liberam ſemper ſuam urbem defendiſſe; hanc Romanis poſtea paruiſſe quidem, ſed non tam victam, quam in fœdus ac ſocietatem adſumptam, ac, ut addit, (*m*) καὶ, ὥσπερ οἶμαι, μετέχει καὶ αὐτὴ, καθάπερ αἱ λοιπαὶ, ΤΗΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ, καὶ τῶν ἄλλων δικαίων, ὅσα νέμουσι ταῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα πόλεσιν οἱ κρατοῦντες ἀεί. *Atque, ut opinor, ET*

(*e*) L. IV. p. 283.
(*f*) Ibidem p. 221.
(*g*) L. XIII. p. 359.
(*h*) In Μεθώνη.
(*i*) In Μεθώνη.
(*k*) L. IV. p. 283.
(*l*) L. II. p. 118.
(*m*) Epiſt. XXXV. p. 408. ult. edit.

LI-

LIBERTATIS, *& juris omnis particeps ea itidem fuit, quo reliquæ Græciæ civitates utuntur, perpetuo concessu ac munere Imperatorum.* Sed de quo Juliani loco, Græcos in genere quod adtinet, occurret adhuc dicendi in sequentibus locus. Quamquam ne id de *Argivis*, quod etiam dubitanter de iis tradit ibi Julianus, continuo statuatur; eos nempe αὐτονομίας seu *libertatis*, juxta Athenienses & Lacedæmonios, aut alias adhuc Græcorum urbes, fuisse ab antiquo sub Romanis Imperatoribus participes, præter adductum Plinii de iisdem, tanquam *liberis*, silentium, obstat insuper Strabonis de iis locus, alia occasione jam adductus, ubi Argivos a Lacedæmoniis *(n)* nobilitate superatos tradit, quod hi se αὐτονόμους conservassent. *Rhodiis* autem in Asia ademptam a Vespasiano, ut vidimus, *libertatem*, iis jam sub Trajano restitutam, luculentus testis est idem memoratus paullo ante oris aurei Dio; & quidem cum alibi, tum in eadem Rhodiaca, ubi de Rhodiis ait *(o)* eos metuere, ne si uni cuipiam e prætereuntibus Rhodum, non erigant continuo statuam, τὴν μὲν ἂν ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ οἴεσθε ἀποβάλλειν. ἀλλ᾽ εἴγε οὕτως σφόδρα ἐπισφαλής ἐστιν, ὥστε ἐκ τῆς τυχούσης προφάσεως ἀφαιρεθῆναι, ΔΟΥΛΕΥΕΙΝ ὑμῖν τῷ παντὶ βέλτιον ἤδη. *LIBERTATEM putatis vos amissuros. Verum, si quidem in tanto discrimine versatur LIBERTAS, ut vobis ex qualibet levi caussa auferatur, SERVITUS vobis melior ex omni parte jam erit.* Adde in proxima ad Alexandrinos Oratione: *(p)* Ἴστε ΡΟΔΙΟΥΣ ἐγγὺς ὄντας ὑμῖν ζῶντας, ΕΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ, καὶ μετὰ πάσης ἀδείας. *Novistis RHODIOS ita prope vos, viventes IN LIBERTATE, & quidem cum omni securitate.* Ut ea jam mittam, quæ vel de Romanis in genere dicit in priori Oratione, *(q)* Romanos nempe non ita esse lævos & agrestes, ὥστε μηδένα αἱρεῖσθαι ΤΩΝ ὑπ᾽ αὐτοῖς ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ εἶναι, *ut neminem sub se per-*

(n) L. VIII. p. 375.
(o) Orat. XXXI. p. 345.
(p) Orat. XXXII. p. 377.
(q) Orat. XXXI. p. 334.

fe-

ferant LIBERUM, ſed malle, quod addit, municipiis imperare. *Amiſum* vero, celebrem olim ac Græcanicam Ponti urbem, eandemque *liberam*, & Trajani beneficio *ſuis utentem legibus*, tradit in epiſtola ad eundem Principem ſcripta Plinius: *(q) AMISENORUM vero civitas LIBERA & fœderata, beneficio indulgentiæ tuæ LEGIBUS SUIS utitur: in hac datum mihi publice libellum* ad Eranos *pertinentem, his literis ſubjeci* &c. Cui autem reſpondet ſequenti epiſtola ſeu reſcripto Trajanus, ut *Amiſenos* pro illo ſuarum legum ſeu αὐτονομίας jure, *Eranos* (de quibus conſuli poteſt Cl. Cellarii ad eum locum nota, & alioquin e Scriptoribus Atticis, de ære collatitio ad ſublevandos egenos dici conſtat) habere non impediat; cæteris vero, qui Romanorum legibus, ſive provincialibus Præſidum Edictis regebantur, id vetet; *(r) AMISENOS, quorum libellum Epiſtolæ tuæ junxeras, ſi LEGIBUS ISTORUM, quibus de officio fæderis UTUNTUR, conceſſum eſt, Eranos habere, poſſumus, quo minus habeant, non impedire. In cæteris civitatibus, quæ NOSTRO JURE OBSTRICTÆ ſunt, res hujuſmodi prohibenda eſt.* Quæ autem *libertas* ac αὐτονομία, non primum hiſce *Amiſenis*, ut arguere videntur Plinii verba, a Trajano fuerat conceſſa: ſed quam hæc urbs ſub Romanis, a Lucullo primum, devicto Mithridate, & qua de re paullo ante; dein a J. Cæſare, poſt eam a Pharnace captam ac direptam; poſtremo a Stratonis tyrannide liberata, poſt Actiacam victoriam, fuerat ab Auguſto, ut e *(ſ)* Strabone, *(t)* Dione, ac *(u)* Appiano diſcimus, & viderunt jam alii, conſequuta; ac inde *libera* etiam a majore *(x)* Plinio, proinde ante Trajanum, eſt eadem appellata. Ut mittam obvios illius urbis in præclaris Cimeliarchiis nummos, qui etſi poſt Trajanum, ſive ſub ſucceſſore ejus Hadriano, aut con-

(r) Lib. X. Epiſt. 93.
(r) Ibid. Epiſt. 94.
(ſ) Lib. XII. p. 547.
(t) Lib. XLII. p. 206.
(u) Mithridat. p. 228.
(x) Lib. VI. Sect. 2.

juge ejus Sabina, ac aliisve dein Cæsaribus percussi, & de quibus (y) nos jam olim, & supra obiter monuimus, cum adscripto ΑΜΙCΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ, *Amisi Liberæ* elogio. Cujusmodi insignem utique mole ac pretio nummum, qui Antonini Caracallæ effigiem in anteriori ejus parte exhibet, quique exstat in Thesauris Gallorum Regiis, ad majorem ejus rei fidem, hic exhibemus; in quo Victoria stans in bigis cum corona & palma, notis partæ ab hostibus victoriæ symbolis, cernitur: circum autem, ΑΜΙCΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑC ΕΤ CΜΕ. *Amisi Liberæ Anno CCXLV.*



Additi nempe Æræ eorundem *Amisenorum* anni, a tempore partæ eorum *libertatis*; sive statim ab expulso Stratone tyranno, atque ita ab anno U. C. DCCXXI, aut, juxta alios, DCCXXIII; aut vero, anno DCCXXIV, si, quod quibusdam rursus visum, ab anno, qui excepit Actiacam victoriam, sumatur ejus Æræ initium. Qua de re, & duplici etiam, aut triplici juxta nonnullos, illius urbis æra, aliqua inter eruditos Chronologos, aut nummorum interpretes diversitas est nuper tradita, & quæ jam non est hujus loci. Quod vero hic adtendi merebatur,

(y) Diss. de Præst. Num. p. 783. & 871.

batur, *libera* utique, quod præclara hæc & publica ejusdem civitatis monumenta luculenter arguunt, & *Trajani beneficio suis uti legibus*, seu Αὐτόνομος, vere dicta a juniore Plinio, ut paullo ante vidimus, *Amisus*: non quod id jus ab eo Principe primum sit nacta, sed quod illud a Trajano confirmatum eidem fuerit, ac proinde illius beneficio ac indulgentia, eo adhuc perfruerentur *Amiseni*.

Exstat vero inter Græcos ac insignes TRAIANI nummos, unus in Gaza Gallorum Regia, ac inde pridem a me, ubi eum cum aliis ejusdem Gazæ cimeliis videre primum contigit, *(z)* memoratus ac descriptus, ut id obiter jam ante diximus: nempe ΔΩΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥΛ. ΑΥΤΟΝ. ΝΑΥΑΡΧ. *Dororum Sacræ Inviolabilis SUIS LEGIBUS*, *Navarchidos*, vel juxta viros *(a)* eruditos, *Classicæ*. Quod *Autonomiæ* sive *Suarum Legum* jus ibi traditum, jam a Pompeio, & ducta quoque inde Æra, maritima hæc Phœniciæ, uti a *(b)* Plinio non solum, sed a *(c)* Josepho etiam dicitur, civitas erat nacta: prout illud ex aliis ejusdem oppidi nummis, & ex eodem *(d)* Josepho, vidit ac adnotavit eximio, quo id agebat opere, dignitate ac eruditione præfulgens *(e)* *Norisius*. Neutiquam vero accedo alteri viro *(f)* de præclaris hisce antiquitatibus insigniter merito, qui Vespasiani, quem adducit, nummum cum nomine gentili ΔΩΡΙΕΩΝ, de his in Phœnicia, ut ille eosdem vocat, *Doriensibus* interpretatur; ac unde in vulgatis, quæ postrema ejusdem operis editio in fronte exhibet, nummorum ectypis, inscribitur idem nummus, ΔΩΡΙΕΝΩΝ, cum lemmate, *DORANORUM* in Phœnice. Verum ΔΩΡΑ, ut liquet ex alio Trajani nummo in ca-

(z) Diss. de Præst. Num. p. 779.
(a) Hard. de Num. Urb. Il. p. 145. Noris. Epoch. Syr. Maced. Diss. IV. 5.
(b) Lib. V. Sect. 17.
(c) Adv. Apion. L. II. p. 1067.
(d) Antiq. L. XIV. c. 8.
(e) Ut super.
(f) Vaillant Num. Græc. Imp. p. 21.

dem Gaza Regia, ipso urbis, non gentili nomine, effertur, sicut id aliis quoque urbibus contigit, quod superstites earum nummi arguunt, velut in eadem Phœnice, *Sydonis*, *Tyri*, *Cæsareæ* in Palæstina, aut *Gazæ*, *Nesibi*, *Singaræ* in Mesopotamia; *Tarsi* ut plurimum, *Anazarbi*, & *Sebastes*, in Cilicia. *Mocæ* in Arabia: *Amasiæ*, & frequentius *Amisi*, in Ponto, aliarumque id genus. Quomodo etiam passim apud Josephum, ubi haud infrequens illius *Doræ* seu *Dororum* (ita enim plurium numero passim, illud oppidum ab (*g*) eodem effertur) fit mentio, Δῶρα, nisi quod uno vel altero apud eundem (*h*) loco, gentili nomine Δωρεῖται appellantur. Quamquam in ea, quæ ibi continuo sequitur, Petronii Syriæ Præsidis, ad hosce *Doritas* epistola, legatur eadem ab illo inscripta Δωριέων τοῖς Πρώτοις, *Doriensium primatibus*: sed ubi, levi utique errore ι pro τ a librariis adscripti, Δωριτῶν legendum suadet facta proximis ante verbis, ac duobus quidem locis, Δωρεῖται & Δωριτῶν, mentio. Ni tamen id quispiam malit, ut haud insolito, & quod vel ex ipsa veterum nummorum supellectile olim (*i*) ostendimus, variarum urbium more, gentile hujus oppidi nomen Δωρεῖται ab indigenis, juxta *loci typum*, seu κατὰ τὸ ἐπιχώριον, sicut ea de re frequenter, quod ibidem vidimus, ὁ Ἐθνικογράφος, ab exteris vero Δωριεῖς *Dorienses* sint appellati. Haud aliter ac vicinæ *Gazæ*, & quod jam ante erat a (*k*) me monitum, contigit, ut, autore eodem (*l*) Stephano παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις *ab indigenis* Γαζῖται similiter sint dicti, ab aliis vero Γαζαῖοι & Γαζηνοί. Qua ratione etiam factum videtur, ut in Græco Josephi (*m*) fragmento secundi contra Apio-

(*g*) Antiq. L. V. c. 3. L. XIV. c. 13. Bell. Jud. L. 1. c. 2. &c.

(*h*) Antiq. L. XIX. c. 5. 67.

(*i*) Diss. de præst. Num. p. 810.

(*k*) Ibid. pag. 61.

(*l*) In Γάζα.

(*m*) Adv. Apion. L. II. p. 1067.

nem

nem libri, & cujus Græca verba ſunt hactenus deperdita, legamus, a Zabido quodam vocari *Apollinem Deum Dorenſium.* Sed quodcunque tandem fuerit gentile hujus urbis nomen, illud utique certum, quod ΔΩΡΙΕΩΝ in Græcis Imperatorum nummis, non de Phœnicibus hiſce *Doritis* vel *Dorienſibus*, ſed de Græcis *Doribus* dicantur; indeque vulgo in iis conjungantur ΙΩΝΩΝ ΔΩΡΙΕΩΝ, *Ionum, Dorum*: ſicuti, præter deſcriptos jam a *(n)* viris præſtantibus nummos, in ſingulari nummo Macrini Imp. ſuppeditavit *(o)* mihi olim Reginæ Suedorum CHRISTINÆ Gaza, inſcriptum ſimiliter CYNNAΔΕΩΝ ΙΩΝΩΝ ΔΩΡΙΕΩΝ *Synnadenſium Ionum Dorum*, quæ obvia ἐπιγραφῆς illius, & quæ ad Panionium, ut viſum nuper *(p)* viro in hoc cæteroquin veteri ære valde exercitato, nullatenus reſpicit. *Synnada* enim, ut aliunde notum, in Phrygia; neque inter eas civitates relata, e quibus conſtabat illud *Panionium.* Mitto cæteroquin quod de *Doris* oppido, tanquam Cæſareæ in Palæſtina vicino, ſive inter *Cæſaream* & *Tripolim* medio, legitur in *(q)* Recognitionibus Clementinis: A quibus haud aliena apud Joſephum loca videas, *(r)* ubi eadem *Cæſarea*, media inter *Dora* & *Joppen* dicitur: *Dora* autem, quod & *(ſ)* alibi libro de vita ſua, & præterea *(t)* adverſus Apionem tradit, in Phœnice ſita, & quidem, quod in poſtremo loco inſuper addit, prope Carmelum montem. At vero, & quod adtendi omnino hic meretur, idem alibi in *(u)* Originibus, Δῶρα, πόλιν Ἰδυμαίας, *Dora urbem Idumææ*, quæ tamen

(n) Triſtan. T. II. p. 202. Patin. Num. Impp. p. 168. Vaill. Num. Græc. Impp. p. 57.

(o) Diſſ. de Præſt. Num. p. 883.

(p) Vaillant. Num. Impp. Græc. p. 123.

(q) Lib. III. c. 30. & L. V. c. 1.

(r) Antiq. L. XV. c. 13. Bell. Jud. L. I. c. 16.

(ſ) Pag. 1000.

(t) Lib. II. p. 1067.

(u) Antiq. L. XIII. c. 11. p. 446. Ed. Genev.

regio

regio erat ab eo tractu dissita, aperte nuncupat: dicto autem adversus Apionem loco, eum haud leviter redarguit, quod *Doram* (singulari enim numero ibi, præter ejus morem effertur id oppidi hujus nomen) in Idumæa collocarit, *quum in Idumæa nulla tamen daretur urbs Dora*, καὶ Δῶρα ταύτης (*Idumææ*, de qua ibi agitur) ἐστὶν οὐδεμία πόλις, quæ civitas foret, quod addit, ac ut modo dicebamus, in Phœnice juxta Carmelum montem, & quatuor quidem dierum spatio ab Idumæa dissita. Quæ utique adversis frontibus, quod aient, inter se manifesto arietant. Quis autem gravissimum Auctorem de vicino genti suæ, & cujus sæpius alibi meminit, oppido, ejusque situ, sibi invicem adeo contraria tradentem non obstupescat, seu potius mendi quid latere alterutro in loco, non continuo suspicetur? Ἄδωρα quidem oppidum, quod hic ante omnia monendum est, memoratur alibi haud semel a Josepho, tanquam Idumææ civitas: ut quum Judæos, Alexandri eorum Regis temporibus, plures Syrorum, Phœnicum, & Idumæorum urbes tenuisse *(x)* idem observat, & quidem ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ κατὰ τὴν Ἰδουμαίαν, Ἄδωρα καὶ Μάρισσαν, *in mediterranea vero* regione *per Idumæam*, *Adora & Marissam*: ac jam ante, *(y)* ubi Hyrcanum refert cœpisse easdem Idumææ urbes Ἄδωρα καὶ Μάρισσαν, *Adora & Marissam*. Unde adducto supra apud Josephum *(z)* loco, pro Δῶρα πόλιν Ἰδουμαίας, *Dora urbem Idumææ*, continuo Ἄδωρα, unius literæ a librariis omissæ, quibus notius erat sæpius a Josepho memoratum oppidum *Dora*, adjectione, legendum liquet. Immo quod id omnino præterea adstruit, prout apud *(a)* Maccabæorum scriptorem, in narratione hujus Tryphonis in Judæam expeditionis, Ἄδωρα itidem, non Δῶρα, ut hodie apud Josephum, legitur. Quomodo

(x) Ibidem c. 23.
(y) Ibidem c. 17.
(z) Ibidem c. 11.
(a) Lib. 1. c. XIII. v. 20.

etiam

etiam idem Josephus *(b)* duobus in locis libri primi Excidii Judaici, duo Idumæa oppida memorat, Δωρεὶν καὶ Μάρισσαν, *Dorein & Marissam*, ubi Ἄδωρα itidem pro Δωρεὶν, ex adductis modo Originum locis reponendum quivis videt. Verum istud postea vidi jam occupasse *(c)* virum doctissimum, qui notas confecit in primum & partem secundi libri Ἁλώσεως, cum aliquot libris Originum, Oxonii editum. *Dora* autem, in quam urbem, dum Antiochum Sidetem fugit, dicitur aliquo post tempore profectus idem Tryphon, ibique ab Antiocho obsessus, haud alia quam maritima illa Phœnices civitas; ut vel e *(d)* Maccabæorum Scriptore præterea constat, a quo in narratione hujus rei dicitur Tryphon φεύγων εἰς Δῶρα (apud Josephum hodie, ubi de eo agit *(e)* Δώραν, *(f)* alibi ἐν Δώροις) τὴν ἐπὶ τῆς θαλάττης, *fugiens Dora, quæ ad mare.* Hinc eadem urbe terra ac mari ab Antiocho obsessa, & e qua navi elapsus sit *Orthosiada* Tryphon, traditur ab Auctore Maccabæorum; a Josepho vero *Apameam*, ac ubi cæsus sit idem Tryphon. Eadem proinde *Dora*, quæ cum *Sacræ* & *Inviolabilis*, tum ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ & ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ privilegiis, in memorato Trajani nummo decoratur; quæ *(g)* alioquin φρούριόν τι δυσάλωτον, *castrum quoddam haud facile expugnandum*, in quod confugerit Tryphon, a Josepho tantum dicitur: arcem nempe, ut videtur, pro more id genus civitatum, urbi impositam. Ita Josephus secum tandem conciliatus, dum in adducto Originum loco, Ἄδωρα, sed ubi male Δῶρα hodie legitur, *Idumææ urbem*, qualis ab eo memoratur, vocat: alibi vero *(h)* Apionem, ut diximus, redarguit, qui *Dora* urbem *Idumææ*, dixerat, in qua

(b) Bell. Jud. L. 1. c. 2. & c. 6.

(c) Not. ad Bell. Jud. L. 1. c. 11. p. 11.

(d) Lib. I. c. 15. v. 20.

(e) Antiq. L. XIII. c. 12.

(f) Bell. Jud. L. 1. c. 2.

(g) Antiq. ut supra.

(h) Lib. I. p. 1067.

nulla

nulla tamen daretur urbs *Dora*, quæ maritima erat Phœnices ad Carmelum montem civitas. Deceptum vero inde liquet Grammaticum illum Alexandrinum, nominis adfinitate, dum verbum Phœnices Δῶρα, cum oppido Idumææ Ἄδωρα confundit: cujusque rei vel erroris, haud gravis utique, occasio poterat a Josepho obiter indicari; potius quam ut illum eo nomine haud leviter perstringeret.

Ut vero ad TRAIANUM redeam, ab eo cæteroquin non Αὐτόνομος relicta, sed *obtemperare Romanis legibus compulsa*, tum primum, ut de ea loquitur Ammianus Marcellinus, *Arabia*; tum insuper *Mesopotamia*, *Assyria*, *Armenia*, *Dacia*: quod præter Auctores, qui ejus rei meminerunt, vel veteres, & cum a nobis pridem alibi, tum a præstantibus antiquariis descripti ejusdem Trajani nummi luculenter ostendunt: in quibus nempe, aut ARABIA AUGUST. PROVINCIA, vel ADQUISITA, quæ proinde, juxta notam Provinciarum imperii Romani sub Augusto divisionem, tanquam Imperatoris Provincia, a Legato Augusti regeretur: aut, ARMENIA ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM P. R. REDACTÆ, atque ita inter Populi Romani provincias, in quas ille Rectores mitteret; aut DACIA AUGUSTA PROVINCIA, Imperatoris ideo, non Populi Romani, consignantur.

Eædem vero Provinciæ, *Assyria*, *Mesopotamia*, *Armenia*, mox a Trajani successore HADRIANO, ceu, qui illius invideret gloriæ, ut de ea re *(i)* Eusebius, *(k)* Rufus, *(l)* Eutropius; sive, juxta *(m)* Spartianum, quod eas teneri non posse existimaret, mox omissæ, ac proinde *suis* denuo *legibus*, sive Regibus verius, fuerunt redditæ. Idem vero Hadrianus, *Atheniensibus LEGES petentibus, ex Draconis, Solonis, reliquorumque libris JURA composuisse*, in

(i) Ad Olymp. CCXXIV. 1.
(k) Lib. VIII. c. 6.
(l) In Breviario.
(m) In Hadrian. c. 5.

in *(n)* Eusebiano Chronico dicitur, & inde a *(o)* Cassiodoro, ac *(p)* Nicephoro Callisto, ut jam ad Eusebium monuit *(q)* ὁ πάνυ. Quod proinde ab Hadriano factum statuendum est, quo tempore, etsi forte non conveniant hodie numeri Eusebiani, est ille Atheniensium *(r)* Archon constitutus; aut Atheniensibus multa contulisse, alibi a *(s)* Spartiano dicitur. Qua ratione autem Hadrianus, novi Atheniensium juris, non tam conditor, quam restitutor exstitit: hi autem nec dum Romanis, sed avitis antiquissimorum suorum legislatorum legibus obstricti, ac proinde αὐτόνομοι etiamnum Athenienses. In *Asia* vero *Proconsulari* liberas adhuc ac αὐτονόμους sub hoc Principe civitates exstitisse, abunde docet indicatus jam ante Philostrati de Herode Attico locus, & cujus sunt ea de re verba: *(t)* ἦρχε μὲν γὰρ τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ΕΛΕΥΘΕΡΩΝ ΠΟΛΕΩΝ ὁ Ἡρώδης, *LIBERIS enim Asiæ CIVITATIBUS Herodes præfuit.* Haud aliter ac sub Trajano, ut paullo ante vidimus, missus, juxta Plinium, Maximus, ad ordinandum statum liberarum Achaiæ civitatum, sive quas ille, ut ibidem dicitur, regeret. Sub Hadriano autem id munus huic Herodi Attico, qui adhuc M. Antonini ætate, ut ex eodem *(u)* Philostrato ac aliunde liquet, vixit, delatum: ac inter *liberas* illas Asiæ *urbes*, quibus tum præerat, *Troadem* fuisse arguit, quod ibi apud Philostratum sequitur, de consulto Hadriano Imperatore ut eidem *Troadi*, aquæ penuria laboranti subveniret, sumptusque eam in rem necessarios suppeditaret. Præter hanc *Troada* vero, quænam aliæ tum fuerint *liberæ* in Asia, proconsulari alioquin Romanorum provincia, *urbes*, quibus præesset hic Hero-

(n) Ad Olymp. CCXXV. 2.
(o) In Chronico.
(p) Hist. Eccl. L. III. c. 24.
(q) Scalig. Anim. p. 211.
(r) Spartian. in Hadrian. c. 19.
(s) Ibid. c. 13.
(t) De Vit. Soph. L. II. p. 547.
(u) Ibidem p. 556.

des, neque tangit ibi Philostratus, neque aliunde nobis hodie constaret, nisi ex iis, quæ belli Mithridatici, aut postea Labieni in Cariam expeditionis temporibus contigisse, ac Ciceronis alioquin ætate, supra notavimus: nempe quod ob singularem in Populum Romanum fidem, aut quas inde pertulerant, calamitates vel injurias, haud uni vel alteri solum Asianæ urbi, sed pluribus, libertas ac αὐτονομία fuerit a Populo Romano, vel ab Augusto dein indulta. Quod nominatim de *Magnesia*, *Ilio*, *Chio*, *Erythræa*, *Apollonide*, bello Mithridatico, e Cicerone, Tacito, ac Appiano; de *Stratonicea* autem & *Aphrodisiade* in Caria, post J. Cæsaris obitum, e Tacito rursus, Plinio, ac Dione, est a nobis observatum: ut eadem hic denuo ex Auctoribus illis, aliisque antiquis monumentis retractare haud sit opus. Id similiter jam ante, ac libera adhuc Republica, de *Phocæa*, & *Bargyliis*; de *Epheso* autem & *Halicarnasso* sub Cæsaribus vidimus, totidem Æolidos, Cariæ & Ioniæ, ac Proconsularis proinde illius Asiæ, urbibus, veterum aliquot, de quibus paullo ante egimus, aut agetur adhuc, nummorum fide est antea ostensum. Adeo ut vel inde solum haud exiguus adeo *liberarum* Proconsularis *Asiæ* urbium numerus eruatur, quibus præesse potuerit hic Herodes Atticus, sive ad quarum statum ordinandum fuerit ab Hadriano extra ordinem missus. Idem cæteroquin ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ seu *SUARUM LEGUM* beneficium vindicat sibi sub eodem *Hadriano*, urbs Cappadociæ *Tyana* in antiquo ejus nummo Gazæ Gallorum Regiæ, uti postea in aliis adhuc ejusdem urbis nummis sub *Pio* ac *Severo*: nempe ΤΥΑΝΕΩΝ ΠΡ. Τ. ΙΕΡ. ΑΣΥΛ. ΑΥΤ. ΕΤ. Ε. *Tyaneorum Ad Taurum Sacræ Inviolabilis*, *ET SUIS LEGIBUS Anno* V. Eum equidem nummum, seu priores ejus literas ΠΡ. Τ. aliter supplet & explicat (*x*) Harduinus; nempe Καππαδόκων πρώτης τῆς ἱερᾶς, *Cappadocum. Primæ.*

(*x*) Num. Urb. Ill. p. 510.

Sacræ &c. Verum quum eadem urbs *Tyana* ſub Tauro monte, ſive πρὸς τῷ Ταύρῳ, *Ad Taurum*, ut de ea *(y)* Strabo, eſſet ſita; haud infrequens vero ſit in nummis antiquis indicatus urbium id genus ad montes, ſicut ad fluvios, vel ad mare, ſitus; uti ne longius abeam, ad hunc ipſum Taurum, in nummo Antiochiæ Cappadocum ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΠΙ ΤΑΥΡΩ, *Antiochenſium ad Taurum*, & in eadem Cappadocia, *Cæſareæ ad Argæum*, ΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΑΡΓΑΙΩ, haud immerito utique literas illas in nummo *Tyanorum* ΠΡ. Τ. πρὸς Ταῦρον, ſive *Ad Taurum* explicavit *(b)* Cl. Vaillant. Mitto aliam *Antiochiam*, quæ ΠΡ. ΙΠ. ſeu πρὸς Ἵππον, *Ad Hippum* Syriæ montem; aut *Laodiceam*, quæ ΛΙΒΑΝΟΥ & ΠΡΟΣ ΛΙΒΑΝΟΝ, *Libani*, & Ad *Libanum*; aut in Bithynia *Hadriana* ΠΡΟC ΟΛΥΜΠΟΝ Ad *Olympum*, in præclaris itidem nummis; aut alioquin, & de quibus *(c)* olim egimus, ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΣΙΠΥΛΟΥ vel ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ *Magnetum Sipyli*, vel A aut Ab *Sipylo*, ut apud *(d)* Livium ac *(e)* Tacitum. Sicut vero αὐτονόμως exſtitiſſe olim Cappadoces ſupra vidimus; illoque jure etiam ſub Ariarathe eorum Rege uſos, *(f)* tradit Imp. Conſtantinus Porphyrogenneta: ita hanc nobilem in ea gente urbem *Tyana*, eodem illo Αὐτονομίας jure, Imperatorum Romanorum beneficentia, ea ætate uſam, ex adducto illo Hadriani, alioque inſuper Antonini Pii nuummo, demum diſcimus.

(y) Lib. XVII. p. 527.
(z) In Theſauro Goltzii.
(a) In Antonino Pio & M. Antonino.
(b) Num. Imp. Græc. p. 37.
(c) Diſſ. de Præſt. Num. p. 894.
(d) Lib. XXXVII. c. 44.
(e) Annal. IV. c. 47.
(f) De Them. Orient. p. 15.

CAPUT XV.

Variæ gentes ac urbes in Orbe Romano suis legibus usæ *sub PIO* & *MARCO ANTONINIS* : *Athenagoræ ac Aristidis ea de re loca. De* Diocæsarea Ciliciæ ΑΥΤΟΝΟΜΩ *in nummo ejus sub PIO ; non ea quæ in Cappadocia, aut quæ in Palæstina. De alio nummo* ΔΙΟΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ. Anazarbus *dicta olim juxta J. Malelam* , Diocæsarea, *&* *Suidæ ea de re locus notatus. De* Mopsuestia *in eadem* Cilicia ΑΥΤΟΝΟΜΩ *in antiqua inscriptione* Antonino PIO *dicata, Græca aliquot ejusdem verba explicata. De nummis* ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΜΟΨΕΑΤΩΝ *inscriptis. De* Samosatis Commagenes Metropoli, *eademque* ΑΥΤΟΝΟΜΩ *in nummis sub* PIO *&* MARCO ANTONINIS. *De* Capitoliade *urbe* Cœles Syriæ, ΑΥΤΟΝΟΜΩ *in nummis M. ANTONINI & L. VERI.* Capitolienses *qui a Paulo J. C. dicti in Digestis, contra duos viros præstantes. Diversi ab his* ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΙΣ *in dictis nummis, nec ad* Æliam Capitolinam in Palæstina *cum viro docto referendi. Cardinalis Norisius laudatus. De* Anazar-

nazarbo, ſecundæ Ciliciæ Metropoli, ΑΥΤΟΝΟΜΩ *ſimiliter in nummo & cujus icon adfertur, ſub COMMODO. Loca J. Malelæ & Suidæ dc eadem urbe adducta, & confutata* Anazarbus *eadem urbs ante Nervam dicta; & Plinii de ea locus expenſus. Eædem* ΕΝΔΟΞΟΣ *in aliis ejus nummis, & in Actis* S. *Tarachi &c. De* Autonomia *aliiſque juribus* Byzantio, Neapolitanis in Palæſtina, a *SEVERO Imp. ademptis, ac poſtea reſtitutis. Capacii error notatus. De nummis* Seleuciæ, & Capitoliados *in Syria*; Tyanorum *in Cappadocia*; Mokæ *in Arabia*; & Coryci *in Cilicia* ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ *itidem in aliis* SEVERI *nummis.*

SUB ANTONINIS equidem PIO & MARCO, civilis animi & beneficæ naturæ Principibus, haud imminuta leguntur, ſed adſerta potius aut renovata eadem libertatis & *autonomiæ*, quibus variæ adhuc Romani orbis, ut hactenus vidimus, gentes vel urbes fruebantur, privilegia aut immunitates. Cujus utique rei inſigne teſtimonium perbibent, & quæ nuper ad Julianum adduximus, prima Athenagoræ in Legatione ſive Apologia ad M. Aurelium & filium Commodum Imperatores verba: Ἡμετέρα, μεγάλοι Βασιλεῖς, οἰκουμένη ΑΛΛΟΙ ΑΛΛΟΙΣ ΕΘΕΣΙ ΧΡΩΝΤΑΙ ΚΑΙ ΝΟΜΟΙΣ, καὶ οὐδεὶς αὐτῶν ΝΟΜΩ καὶ φόβῳ δίκης, κἂν γελοῖα ᾖ, μὴ στέργειν ΤΑ ΠΑΤΡΙΑ εἴργεται. *Per veſtrum, magni Imperatores, Terrarum Orbem, ALII ALIIS CONSUETUDINIBUS UTUNTUR AC LEGIBUS, nec quiſquam eorum vel*

LEGE

LEGE & pœnæ metu, quo minus PATRIOS RITUS, etiamsi ridiculi fuerint, colere pergat, absterretur. Hinc non solum illud Græci in Asia Oratoris ad M. Antoninum & L. Verum Imperatores: *(a)* Μόνοι γὰρ τῶν πώποτε ἐλευθέρων ἄρχετε. *Vos enim soli iis, qui unquam liberi fuerunt, imperatis:* sed idem alio loco de Græcis, & quidem de liberis adhuc, & primariis insuper eorum urbibus, *Atheniensibus* nempe, de quibus paullo ante, & Lacedæmoniis: *(b)* Διατελεῖτε ΤΩΝ μὲν ΕΛΛΗΝΩΝ, ὥσπερ τινῶν τροφέων ἐπιμελούμενοι, χεῖρά τε ὑπερέχοντες, καὶ οἷα κειμένους ἀνιστάντες, τοὺς μὲν ἀρίστους καὶ πάλαι ἡγεμόνων ΕΛΕΥΘΕΡΟΥΣ καὶ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥΣ ἀφεικότες αὐτῶν. *Jam GRÆCORUM quidem, tanquam nutritiorum curam geritis, cum auxiliares manus iis porrigitis, & jacentes velut erigitis; eorum vero præstantissimos, & olim principes, LIBEROS ET SUIS LEGIBUS UTENTES reliquistis:* alios autem, ut addit, moderata summaque cum parsimonia & providentia regitis.

Opportune vero referendus hic venit *Diocæsareæ* nummus, qui in vulgato nuper a Cl. Vaillant, post primam hujus commentationis editionem, Græcorum sub Cæsaribus nummorum opere, descriptus legitur, ac eidem ANTONINO PIO tribuitur, ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΙΑΣ ΑΥΤΟΝ. *Diocæsareæ SUIS LEGIBUS.* Eundem vero nummum *Diocæsareæ,* quæ in Cappadocia, adscribit idem diligens ac peritus harum antiquitatum, ut Statiano verbo utar, scrutator; quæ utique *magna civitas,* & pro qua is intercedit, ne ob admissum quodpiam facinus, solo æquetur, ab ipso Cappadoce, *(c)* Gregorio Nazianzeno alicubi dicitur. ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ vero eadem urbs in hoc nummo inscripta, sicut altera Cappadociæ itidem civitas, uti in decessoris Hadriani, quod paullo ante vidimus, ita hujus quoque Antonini Pii nummis, *Tyana.* Exstat vero alius, ut obiter

(a) Aristid. Orat. in Romam p. 362.

(b) Ibidem p. 392.

(c) Epist. XXXIX.

ter hoc tangam, Severi Imp. nummus ſignatus ΔΙΟΚΑΙ-ΣΑΡΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ, *Diocæſarienſium Hadrianorum*; cujus autem nummi, poſt eruditum Harduinum, meminit ſub (*d*) finem præclari operis, eruditorum hodie in Urbe Æterna decus Noriſius. Erat vero ille, quod obſervo, nec indicant viri præſtantes, quemque præteriit inter Græcos Severi nummos, nuperus ac diligens, cui præclara hæc ſtudia plurimum debent, id genus cimeliorum interpres, jam ante a (*e*) Cl. Sponio, qui eundem Aleppo, ut ipſe id refert, acceperat, vulgatus. Eundem vero non *Diocæſareæ* in Cappadocia cum Harduino, ſed *Diocæſareæ* in Palæſtina, cujus meminerint (*f*) Socrates, (*g*) Hieronymus, (*h*) Epiphanius, & quibus addi poteſt (*i*) Palladius in Hiſtoria Lauſiaca; quæque eadem fuerit cum *Sepphori* olim dicta, adjudicandum ſtatuit idem (*k*) Noriſius. Idque inde firmat, quod in vicina huic urbi Tiberiade templum fuerit in honorem Hadriani exſtructum, & Ἀδριάνειον *Hadrianeum*, quod tradit (*l*) Epiphanius, appellatum; recepto ſcilicet ſub Cæſaribus ad Deorum exemplum, ſacrarum id genus Ædiam Cæſaribus conſecratarum more. Quamquam, ut hoc paucis tangam, an jam ſub Antonino Pio eadem *Sepphoris*, maxima, ut vel (*m*) Joſepho dicitur, Galileæ civitas, in *Diocæſareæ* nomen tranſierit; haud aliunde conſtat: ſub Trajano certe, qui viginti tantum annis ante Pium ſummæ rerum præfuit, occurrunt adhuc veteres & præclari nummi, cum gentili & antiquo urbis nomine, ΣΕΠΦΟΡΗΝΩΝ. Adde ex illo ΑΔΡΙΑΝΩΝ,

(*d*) Diſſ. de Epoch. Syr. Maced. Diſſ. V. c. 4.
(*e*)
(*f*) Hiſt. Eccl. L. II. c. 27.
(*g*) Prolegom. in Ionam a Lib. de locis Hebr.
(*h*) Hæres. XXX. Ebionitarum.
(*i*) Bibl. Patr. T. II. p. 11.
(*k*) Epoch. Syr. Maced. ut ſupra.
(*l*) Ut ſupra.
(*m*) Bell. Jud. L. III. c. 1.

ſive

ſive *Hadrianorum* tributo his *Diocæſarienſibus* nomine, haud inde poſſe continuo ſtatui, quod nummus ille *Diocæſareæ* in Palæſtina ſit potius tribuendus, quam alteri in Cappadocia, amplæ civitati ; aut vero cognomini itidem urbi apud Ptolemæum in Cilicia ; in monumentis vero Eccleſiaſticis, quod jam vidit doctiſſimus Noriſius, in Iſauria ; in cujus nempe nomen, quod aliunde conſtat, Cilicia *Trachea* ſeu *Aſpera* dein tranſiit, collocata. Plures enim, ac in eo quidem Ciliciæ tractu, urbes, *Adana, Seleucia ad Calycadnum* ; ipſa gentis Metropolis, *Tarſus* ; ac inde paullo remotiores, *Ægæ*, & *Mopſueſtia*, eodem ΑΔΡΙΑΝΗΣ vel ΑΔΡΙΑΝΩΝ nomine ornatæ leguntur in aliis inſignibus nummis vel monumentis antiquis ; ut de poſtrema civitate, eaque etiam ΑΥΤΟΝΟΜΩ in præclaro ac vetuſto ejus urbis nummo, ac in antiqua præterea, in honorem hujus Pii Antonini inſcriptione, jam ante vidimus. Immo e qua inſuper liquet, quod antiqua illa *Autonomiæ*, *Libertatis*, & *Aſyli* ; ſive *Inviolari Soli* jura, ſunt eidem civitati *Mopſueſtiæ* ab hoc Principe denuo adſerta, indeque etiam in perpetuam ejus rei memoriam, eadem inſcriptio illi a Senatu Populoque *Mopſuetarum*, prout ii vocantur in nummis antiquis, dicata. Nempe, poſt præmiſſa hujus Antonini nomina ac titulos, (*n*) ΤΩ ΕΥΕΡΓΕΤΗ ΚΑΙ ΣΩΤΗΡΙ ΑΔΡΙΑΝΗΣ ΜΟΨΟΥΕΣΤΙΑΣ ΤΗΣ ΚΙΛΙΚΙΑΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ ΚΑΙ ΦΙΛΗΣ ΚΑΙ ΣΥΜΜΑΧΟΥ ΡΩΜΑΙΩΝ Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΔΙΑ ΤΗΣ ΘΕΙΑΣ ΑΥΤΟΥ ΔΙΚΑΙΟΔΟΣΙΑΣ ΒΕΒΑΙΑ ΤΗΡΗΣΑΝΤΟΣ ΑΥΤΗ ΤΑ ΕΞ ΑΡΧΗΣ ΔΙΚΑΙΑ, *Benefico Et Servatori Hadrianæ Mopſueſtiæ in Cilicia Sacræ Liberæ Inviolatæ SVIS LEGIBUS UTENTIS, ROMANORUM AMICÆ ET SOCIÆ, Concilium Populuſque Quod Divina Ejus* (nempe *Antonini Pii*) *Juſtitia Vetera Eidem Jura Firma Et Rata Confirmarit.* Ita enim vertenda fuerunt &

(*n*) Theſ. Grut. CCLV. 4.

con-

conjungenda cum ſequentibus ea inſcriptionis verba, ΔΙΑ ΤΗΣ ΘΕΙΑΣ ΑΥΤΟΥ ΔΙΚΑΙΟΔΟΣΙΑΣ &c. non ſicut factum, *quod divina ipſe in jure dicundo clementia ſit uſus, nec non* &c. Neque enim inde publico horum *Mopſeatarum* decreto, celebrata ibi hujus Principis beneficentia, quod jus in hac urbe Αυτονόμῳ diceret: ſed quod ſingulari quadam, ſive divina juſtitia, *Autonomiam,* qua hæc urbs ab antiquo gaudebat, una cum aliis priſtinis ejus juribus, ſartam & tectam eidem conſervarit. Δικαιοδοσία nempe ibi de *juris beneficio* a Pio huic urbi ea in re *præſtito*: apud Polybium vero *(o)* alicubi, de Philippo penultimo Macedonum Rege, συγκλεισθεὶς εἰς τὴν κατὰ τὸ σύμβολον ΔΙΚΑΙΟΔΟΣΙΑΝ πρὸς τὰς ἀστυγείτονας, interprete τῷ πάνυ, *ut DISCEPTARE e formula fœderis cum finitimis cogeretur*: ubi δικαιοδοσία κατὰ τὸ σύμβολον, eſt *juris adminiſtratio juxta pacta & conventa*, & de qua formula dicetur paullo infra. Accedit illud iuſuper in hac inſcriptione haud prætereundum, quod eadem *Mopſueſtia*, urbs quippe inter Ciliciæ primarias; (qua certe, juxta duas ejus Metropoles, *Tarſum & Anazarbum*, omiſſa aliarum provinciæ illius urbium mentione, nobilitari Ciliciam tradit *(p)* Ammianus Marcellinus) dicatur adhuc ibi, ea Cæſarum ætate, *Romanorum amica & ſocia*, ΦΙΛΗΣ ΚΑΙ ΣΥΜΜΑΧΟΥ ΡΩΜΑΙΩΝ, juxta nempe antiquas & conſuetas fœderum formulas, quibus gentes vel urbes in amicitiam ac ſocietatem Pop. Romani venire olim dicebantur, ac inde *Amicæ* & *Sociæ Romanorum*, vel ut in præclaris nummis ſubinde Reges id genus ſocii & fœderati, ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΙ appellari merebantur. Mitto nummos hujus *Mopſueſtiæ* paullo ante memoratos, qui ſub eodem Antonino Pio, aliiſque dein Cæſaribus, Severo, Macrino, Trajano Decio, in Theſauris Gallorum Regiis, vel alibi adhuc proſtant, & quos haud

(o) Exc. Legat. XLVI. p. 860.
(p) Antiq. L. XIII. c. 21.
(q) Lib. XIV. c. 8.

præteriit Cl. Vaillant, inſcriptos, ac unde ἐπιχώριον, quod ſupra jam monui, illius urbis gentile abunde inſuper adſtruitur, ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΜΟΨΕΑΤΩΝ, *Hadrianorum Mopſeatum*, cum adſcripta quoque loci Æra. E quibus autem conſtare poteſt, quod vix tot alterius gentis vel regionis oppida, ſicut *Ciliciæ*, in ambiendo & vindicando ſibi hujus Imp. *Hadriani* nomine, contendiſſe videas. Ut etiam nihil obſtet, immo quod non ſuadeat potius, ut prior ille nummus ΔΙΟΚΑΙCΑΡΕΙΑC ΑΥΤΟΝ. ſive Αὐτονόμων, e muſeo illuſtris Equitis a Puteo a Cl. Vaillant adductus, eidem quoque *Diocæſareæ* tribuatur: ſicut duabus aliis, eique proximis in illo Ciliciæ tractu, & de quibus mox videbitur, urbibus, *Coryco* & *Sebaſte*, idem quoque ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ elogium in ſelectis earum nummis conſignatur. Illud vero de hac Ciliciæ *Diocæſarea* obiter adhuc dicendum eſt, id quod in (r) I. Malelæ Antiochenſis Chronico legitur; nempe *Anazarbum*, de qua mox, ſub J. Cæſare *Diocæſaream* prius dictam, a Senatore quodam *Zarbo* reſtitutam, in *Anazarbi* nomen ſub Nerva Imp. tranſiiſſe. Ac ſimiliter apud Suidam, & ita quidem, ut haud aliam Ciliciæ *Diocæſaream*, præter eam, quæ dein a Nervæ temporibus dicta fuerit *Anazarbus*, abolito illo Diocæſareæ nomine, videatur ſtatuere: dum ait: in voce Ἀνάζαρβος· ὅτι Νέρβας βασιλεὺς Ῥωμαίων, κατενεχθείσης ὑπὸ σεισμοῦ ΔΙΟCΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΤΗΣ ΕΝ ΚΙΛΙΚΙΑ χειμῶνος, ἔπεμψε συγκλητικὸν, ὄνομα Ἀνάζαρβον, ὃς ἀνοικοδομήσας αὐτὴν, πάλαι λεγομένην Κύϊνδαν, εἶτα ΔΙΟΚΑΙΣΑΡΕΙΑΝ, ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος, ἐκάλεσεν Ἀνάζαρβον. *Quod Nerva Romanorum Imperator, terræ motu collapſa DIOCÆSAREA, quæ SITA EST IN CILICIA, Senatorem nomine Anazarbum miſit, qui eam inſtauratam de ſuo nomine Anazarbum vocavit, cum olim Cyinde, & poſtea DIOCÆSAREA appellaretur.* De iis, quæ ad *Anazarbum* adtinent, & quæ fides ſit iis tribuenda, mox videbitur. Præter eandem vero *Diocæſaream*, & poſtquam ea in *Anazarbi* nomen, juxta duos illos, haud magnæ, ubi propria auctoritate nituntur, fidei ſcriptores,

(r) Pag. 347.

res, aliam adhuc fuisse dictam in eadem Cilicia *Trachea*, seu *Aspera*, & quæ *Isauriæ* postea nomen, ut jam diximus, tulit, *Diocæsaream*, abunde e Ptolemæo, & aliunde, quod paullo ante vidimus, ut de adductis modo nummis jam nihil dicam, constat.

Refertur vero a duobus eximiis harum antiquitatum promicondis, Patino ac Vaillant, inter Græcos hujus ANTONINI PII nummos, alius *Mokæ* in Arabia, juxta Ptolemæum, qui Αὐτονομίαν quoque eidem urbi adjudicat: MOKA IEP. ACY. AYTO. *Moka Sacra Inviolabilis SUIS LEGIBUS.* Nempe prout *Arabes*, ἔθνος φιλελεύθερον, *gentem libertatis cupidam* vocat *(s)* Diodorus. Eandem tamen *Arabiam*, teste Ammiano Marcellino, *(t) Provinciam, imposito nomine, Rectoreque attributo, OBTEMPERARE LEGIBUS NOSTRIS Trajanus compulit.* Quomodo in adductis jam ejusdem Trajani nummis, ARABIA AUGUST. PROVINCIA, vel ARABIA ADQUISITA dicitur: quibus utrumque illud Romani Præsidis, & Romanarum legum jugum, quod subire coacti fuerint Arabes, continuo innuitur. Ita tamen ut haud minus, quod vel ea quæ supra, ubi de Epheso & Proconsulari Asia agebatur, attigimus, satis ostendunt, hæc urbs *Moka* retinere suarum legum libertatem potuerit; vel a Trajani successore Hadriano, eadem urbs ac provincia, juxta Assyriam, Armeniam, & Mesopotamiam, quod paullo ante vidimus, utroque illo onere, quod ei imposuerat Trajanus, levatæ. Unde etiam *Arabes* denuo in provinciæ formam a Severo redactos tradit *(u)* Eutropius. Neque vero fides hic habenda est viro præstanti ingenio, sed qui subinde nimium, quod citra ejus contumeliam dictum velim, illi tribuit, *(x)* qui hunc nummum a Patino jam adductum, non

(s) Lib. II. p. 90.
(t) Lib. XIV, cap. 21.
(u) Lib. IX.
(x) Hard. Num. Urb. Ill. p. 436.

huic *Mokæ* urbi, sed *Samosatis*, de qua mox, adscribit. Censet enim ille MOKA, nummo tamen non inspecto, aversas esse in eo literas, A KOM. h. e. Πρώτης Κομμαγηνῶν *Primæ Commagenorum*, nempe *Samosatarum*. Verum quem vel abunde redarguit cum nummus illius Arabum urbis MOKA conspectus inter Antonini Pii nummos, quos possidet Gaza, post Regiam in Gallia, pretiosi hujus æris delectu & copia, illustris nempe Foucaultii, opulentissima: tum in eodem nummo typus mulieris in templo cum hasta & cornucopiæ, a *Samosatensium* nummorum typis diverso, mulieris vulgo rupi insidentis cum decumbente ad pedes fluvio, cui adjacebant iidem, Euphrate. Addo, quod nec *Prima Commagenes*, quod variis vel Proconsularis Asiæ, vel Bithyniæ, vel Ponti, aliarumve adhuc regionum urbibus contigit, quæ de gentis primatu inter se contenderent, sicut id præclari earum nummi etiamnum ostendunt, dicta occurrat eadem urbs *Samosata*, sed in genere, *Metropolis*. Id utique nummi illius *Commageni quondam regni clarissimæ*, uti ab (y) Ammiano Marcellino dicitur, *sedis*, luculenter utique comprobant. Accedit vero opportune in residuis & præclaris utriusque ANTONINI PII & MARCI nummis obvium; ubi illa *Commagenes Metropolis Samosata*, AYTONOMOC, præter alios ejus titulos, inscripta: nempe CAMOC. IEP. AYTON. MHT. KOM. *Samosata Sacra SUIS LEGIBUS Metropolis Commagenes.* Quum in anterioribus hujus urbis, sub HADRIANO nummis, quales vidimus in Thesauris Gallorum Regiis, ac e Gaza Medicea & e Museo Canonici Parisiensis Dronii protulit eminentissimus (z) Norisius, illud AYTONOMOY beneficium non compareat, sed tantum Φ. seu ΦΛA. CAM. MHTPO. KOM. *Flavia Samosata*, vel *Flavienses Samosatenses*, *Metropolis Commagenes.* Quamquam hanc illius urbis Αὐτονομίαν ab eo tempore, quo a Vespasiano ademptum

(y) Lib. XVIII.

(z) Epoch. Syr. Maced. Diss.

est

eſt Antiocho illud Commagenes regnum, omnino petendam, præter ſimilia, de quibus jam ante, ac in iis terrarum partibus, aliarum urbium exempla, abunde arguat ejuſdem urbis ſub Hadriano, cum adſcripta ejus æra, nummus, ut id a laudato modo Noriſio erudite jam eſt obſervatum. Quomodo alii occurrunt hujus urbis in Cimeliarchio Gallorum Regio, infra PII aut MARCI tempora, ſub Severo, Antonino Caracalla, ac Philippo Patre, nummi, in quibus vel CAMOCATA MHTPOΠOΛ. aut MHT. KOM. CAMOCATEΩN tantum; ſine addito AYTONOMOY ſive *SUIS LEGIBUS utentis* elogio, eadem urbs inſcribitur.

Neque vero hic prætereunda alia urbs in vicino tractu, hiſce Divorum Fratrum, Marci ac Veri temporibus, itidem AYTONOMOΣ, fide ſimiliter veterum & inſignium nummorum, qui ſub illis Principibus cuſi etiamnum proſtant; iique inſcripti, KAΠITΩΛIEΩN IEP. AC. AY. (h. e. AYTONOMOY) HΞ *Capitolienſium Sacræ Inviolabilis Suis Legibus* Anno *LXVIII.* Qualis equidem nummus cum M. Antonini in anteriori area effigie; in altera cum muliere turrita, quæ dextra haſtam, ſiniſtra cornucopiæ tenet, conſpicitur in manuſcripto Goltzii libro, in quem ille plures ineditos hactenus nummos retulit, quique inter cimelia Gallorum Regia nunc proſtat. Eundem quoque nummum, tanquam penes (*a*) patritium Venetum Erizzo; uti alterum, (*b*) cum L. Veri capite, & in averſa parte, Aſtarte in templo quatuor columnarum, qui fuerit penes Cardinalem Maximi (cujus Gazam antiquariam olim in urbe æterna, ſingulari ejus comitate, haud ſemel inſpeximus) haud præteriit in diligenti illa ac erudita Græcorum ſub Imperatoribus nummorum collectione Cl. Vaillant. Verum præter eum inſuper, quem ſub Commodo percuſſum, ac in illuſtris Foucaultii Cimeliarchio obvi-

(*a*) In Num. Impp. Græc. p. 52. (*b*) Ibidem p. 64.

um,

um, *(c)* idem commemorat; alium jam ante cum iisdem omnino juribus ac privilegiis, & Αυτονομίας proinde mentione, horum ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ nummum, sub Severo signatum cum templo octo columnarum, in cujus fastigio quadrigæ, & in medio templi statua sedentis Jovis Capitolini, e Museo CHRISTINÆ Augustæ divulgaverat in præclaro opere *(d)* eminentissimus Norisius. Quum vero eundem Severi nummum, ad *Æliam Capitolinam*, sive instaurata ab Hadriano nova Hierosolyma, ut de ea urbe Christiani subinde scriptores, retulisset eruditus *(e)* Harduinus; eundem haud immerito, post doctissimum *(f)* Holstenium, ad *Capitoliada*, urbem Cœles Syriæ, cujus apud Ptolemæum, in Antonini Itinerario, Actis Conciliorum, ac alibi occurrit mentio, revocavit laudatus modo *(g)* Norisius. *Capitolenses* quidem dicti non ab Ulpiano, quod tradit *(h)* Harduinus, sed a *(i)* Paulo J. C. titulo Digestorum de Censibus, qui ibi, quamquam aliter visum sit duobus illis viris eximiis, Holstenio ac Norisio, non ad hujus in Syria *Capitoliados*, sed ad *Æliæ Capitolinæ*, cives vel incolas videntur omnino referendi. Præterquam enim, quod in eo titulo de Coloniis agatur, quæ vel juris Italici indulto iis privilegio, a censu seu tributis essent immunes, vel eo jure non gauderent; facta ibidem ea occasione conjuncta *Cæsariensium* & *Capitolensium* mentio, sicut ab Ulpiano, priori lege ejusdem tituli de Censibus: *(k) utriusque in Palæstina coloniæ Cæsariensis & Æliæ Capitolinæ*: etsi in commemoratione immunitatis, qua ambæ hæ coloniæ gauderent, aliqua sit ibi inter Ulpianum & Paulum dissensio. Nullus vero ibi *Capitoliadi*

(c) Ibidem p. 69.
(d) De Epoch. Syr. Maced. Diss. III. c. 9. Epoch. 4.
(e) Num. Urb. Ill. p. 562.
(f) Not. ad Stephan. p. 159.
(g) Ut supra.
(h) Pag. 562. ut supra.
(i) Leg. VIII. Sect. 7. D. de Censib.
(k) Leg. I. Sect. 6.

in

in Syria locus, quæ nuſpiam Colonia Romana extitiſſe legitur, ſicut *Ælia* illa *Capitolina*. Unde dicti etiam inde ejus incolæ Καπιτωλιεῖς ſeu *Capitolienſes* in aliis eorum nummis, cujuſmodi ſub eodem M. Antonino ΑΙ . ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ, *Æliorum Capitolienſium* inſcripti in collectionibus Goltzii ineditis, de quibus paulo ante, conſpiciuntur. Neque tamen inde ad eoſdem *Ælios Capitolienſes* referri debere nummos illos ſupra memoratos ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ ΙΕΡ. ΑΣ. ΑΥ. *Capitolienſium Sacræ Inviolabilis Suis Legibus*, & cum additis annorum Epochis, vel inde liquet; quod ΑΙΛ. ſeu *Æliæ* vel *Æliorum* nomen additur Græcis vel Latinis nummis, qui ad *Coloniam* illam Romanam *Æliam Capitolinam* reſpiciunt; iique proinde, & ſub eodem Marco, ac jam ante ſub Hadriano, cujus juſſu & auſpiciis eſt condita, & Antonino Pio, aliiſque adhuc ſequutis Imperatoribus, COL. AEL. CAP. vel CAPIT. *Colonia Ælia Capitolina*, vulgo ſunt inſcripti. Ut mittam, quod ſolo *Æliæ* nomine ſubinde eadem deſignatur; ut apud Euſebium non ſemel, *(l)* Μαζαβάνης ἐν Αἰλίᾳ *Mazarbanes Æliæ* ſcilicet Epiſcopus, ac alibi. Accedit, prout id jam vere adnotavit *(m)* doctiſſimus Noriſius, quod pro nota Coloniarum conditione ac more, privatis Quiritium legibus, Roma nempe acceptis, uſa ſit eadem *Ælia*, non proinde Αὐτόνομος: quo privilegio etiam vel jure nullas inſigniri vel appellari videas in nummis aliiſve priſcis monumentis Romanorum Colonias. Neque enim mutata *Coloniæ* conditione, in *Municipium* eandem *Æliam* tranſiiſſe, quod aliis coloniis, ac viciſſim, haud ſemel contigiſſe ſupra vidimus; ex aliis eorundem & ſequentium temporum hujus urbis nummis, & aliunde præterea, quod monuit jam Noriſius, abunde conſtat. Qua occaſione etiam male inter Commodi nummos, unum obſervat deſcriptum ab

(l) Hiſt. Eccl. L. VII. c. 5. & L. V. c. 20.

(m) Ut ſupra.

(m) Har-


(*m*) Harduino AEL.MUNIC. COMM. *Ælium Municipium Commodianum*, quemque ad hanc *Æliam* refert: sed ubi pro COMM.omnino COEL.seu *Cælium* legi ac prout in aliis itidem nummis, agnoscente(*n*)alibi Harduino, obvium AEL. MUNIC.COEL. *Ælium Municipium Cælium*. Adde, & quod hic erat palmarium, quod quum sub Hadriano primum condita fuerit, ut diximus, & aliunde notum, hæc *Ælia Capitolina*: æræ autem in nummis horum ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ inscriptæ, sicut in adducto M. Antonini nummo ΗΞ seu Annorum LXVIII. aut in L. Vero ΘΞ Annorum LXIX, adde & in Severo ΗΡ seu Annorum CVIII. ad anteriora omnino tempora, & Domitiani quidem principatum respiciant: ac proinde juxta viros præstantes, vel ab (*o*) anno inducti sub Domitiano Agonis Capitolini: aut vero (*p*) a Flaviana restituti ab eodem Templi Capitolini, receptique inde vel renovati solemnis Jovis Capitolini, in hac cognomine illi *Capitoliade*, cultus epocha. Celebratam equidem fuisse vel maxime in orbe Romano hanc refecti in urbe Jovis Capitolini Ædis famam, vel inde liquere insuper potest, quod in alio eoque eximio M. Antonini nummo, inscriptus legitur (*q*) ΖΕΥΣ ΚΑΠΙΤΟΛΙΕΥC ANTIOXEΩN, *Juppiter Capitolinus Antiochensium*: quem autem nummum, non celebri illi ad Daphnem Antiochiæ, sed ei, quæ in Caria, tribuit diligens & præclarus antiquarius.

Alterius vero seu secundæ Ciliciæ *Metropoleos* ANAZARBI insignis exstat nummus in thesauris Gallorum Regiis, qui sub Commodo percussus, ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *SUARUM LEGUM jus* eidem urbi tribuit, præter alium a præstantissimo Vaillant nuper indicatum. Prioris autem,

(*m*) N.umUrb. Ill. p. 13.
(*n*) Ibidem p. 124.
(*o*) Norif. Epoch. Syr.Maced. ut supra.
(*p*) Vaillant de Num. Impp. Græc. p. 275.
(*q*) Ibidem p. 49.

velut

velut singularis nummi, humanissimi præstantissimique admirabilis illius Gazæ custodis Oudineti comitate, conspectum haud ingratum Lectori futurum reor; cujus anterior pars Commodi caput exhibet, cum ejusdem nomine **ΚΟΜΟΔΟC CEB.** *Commodus Augustus:* altera barbatum Jovis caput cum laurea, circum autem. **ΝΑΖΑΡΒΩ ΕΤΟΥC BC. AYTON.** *Anazarbi Anno CII. SUIS LEGIBUS.*



De qua altera & secundæ Ciliciæ Metropoli, hac *suarum legum* libertate, juxta fidem præclari hujus nummi, sub Imp. Commodo ornata, illud continuo dicendum est, vel ex hoc ejus nummo, aliisque, quos recondunt præclara Cimeliarchia, abunde constare, quod verum ejus nomen, de quo variant subinde Auctores, ac id pridem ex ipsis illius urbis nummis *(r)* monui, fuerit *Anazarbus*, non vero ut apud Stephanum Ἀναζαρβὰ, & qua de re dubitanter alicubi *(s)* Zonaras, Ἀνάζαρβος ἢ Ἀνάζαρβα, *Anazarbus* vel *Anazarba.* Ἀνάζαρβος certe & *Anazarbus* cum indubitanter in hoc aliisque illius urbis nummis, genuinis utique & authenticis testibus; tum in Actis, de quibus infra, Tarachi & sociorum, qui sub Diocletiano passi; tum apud Am-

(r) Diss. de Præst. Num. p. 903.

(s) Annal. p. 61. T. II.

mia-

mianum, de quo mox, aliosque dicitur. Alterum hic monendum, id quod in Chronico *(t)* Malelæ, de quo paulo ante, legitur: hanc urbem nempe, quæ *Diocæsarea* prius diceretur, tertio sub Nerva Imp. collapsam, misso *Zarbo* Senatore, qui eam restitueret, *Anazarbum* deinceps a Nervæ obitu dictam. Quibus additur, quod hæc urbs primo ποινῶθα, dein Κυίνδος, sub J. Cæsare *Diocæsarea*, & adhuc sub Nerva sit appellata. A quibus haud valde recedit *(u)* Suidas, qui tradit *Anazarbum* olim Κυίνδαν. (sed ubi corruptum forte loci nomen, quod brevi docebit luculenta, quam adornat eruditissimus Neocorus noster, illius Lexicographi editio) postea *Diocæsaream*, postremo a Senatore *Anazarbo*, qui eam instauravit, ab Imperatore Romano Nerva misso, vocatam de conditoris nomine *Anazarbum*. Quæ urbs sequutis dein temporibus, (ut ex Actis Conciliorum constat, & viderunt jam alii) *Justinianopolis* fuit appellata. Ad illum vero *Zarbum*, vel *Anazarbum*, respicit quoque Ammianus Marcellinus, *(x)* ubi de Cilicia ait, quod eam *Tarsus nobilitat*, dein *& ANAZARBUS AUCTORIS vocabulum referens*; uti etiam *(y)* Stephanus, sed qui aliam simul ac propiorem tangit ejus appellationis originem; nempe ἀπὸ τοῦ προκειμένου ὄρους, ἢ ἀπὸ Αναζάρβου τοῦ κτίσαντος, (ut omnino ibi legendum, e nummo vetere ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ a me pridem adducto, non autem, ἀπὸ Αζάρβα, monuit ibi Berkelius) *ab adjacente monte, vel ab Anazarbo conditore.* Vocem enim ὄρους, sive *montis*, omnino ibi supplendam, quam agnoscit etiam codex Perusinus, primus recte vidit, ut id monuit eruditissimus *(z)* Holstenius, ὁ πάνυ Casaubonus. Caute vero legendus est omnino Plinius, de quo miror silere viros eruditos, dum ab eo dicitur: *(a) Anazarbeni, qui nunc Cæsaraugustani*; & fides,

(t) Pag. 347.
(u) In Ανάζαρβος.
(x) Lib. XIV. c. 8.
(y) In Ανάζαρβα.
(z) Not. in Stephan. p. 33.
(a) Lib. V. c. 27.

non

non Malelæ solum, quam & passim decoquit, sed Suidæ etiam, quod vidit jam ad Ammianum doctissimus Valesius, abjudicanda, dum eam demum a Nervæ obitu dictam primo *Anazarbum* tradit, quæ antea *Diocæsarea*, ut modo vidimus, vocaretur. Quum vero *Anazarbi* nomen huic urbi tribuant nummi illius adhuc residui, sub L. Vero, ac aliis dein Imperatoribus percussi, nusquam vero *Cæsareæ augustæ*; Plinius autem jam sub Tito Imp. ferali & late grassante Vesuvii incendio perierit, id utique inde liquidum, quod ante Nervam, juxta Plinium, *Anazarbi* nomen sit huic urbi inditum; tum, quod vel nummi illi clarissime arguunt, neque in *Cæsareæ augustæ* nomen, (quod tamen innuit itidem Plinius,) aut ad exiguum certe tempus, eandem *Anazarbum* deinceps transiisse. Adscripta vero in adducto Commodi nummo *Anazarbi* hujus Æra B. C. sive *Annorum CII*, omnino, quod erudite jam ad alium hujus urbis nummum, sub Valeriano cusum, observavit dignitate & doctrina præfulgens (*b*) Norisius, suffragante eidem nuper (*c*) Cl. Vaillant, ad caput illius Æræ, sive ad Annum U. C. DCCXXXIV. referenda est; quo Augustus e provincia Asiæ in Syriam tendens, Ciliciam peragravit, variasque in ea urbes, uti de sola tum metropoli ejus *Tarso* jam supra vidimus, plurimis ornavit beneficiis. Quomodo incidit annus huic *Anazarbi* nummo inscriptus CCII, in annum U. C. DCCCCXXXVI, seu Commodi IV. tum Consulis, imperii autem a patris obitu quarti. De eadem vero *Anazarbo*, Ciliciæ *Metropoleos* dignitate, juxta *Tarsum*, etsi serius, decorata, quamque alii dein sequentium Imperatorum & Augustarum nummi eidem tribuunt, dicetur paullo infra; ubi de altero & insigni itidem hujus urbis nummo, Antonini Caracallæ temporibus percusso, agendi erit locus. Mitto

(*b*) Syr. Maced. Diss. IV. c. 1.

(*c*) Num. Impp. Græc. p. 67. & 250.

vero hic aliam Ciliciæ urbem maritimam, *Sebaſten* appellatam, quæ ΑΥΤΟΝΟΜΟϹ ſimiliter in alio COMMODI nummo, & CRISPINÆ ejus conjugis, in Gaza Gallorum Regia, ac in aliis adhuc, ut mox liquebit manifeſtius, ſequentium Imperatorum nummis traditur.

A SEVERO autem adempta nonnullis urbibus, quæ Peſcennii Nigri partes fuerant ſequutæ, aut ob veteres, quas ille ab iis pertulerat, injurias, libertatis vel *αὐτονομίας*, *jura*, ex auctoribus, qui res illius principis adtigêre, diſcimus. Ita Severus captam Byzantium, *τῆς τε ἐλευθερίας καὶ τοῦ ἀξιώματος πολιτικοῦ*, *libertate & omni urbis dignitate* aut *jure* privaſſe, a *(d)* Dione dicitur: eandem certe urbem, ut mox addit, dirutis ejus muribus, in pagi uſum redactam, Perinthiis ſubjeciſſe. Haud aliter ac *Neapolitanis* in Palæſtina, quod *pro Nigro diu in armis ſteterant*, ut de iis in Severo *(e)* Spartianus, *jus civitatis tulit*, nempe pro *abſtulit*,(familiari hiſce Auguſtæ Hiſtoriæ conditoribus, aliiſve ſcriptoribus illius ævi locutione) idem utiq;quod de Byzantiis ab eodem Severo ſimiliter mulctatis dixerat, ut modo vidimus, *(f)* Dio, *ἔπαυσε ἀξιώματος πολιτικοῦ*. Ubi obiter monendum eſt, id a Spartiano de municipibus ſuis, *Neapolitanis* nempe *Italicis* ſive *Campanis*, quibus jus illud ademerit Severus, dictum cenſuiſſe, inſigni utique errore, celebrem Hiſtoriæ Neapolitanæ conditorem *(g)* Capacium. A quo tamen, etſi ignota ei aliunde fuiſſet Palæſtinæ vel Samariæ, eaque in antiquis nummis haud ſemel memorata ac Juſtini Martyris patria, *Neapolis*; vel totus illius loci apud Spartianum, de rebus a Severo poſt debellatum ab eo Peſcennium Nigrum, in Oriente conſtitutis, contextus abducere omnino debuit: vel ſi addita ibi fuiſſet

(d) Lib. LXXIV. p. 848.
(e) Cap. 9.
(f) Ut ſupra.
(g) Neapolit. Hiſtor. l. 1. p. 51.

apud

apud Spartianum, quæ alioquin inde exulat particula *&*, nempe *Neapolitanis* & *Palæstinensibus*; quosque *Palæstinenses* de *Prænestinis* ibi a Spartiano dici, gemino errore, haud obscure statuit idem Capacius. *Antiochensibus* vero eadem de caussa, quod ii a Nigri partibus steterant; & quod eum olim, haud insolito iis more, irriserant, multa Severum ademisse, tradit ibidem Spartianus. Quamquam iisdem *Antiochensibus & Byzantiis jura vetera*, filii Caracallæ interventu, *restituisse* Severus; tum *Palæstinæ* quoque *pœnam*, quam ob eorum in Nigrum studia meruerant, *remisisse* non solum, sed *plurima* etiam *jura* iis *fundasse*, ab eodem (*h*) Spartiano dicitur. Ut mittam id quod de instaurata a Severo *Byzantio*, ac de plurimis in *Antiochenses*, qui adversus Nigrum exeunti editis vocibus victoriam essent ominati, collatis beneficiis memorat, de quo paullo ante, Antiochensis (*i*) Malela. *Atheniensium* vero, ob veteres, quas ab iis privatus adhuc pertulerat, injurias, imminuta ab eodem Severo *privilegia*, refert quoque (*k*) Spartianus: quibus autem verbis, an sublata continuo fuerit omnis eorundem, de qua paullo ante diximus, Αὐτονομία, haud licet continuo statuere.

Exstant vero etiamnum præclari aliquot, urbium sub hoc Imp. SEVERO nummi, qui eandem Αυτονομίαν suis civitatibus relictam adhuc vel adsertam docent. Talis est nummus *Seleuciæ in Syria*, qui spectabat ad laudatum supra (*l*) Franciscum Gothofredum, cum iisdem illis ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Sacræ Et SUIS LEGIBUS* juribus, quæ vetustiores nummi, & unus sub AUGUSTO percussus, quod antea vidimus, eidem urbi largiuntur. Accedunt adhuc percussi sub hoc Severo aliarum insuper urbium nummi, cum eodem illo ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ

(*h*) In Severo cap. 9.

(*i*) In Chronico p. 384. & 388.

(*k*) In Severo cap. 3.

(*l*) Vid. Vail. Num. Græc. Impp. p. 87.

sub

ſub anterioribus Cæſaribus iis jam indulto, ut vidimus ex aliis earum nummis, jure. Unus eſt *Capitoliados* in eadem Syria, quem a doctiſſimo Noriſio divulgatum ac illuſtratum ſupra memoravimus, cum ſimilibus omnino ΙΕΡ.ΑC.ΑΥ. ſeu *Sacræ, Inviolabilis*, ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ privilegiis; quæ jam in M. Antonini & L. Veri nummis, eidem urbi, ut antea diximus, tribuuntur. Quod ſimiliter dicendum eſt de *Tyanis* in Cappadocia, & *Moka* in Arabia: quas urbes in Hadriani ac Antonini Pii nummis eodem illo *Αυτονομίας* jure inſignitas vidimus: idque illis adhuc adferunt præclari Severi nummi: prior, cum integra commemoratione eorundem jurium, ΤΥΑΝΕΩΝ ΤΩΝ Π. Τ. ΙΕΡΑC. ΑCΥΛΟΥ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Tyaneorum ad Taurum Sacræ Inviolabilis Et Suis Legibus*: alter vero, ΜΟΚΑ ΙΕΡ. ΑCΥΛ. ΑΥ. *Moka Sacra Inviolabilis Suis Legibus.* Quibus addi inſuper poteſt, is, quem præteriit in recenſendis Græcis hujus Imp. SEVERI nummis vir præſtantiſſimus, in GORDIANO autem & GALLIENO, ut mox videbitur, ſimiliter occurrit, ſpectatque ad *Corycum*, Ciliciæ urbem, quem in collectionibus Pyrrhi Ligorii exſtare, obſervat ad Stephanum eruditiſſimus *(m)* Holſtenius, eumque inſcriptum ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ, *Coryciotarum SUIS LEGIBUS.* Optimi autem croci, ut obiter hoc tangam, (de quo autem ac multiplici ejus apud Romanos uſu alibi nuper *(n)* egimus) proventu nobilitata olim, quod vel ex *(o)* Horatio conſtare poteſt, eadem *Corycus*: unde & *Corycium antrum*, ubi illud naſcebatur, a ſe olim viſum, auctor eſt ipſe, & quod ibidem monuimus, *(p)* Galenus. Quibus addendus eſt inſuper Salluſtius in fragmentis apud Nonium: *Ad CORYCUM, urbem inclytam, paſtuſque nemore, in quo CROCUM gignitur.*

(m) Not. & Caſtig. p. 183.
(n) Obſerv. in Callimach. p. 102.
(o) Lib. II. Satyr. IV. v. 68.
(p) De Antidot. c. 3.

CAPUT

CAPUT XVI.

De imminuto Αὐτονόμων *in orbe Romano gentium vel urbium, post ANTONINI CARACALLÆ constitutionem, numero, neque tamen inde omnibus, quæ illo jure gaudebant, adempto. De GETÆ nummis, in quibus* Halicarnassus in Caria *&* Cæsarea Sebaste in Palæstina ΑΥΤΟΝΟΜΟΙ *appellantur. De* Tarsi Ciliciæ Metropoleos *nummo sub Antonino Caracalla cum* ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ *appellatione. Signatum in eodem ac in alio* Anazarbi, Ciliciæ *itidem* Metropoleos *nummo hactenus inedito, & ibi vulgato,* ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ. *Plura de inscriptione illius nummi, ac urbe* Anazarbo. *Ratio illius vocis* ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΥ, *seu* communis concilii *in duobus illis nummis indicata ac illustrata, e Livio, Strabone, aliis. Synonymæ Græcorum voces de ejusmodi* communibus *gentis* conciliis *indicatæ. E Polybio ac Marmoribus Oxoniensibus, Cretensium* ΚΟΙΝΟΔΙΚΑΙΟΝ *memoratum & explicatum; ac Polybii magnus interpres notatus. De* Coryco *ac* Sebaste in Cilicia Trachea, *quæ in GORDIANI & TRANQUIL-*

QUILLINÆ ejus conjugis nummis dicuntur adhuc ΑΥΤΟΝΟΜΟΙ. *Nummi illius* Sebaſtes *icon expreſſa, & e Joſepho illuſtrata, ac antiquum urbis illius nomen* Eleuſa *ex eodem erutum. An alia fuerit* Sebaſte Galatiæ Metropolis; *idque e veteri inſcriptione a viro docto memorata. In* Cilicia ΝΑΥΑΡΧΙΔΕΣ *in earum nummis illius ævi appellatæ,* Corycus, Sebaſte, & Ægæ. In *aliis etiam nummis* Dora, Sidon, & Epiri Nicopolis. *De* Navarchis *in Conſtitutione Theodoſii Junioris, & quale eorum munus.* Seleuciæ ad Calycadnum *in eadem Cilicia nummi* cum ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ *appellatione ac ſimiliter in nummo Imp. GORDIANI. De variis urbibus, quæ* ANTIOCHIÆ *nomine dicebantur, quarum multiplex ad varios fluvios, ad mare, aut aliunde ſitus in earum nummis indicatur. Decem in iis diverſæ* Antiochiæ, *præter undecimam* Antiochiam Mygdoniæ, *quæ in NESIBI nomen tranſierat. De* Lacedæmoniis *ac* Athenienſibus *nominatim, quando horum* Αυτονομία *ſublata ſtatuenda eſt. De GALLIENO adhuc* Archonte *Athenis; ac Feſto Proconſule* Are-

opa-

opagita *in Inscriptionibus antiquis. De* Palmyrenis, *quibus oblata est ab* AURELIANO *Imp.* Αὐτονομία, *eaque* Thracibus *ab eodem erepta. De* Treviris *adhuc* liberis *sub Tacito Imperatore.*

EQuidem post datam Imperatoris ANTONINI vulgo CARACALLÆ, ad quem jam devenimus, constitutione, omnibus in orbe Romano ingenuis civitatem, haud continuo adempta est omnis illa *suarum legum* & aviti juris concessa olim vel relicta quibusdam populis ac oppidis libertas. Id quidem inde contigisse supra vidimus, quoad sublatum vetus civium ac provincialium, sive qui τὸ ὑπήκοον, vel οἱ ἀρχόμενοι, aut etiam δουλεύοντες *servientes* dici vulgo a Græcis Romanarum rerum Scriptoribus solent, discrimen: ac proinde quod abolitis solemnibus, quibus iidem antea subjacebant, Præsidum Romanorum Edictis, aut dein, & de quo supra egimus, Edicto illo provinciali, ad exemplum Edicti Hadriani Perpetui, constituto, civilibus deinceps Romanorum seu Quiritium legibus, fuerint illi in posterum obstricti. Qua ratione etiam factura, ut quod antea quoque vidimus, dicantur deinceps ab Auctoribus infra ætatem Caracallæ, *(a) redditæ Romanis legibus* provinciæ; aut, *(b) ubique Romanæ leges*: vel, *(c) populis atque urbibus Romanis legibus restitutis*: institutis etiam in Oriente legum Romanarum Scholis, unde per omnem terrarum orbem legum periti & juris adsessores solerent mitti. Quomodo tamen singulare illud, quod ab antiquo, aut peculiari Romanorum Imperatorum concessione, suis vivendi legibus ac institutis in-

(a) Vopisc. in Aurel. c. 41.
(b) Idem in Probo c. 20.
(c) Ibid. c. 16.

dultum nonnullis fuerat, ut modo aiebam, populis vel urbibus beneficium, haud eſt prorſus abolitum. Mitto quod ſub GETA, ac ideo necdum lata forte ANTONINI fratris conſtitutione, primaria, quod antea diximus, Cariæ civitas *Halicarnaſſus*, in nummo Gazæ Mediceæ, ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ appellatur: nempe ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ, *Halicarnaſſenſium SUIS LEGIBUS* utentium. Exſtat etiam apud Goltzium, inter adſcriptos huic Getæ nummos, unus, ΚΑΙCΑΡΕΙΑC CΕΒΑCΤΗC ΜΗΤΡΟΠ. ΤΗC ΙΕΡΑC ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Cæſareæ Auguſtæ Inviolabilis Et SUIS LEGIBUS.* Qui nummus ad *Cæſaream* Cappadociæ *Metropolim,* prout eadem quoque ab Antonini Pii temporibus, ea dignitate ornata in ejus ac ſequentium Imperatorum nummis legitur, videtur continuo referendus. Quamquam reliqua, quæ ibidem adduntur, nomina vel privilegia, ut *Auguſtæ, Sacræ, Et SUIS LEGIBUS* utentis, ad aliam *Cæſaream* in Samaria ſub monte Panio, eamque *Cæſaream Philippi* prius dictam, potius reſpiciunt. Iis enim nominibus ſive juribus eadem urbs in hujus GETÆ aliorumque inſuper Imperatorum nummis, & quales nos olim e Gaza Medicea primi *(d)* protulimus, ſolet inſigniri: nempe ΚΑΙC CΕΒ. ΙΕΡ. ΚΑΙ ΑCΥ ΥΠ. ΠΑΝΕΙΩ *Cæſareæ Auguſtæ Sacræ Et Inviolabilis ſub Panio* monte. Verum neque in iiſdem nummis, neque alibi, *Metropoleos* dignitate inſignita tueri legitur eadem *Philippi Cæſarea*: Neque vero hic prætereundus, de quo obiter facta eſt ſupra mentio, ſingularis nummus ſub GETÆ hujus fratre, quique conſtitutionem, de qua hic agitur, tulit, ANTONINO CARACALLA, in nobili Ciliciæ Metropoli *Tarſo* percuſſus, cum memorabili inſcriptione; ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡCΟΥ, *Commune Concilium Liberæ Tarſi.* Præter vero inſignem illam Regiæ Gallorum Gazæ nummum, quem, ut ſupra

(d) Diſſ. de Præſt. Num. p. 781. & 896.

jam

jam indicavi, cum selectis aliis vulgavit, accurata veteris hujus æris tractatione ac peritia excellens hodie *(e)* Morellus noster, cujusque jam antea meminerat, *(f)* Cl. Vaillant; alium insuper ejusdem *Tarsi*, e Ducis de Gesvres cimeliis, adduxit novissime eadem laude pridem conspicuus, ac jure optimo celebratus harum antiquitatum promicondus *(g)* cum eadem quidem illius Κοινοβουλίυ, sed sine altera Ελευθέρας sive *Liberæ* mentione; nempe ΑΔΡ ϹΕΥΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗϹ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ ΤΑΡϹΟΥ ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ, *Hadrianæ Severianæ Antoninianæ Metropoleos Tarsi Commune Concilium.* Verum ut eruditi hujus æris, ejusque quæ, inde affatim eruitur, haud obviæ notationis avidos demereri mihi ulterius liceat, præclarum omnino alterius in Cilicia Metropoleos nummum, *Anazarbi* nempe, in quo ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ similiter legitur, juvabit hic, ut equidem opinor, cum aliqua eorum gratia divulgare. Opportune enim illum, inter plures singulares ac selectos nummos, ab eruditissimo & talium scrutatore perito ac diligente, Johanne Massono, visos hic in Anglia ac descriptos, observare nuper in hac Regia illius urbe, dum hic liber in ea jam ederetur, mihi licuit; ejusdemque opera, illius ectypum, ab insignium id genus cimeliorum possessore, Equitis Christophori Wren ornatissimo filio, nancisci. Exhibet vero ille nummus, hinc caput Antonini Caracallæ laureatum, illinc sedentem mulierem, quæ sinistra cornucopiæ præfert, dextram autem protendit ante vasculum, cum inscriptione, ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ ΕΤ. ΒΛϹ infra Α Μ Κ, ac subtus ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ, ab utroque autem mulieris latere Γ Β. hoc est *Anazarbi Metropoleos Anno CCXXXII* (de literis Α Μ Κ mox dicetur) *Commune Concilium. Decreto Concilii* Anazarbenorum: prout in

(e) Specim. Rei Num. Tab. IV.

(f) De Num. Impp. Præst. p. 268.

(g) Num. Græc. Impp. p. 112.

aliis ejusdem urbis sub Q. Herennio aut Valeriano, quod monuerunt jam *(h)* eruditi antiquarii ΓΒ hoc est, Γράμματι Βυλῆς *Decreto Senatus* legitur.



Qui autem insignis nec visus hactenus alibi aut descriptus hujus *Anazarbi* nummus, id ante omnia evincit, quod nec fugit, qui ejus mihi copiam fecit, eruditissimum Massonum *Metropoleos* dignitatem huic Ciliciæ urbi, non ab Elagabalo primum, quod e Cornelia Paulæ, ejusdem conjugis, nummo statuit nuper *(i)* celebris antiquarius, primum concessam: sed illam jam ante sub Antonino Caracalla eidem datam: quam cæteroquin anteriores L. Veri & Commodi, qualem supra adduximus, nummi nec dum ei tribuunt. In sequentium vero Imperatorum & Augustarum nummis, ut Corneliæ Paulæ, Alexandri Severi, Maximini, & aliorum adhuc Imperatorum, eadem *Metropoleos* dignitas huic urbi adserta continuo legitur; immo subinde cum altero adhuc ΕΝΔΟΞΟΥ, seu *Illustris* vel *Inclytæ* elogio. Quales utique duos Maximini & Valeriani nummos, primum Gazæ Gallorum Regiæ, alterum

(h) Toinartum apud Norif. Epoch. Syr. Maced. Diss. IV. c. 1. & Vaill. Num. Impp. Græc. p. 171.
(i) Vaillant. Ibid. p. 130. & 208.

Medi-

Mediceæ, protulit jam doctiſſimus *(k)* Noriſius, ac alium inſuper e laudato paullo ante illuſtris Foucaultii cimeliarchio deſcribit *(l)* Cl. Vaillant, ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ ΜΗΤ. ΚΑΙ ΕΝΔΟΞΟΥ *Anazarbi Metropoleos Et Illuſtris.* Quod utrumque etiam Μητροπόλεως Ενδόξυ elogium huic urbi inſuper, ut obſervo, impertitum ſimiliter videas, in *(m)* Actis Martyrum Tarachi, Andronici, & Probi, qui ſub Diocletiano paſſi, ἐν Ἀναζάρβῳ τῇ ἐνδόξῳ Μητροπόλει, *Anazarbi illuſtri Metropoli.* Nempe prout *(n)* alibi pridem præclarum *Sides* in Pamphylia nummum indicavi inſcriptum, CΙΔΗΤΩΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗC ΕΝΔΟΞΟΥ *Sidetum Splendidiſſimæ Illuſtris.* Æram vero huic *Anazarbi* nummo, quem ſupra adduximus, inſcriptam, ΕΤ. ΒΛC. *Anno* CCXXXII, ad caput illius Epochæ, nempe annum V.C. DCCXXXIV referendam, poſt eruditos antiquarios, ad alium hujus *Anazarbi* nummum, ſub Commodo, cum adſcripta in eodem æra, percuſſum, jam ante indicavimus. Quibus autem annis V. C. DCCXXXIV ſi addantur CCXXXII in hoc Caracallæ nummo notati, incident in V. C. annum DCCCCLXVI, imperii autem Caracallæ a patris obitu tertii, Conſulatus vero ejus quarti. Literas vero illas Α Μ Κ, quæ in hoc aliiſque dein hujus *Anazarbi*, uti paſſim in *Tarſi* etiam, alterius & antiquioris quidem Ciliciæ Metropoleos nummis obvias, & quarum exſtant variæ antiquariorum explicationes vel conjecturæ, quæ vel *(o) Primam Amaniticæ Ciliciæ*; vel *(p) Primam Metropolim Ciliciæ*; vel *(q) Primam Majoris Ciliciæ*; vel *(r) Primam Maximam Ciliciæ*

(k) Epoch. Syr. Maced. ut ſupra.

(l) In Marciano p. 145.

(m) In Actis Martyr. Ruinarti p. 266.

(n) Diſſ. de Præſt. Num. p. 879.

(o) Triſtan. T. II. p. 316.

(p) E. Holſten. ad Steph. p. 33. Harduin. Num. Urb. Ill. p. 41. Noriſius Epoch. Syr. Maced. Diſſ. IV. c. 1.

(q) Vid. Vaillant. Num. Impp. Græc. p. 88.

(r) Ibidem.

liciæ

liciæ, vel *(s) Primam solam Ciliciæ*; aut etiam, ut mutata priori sententia *(t)* viro docto, sed nimis subinde ingenioso, visum, *Fratres Metallarii Ciliciæ*; nempe Ἀδελφοὶ Μεταλλεῖς Κιλικίας, easdem literas interpretantur, hic jam, neque enim id hujus loci vel instituti, non expendimus; qui alibi, & opportunius, ea de re agimus. Id unum tamen obiter notare hic mihi liceat, potiorem omnino aliis, quas modo indicavimus, harum literarum Α Μ Κ explicationibus, eam mihi videri, quod & præstantissimo Massono nostro itidem videbatur, quæ Πρώτην Μεγίστην Κιλικίας, *Primam Maximam Ciliciæ*, easdem interpretatur. Neque enim iis illa, quibus reliquæ explicationes, & quæ jam hic non adtingimus, incommodis laborat; Dionis præterea Prusæensis, in loco e priori ejus Tarsica *(u)* supra jam adducto, auctoritate, & aliarum insuper id genus æmularum ac in sua gente insignium urbium exemplis nititur, quæ similiter utraque illa laude, in antiquis & ἐπιχωρίοις nummorum aut lapidum monumentis, se efferunt. Quo consilio quoque idem decus, iis literis Α Μ Κ designatum, sibi *Anazarbus*, altera Ciliciæ Metropolis, ad *Tarsi* exemplum, publico urbis ære consignare similiter voluit; idque post natam, ut aliunde adhuc licet statuere, de gentis primatu, & Metropoleos dignitate, qua cæteroquin jam ab antiquo, ut aperte id testatur eodem loco indicato oris aurei Dio, ornata erat *Tarsus*, inter duas illas urbes contentionem. Adeo etiam, ut etsi antiquiores utriusque urbis, ac *Tarsi* in primis, exstent nummi, eadem tamen ætate illæ literæ Α Μ Κ, sub Severo nempe & Antonino Caracalla, in earum nummis primum conspiciantur; si unum forte mittas *Tarsensium* a Cl. Vaillant in L. Vero descriptum, qui easdem literas ibi præfert. Ad eam vero inter duas urbes æmulas, & ne una alteri decedere vi-

(s) Ibidem.
(t) Harduin. Antirrh. p. 56.
(u) Pag. 355.

dere-

deretur, contentionem, referri itidem debet, adſcriptum, in duabus hiſce & inſignibus *Tarſi* ac *Anazarbi* nummis, ſingulare illud, in aliorum certe locorum nummis hactenus haud obvium, ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ, *commune* nempe apud ſe, ſeu publicum Cilicum *concilium*. Quomodo nempe obvia apud Livium mentio *communis* hujus vel illius gentis *concilii*, ſicut *(x) Tegeæ decretum in CONCILIO COMMUNI Achæorum* : alibi, *(y) communis concilii* Bœotorum : aut *(z) communis concilii gentis* Macedonum : vel de Theſſalis, *(a) communia gentis concilia*, Lariſſæ nempe, ut *(b)* idem rurſus ea de re, indicta ; hoc eſt totidem quod in adductis nummis legitur, ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΑ. Immo prout a Strabone Κοινοβούλιον itidem, quod fugit, ut tot alia, Lexicorum conditores, de *communi concilio* Achæorum dici itidem videas : *(c)* Καὶ ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ εἰς ἕνα τόπον συνήγετο, *COMMUNE CONCILIUM iis etiam uno in loco congregabatur* ; in quo, quod ibidem addit, communia procurabant gentis negotia : ſeu, ut alibi rurſus Livius, & cui jam ea in re præiverat *(d)* Polybius, *(e) ut corpus unum & concilium totius Peloponneſi eſſet*. *Capita* nempe, quod idem *(f)* alio loco obſervat, *regionum, ubi communia* illa *concilia fierent*, ſeu, quo *concilia cujuſque regionis indici, pecunias conferri, magiſtratus creari* ; adde, ſed ubi gentes vel civitates id genus necdum Romanorum jugum ſubierant, de pace bellove agi conſueverat. Qua ratione etiam factum, ut ſubinde, ſicut hic duo tum Ciliciæ capita ſeu Metropoles, *Tarſus & Anazarbus*, haud una gentis civitas commune illud concilium indici apud ſe ambiret ; ac per vices, vel pro opportunitate locorum ac temporum, modo

(x) Lib. XXXVIII. c. 34.
(y) Lib. XLII. c, 43.
(z) Lib. XLV. c. 18.
(a) Lib. XXXIX. c. 25.
(b) Lib. 36. c. 8.
(c) Lib. VIII. p. 385.
(d) Lib. IV. c. 54.
(e) Lib. XL. c. 37.
(f) Lib. XLV. c. 29.

in

in una, modo in altera e majoribus provinciæ urbibus haberetur. Ita quum a principio Achaici concilii, illud Ægii, tradente id rursus *(g)* Livio, semper indiceretur; factum postea, ut modo *(h)* Argis, autore hujus rei Philopœmene; modo etiam, ut jam vidimus, Tegeæ; *(i)* Sicyone, præterea; *(k)* Megalopoli; aut *(l)* Corinthi indictum, ex eodem Livio præterea liqueat. Sic commune Ætolorum concilium, seu eorum *Panætolium*, modo *(m)* Naupacti, modo *(n)* Heracleæ, modo *(o)* Hypatis habitum, e variis ejusdem Livii locis constat. Neque aliter actum in Proconsulari Asia, ubi communia gentis concilia in majoribus, seu quæ de primatu inter se, ac de communium templorum, ludorum, agonum juribus disceptabant, civitatibus; aut suarum erant, in quas divisa erat eadem Asia, diœcesium capita, vulgo agebantur. Dicta vero illa non ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΑ solum, sed Κοινὰ Συνέδρεια, ut de *communi concilio* horum Asianorum apud *(p)* Aristidem; & similiter de *communi concilio* Lyciorum apud *(q)* Strabonem; de *concilio* autem Achæorum, apud *(r)* Plutarchum legitur. Adde & Σύστημα, ut haud uno loco idem Strabo, tum de *(s)* Lyciorum, tum de *(t)* Carum *communi concilio*: vel Σύλλογος, ut alibi Plutarchus, *(u)* εἰς Ἄργος ἐπὶ τὸν σύλλογον, *Argos ad concilium*, nempe *commune* Achæorum. Apud Polybium vero cum Σύνοδος

(g) Lib. XXXVIII. c. 30.
(h) Lib. XLII. c. 45. XLIII. c. 17.
(i) Lib. XXXII. c. 19.
(k) Lib. XLI. c. 24.
(l) Lib. XXXIV. c. 22.
(m) Lib. XXXI. c. 29. Lib. XXXV. c. 52.
(n) Lib. XXXIII. c. 3.
(o) Lib. XXXVI. c. 26.
(p) Palin. de Smyr. p. 468. Serm. Sacr. IV. p. 614 P. 1.
(q) Lib. XIV. p. 664.
(r) In Demetrio p. 900.
(s) Ut modo.
(t) Lib. XIV. p. 661.
(u) In Agi & Cleomene p. 812.

haud

haud semel; *(x)* ut τῶν Ἀχαιῶν σύνοδος, tum etiam διαβούλια dicta de *communibus* id genus gentis *conciliis*, & quidem eo loco ubi utramque vocem eam in rem adhibuit, agens de quibusdam Magnæ Græciæ populis Crotoniatis, Sybaritis, Cauloniatis, quos ait ad exemplum Achæorum commune templum & locum constituisse, *(y)* ἐν ᾧ τάς τε συνόδους καὶ διαβούλια συνετέλουν, interprete τῷ πάνυ, *ad conventus agendos & CONCILIA COMMUNIA habenda.* Immo sola etiam voce βουλῆς eam in rem idem alibi usus, *(z)* συναχθείσης αὐτοῖς τῆς βουλῆς εἰς Αἴγιον, *congregato concilio Ægii*, communi nempe eorundem Achæorum. Apud Hesychium autem, opportune ad hoc, in adductis *Tarsi* & *Anazarbi* nummis Κοινοβούλιον, legas, Κοινοβούλας, τοὺς συνέδρους, nempe prout Senatores, *Synedros* a Macedonibus dictos observat *(a)* Livius. Adde, in aliis *Tarsensium*, & anterioribus quidem nummis, qualis exstat sub M. Aurelio signatus in cimeliis Gallorum Regiis, ΚΟΙΝΟΝ ΚΙΛΙΚΙΑΣ ΤΑΡΣΟΥ ΜΗΤ. *Commune Ciliciæ Tarsi Metropoleos*: prout obvia alioquin in antiquis nummis ejusmodi id genus provinciarum ΚΟΙΝΑ sicut ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ, ΚΟΙΝΟΝ ΒΕΙΘΥΝΙΑΣ. ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ ΠΑΜΦΥΛΙΩΝ ΣΙΔΗΤΩΝ. *Commune Asiæ: Commune Bithyniæ: Commune Cypriorum: Commune Cretensium: Commune Macedonum: Commune Pamphyliorum Sidetum*, pluraque id genus. Ut proinde haud mirari subeat, si illud Cilicum ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ, utraque gentis illius ea ætate Metropolis, & inter se æmulæ, *Tarsus & Anazarbus*, in adductis earum nummis sibi vindicent. Quomodo he hisce *Tarsensibus* dicit alicubi Dio Prusæensis, *(b)* νὴ Δία, ἀλλὰ νῦν ὡμολογήσαμεν, καὶ ΚΟΙΝΑ ΒΟΥΛΕΥΟΜΕΘΑ, *per Jovem nunc consensimus, & in COMMUNE CONSULTAMUS.* A Cretensibus ve-

(x) Lib. II. c. 54. Exc. Leg. XLIII. & LXXXIX.
(y) Lib. IV. c. 39.
(z) Exc. Leg. LXXIV.
(a) Lib. XLV. c. 32.
(b) Orat. XXXIV. p. 438.

vero, ut hoc addere insuper, haud alieno loco mihi liceat, dictum ΚΟΙΝΟΙΔΙΚΑΙΟΝ, de *communi* scilicet seu publico, juxta *τὸν πάνυ* Casaubonum, gentis *concilio.* Ita enim ille Polybii de Cydoniatis verba, sed quæ aliter vertenda erant, ut mox dicam, interpretatur: *(h)* *περὶ δὲ τῶν κατὰ* ΤΟ ΚΟΙΝΟΔΙΚΑΙΟΝ *συνεχώρησεν αὐτοῖς, βουλομένοις μὲν αὐτοῖς μετέχειν, permisit etiam illis* (Appius nempe, Romanæ legationis princeps,) *ut CONCILII PUBLICI essent, si vellent.* Quale autem, ut hoc primum moneam, Cretensium *Κοινοδίκαιον*, seu, ut ibi legitur, *Κοινοδίκιον* videas itidem, in duarum aliarum Cretæ urbium, *Hierapytnæ* & *Priansi*, fœdere, in *(i)* Marmoribus Oxoniensibus, & jam ante ab eruditissimo Pricæo ad Apuleii Apologiam vulgato: ac unde Polybiano loco, ac dicto etiam marmori, lux simul adfulget: *ὑπὲρ δὲ προγεγονότων παρ' ἑκατέροις ἀδικημάτων, ἀφ' ὧ τῶν* ΤΟ ΚΟΙΝΟΔΙΚΙΟΝ *ἀπέλιπε χρόνῳ, quod vero spectat injurias hinc inde factas, ex quo COMMUNIA utriusque populi JURA, lapsu temporis exoleta sunt.* Nempe prout alicubi apud Livium, & de quo adhuc infra, a Romanorum Legatis in variorum populorum cum Philippo Macedonum Rege disceptatione, pronunciatum *(k)* legitur: *de injuriis, quas ultro citroque illatas queruntur, quomodo inter eas gentes & Macedones disceptetur, FORMULAM JURIS exequendi constituendam esse.* Unde adducto etiam apud Polybium de Cretensibus Cydoniatis loco, *Κοινοδίκαιον* ibi minus accurate a magno interprete, *publicum concilium* (neque enim illud idem, quod in adductis duarum Ciliciæ Metropoleon nummis, ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ) redditur: & vertenda erant eadem ibi gravissimi Auctoris verba; ut Cydoniatis *eorum, quæ ad communia gentis jura spectarent, participare liceret, si vellent.* Illud vero ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ sive *liberæ*, jus *Tarso* in priori nummo, quem modo indicavi-

(*h*) Exc. Legat. XLV.
(*i*) Pag. 120. p. 1.
(*k*) Lib. XXXI. c. 26.

mus,

mus, tribuitur: tum recepto ejusmodi urbium in publicis earum monumentis, & quidem apud *Eleutherocilices*, de quo jam supra, & mox adhuc videbitur, more: tum proprio concesso huic urbi ab Augusto *suarum legum*, quod e Dione Prusæensi jam antea docuimus, privilegio ac jure. Adde, ne dignatione eadem esset inferior altera hujus Ciliciæ Metropoli *Anazarbo*, quam ΑΥΤΟΝΟΜΟΝ in insigni Commodi nummo appellatam conspeximus. Accedit vero hisce signatum adhuc sub eodem Antonino Caracalla *Seleuciæ* in Syria nummis, cum iisdem illis ΤΗC ΙΕΡΑC ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Sacræ & SUARUM LEGUM* juribus, quæ eidem urbi tribui in aliis ac vetustioribus hujus urbis nummis; & qualem etiam sub Augusto percussum exhibeat Regia Gallorum Gaza, est a nobis jam supra monitum.

Ad servata vero, post latam ANTONINI hujus CARACALLÆ constitutionem, variis adhuc in Orbe Romano populis vel oppidis, ea libertatis ac *autonomiæ* sive *suarum legum* jura, signati sub GORDIANO PIO, & sequutis adhuc Cæsaribus, nummi, id clarissime etiamnum ostendunt. Quo referri continuo debet geminus ei, quem sub Severo paullo ante post Holstenium adduximus, *Coryci* in Cilicia itidem nummus pariter inscriptus, ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ *Coryciotarum SUIS LEGIBUS*. Talem quippe nummum in GORDIANO exhibet, ac penes se esse tradit (*l*) Cl. Vaillant. In alio vero nummo æreo, eoque etiam haud vulgari cum SABINÆ TRANQUILLINÆ, hujus Gordiani conjugis, effigie, occurrit in altera nummi area caput urbis turritum ac velatum, cum inscriptione CΕΒΑCΤΗ ΙΕΡΑC ΑΥΤ. ΝΑΥΑΡΧΙC ΕΛΕΥΘΕΡΑC, *Sebaste Sacræ SUIS LEGIBUS Navarchis Liberæ*. Hujus vero nummi haud obvii, quem in referto præclaris omnium veterum elegantiarum cimeliis Museo viri

(*l*) Num. Græc. Impp. p. 152.

amplissimi Jacobi de Wilde, quum Amstelodumum nuper adiissem, observare mihi forte licuit, iconem, illo id haud abnuente, opportune hic inserendam duxi:



Similis nempe hujus urbis *Sebastes* inscriptio in nummis illius Augustæ mihi continuo occurrebat, qualem in aliis Imperatoribus me vidisse ac adnotasse memineram, & quam præfert memoratus supra Commodi nummus, nempe **CEBACTH AYTON. NAY. ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ**, *Sebaste SUIS LEGIBUS Navarchis Liberæ*; ac gemini duo alii vel PLAUTILLÆ, vel VALERIANI Imp. in Thesauris Gallorum Regiis: quorum postremus itidem legitur, **CEBACTH IEP. AY. NAYAPX.** præter adscriptam loci epocham, de qua hic non agitur, *Sebaste Sacra SUIS LEGIBUS Navarchis.* Ad urbem proinde maritimam, quæ *Sebaste* fuerit dicta, idem respicit: haud vero ad Samariæ Metropolim, ac *Samariam* quoque appellatam, priusquam ab Herode instaurata, in Augusti honorem, qua de re haud uno loco *(m)* Josephus, *Sebastes* deinde nomen tulit. Hæc enim non maritima seu *Navarchis*, sed mediterranea ac in medio ferme Palæstinæ erat sita; cujusque urbis nummi exstant in iisdem Thesauris Regiis; ac a præclaris

(m) Antiq. L. XIII. c. 18. & L. XV. c. 11. &c.

anti-

antiquariis jam descripti, ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΣΥΡ. vel ΣΥΡΙΑΣ, *Sebastenorum Syriæ.* Aliam vero *Sebasten*, eamque juxta *Ancyram*, Tectosagum Galatarum Metropolim, e veteri inscriptione ab illustri (*n*) Cupero nostro divulgata, tradi forte video, dum hæc prælo subjiciuntur, in novissimo (*o*) viri eruditissimi, quod antiquitatibus, maxime e priscis marmoribus, illustrandis dicavit, opere. Verum in qua inscriptione unius *Ancyræ*, Galatiæ, quod aliunde, & e vetustis præterea ejus nummis, notum, ac de quibus (*p*) alibi egimus, *Metropoleos*; illiusque Σεβαστῆς, sive *Augustæ*, quod tot aliis claris id genus urbibus contigit, itidem appellatæ: non vero alterius ejusdem Galatiæ *Metropoleos* mentionem fieri videas: nempe qua Ἡ Μητρόπολις τῆς Γαλατίας Σεβαστὴ Τεκτοσάγων Ἄγκυρα τὸν ἑαυτῆς Σωτῆρα καὶ Εὐεργέτην, *Metropolis Galatiæ Augusta Tectosagum Ancyra Suum Ipsius Servatorem & Benefactorem*, quendam scilicet Calpurnium Proclum decoravit. Σεβαστὴ vero, sive *Augusta* dicta ibi *Ancyra*, sicut plures passim & claræ urbes, cum alibi, tum in nummis antiquis, ut *Cæsarea sub Panio*, *Tarsus*, aliæque: immo prout eadem, *Antoniniana*, ab Antonino nempe Caracalla desumpta appellatione, dicitur in veteri hujus Imperatoris nummo, ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗϹ ΑΝΚΥΡΑϹ ΜΗΤΡΟ. *Antoninianæ Ancyræ Metropoleos*, Neque vero ulla horum *Galatarum Tectosagum* Metropolis, præter eandem *Ancyram* occurrit in antiquis monumentis: nisi quod ab ævo Constantinianeo, ac pro more illorum & sequentium temporum, *Pessinus* postea Galatiæ secundæ seu Salutaris Metropolis evascrit; quod ἀξίωμα veteres illius urbis sub Trajano M. Aurelio, Antonino Caracalla & Geta nummi ΠΕϹϹΙΝΟΥΝΤΙΩΝ inscripti, necdum ei, sicut alioquin Ancyræ, tri-

(*n*) Not. ad Lactant. de Mort. Pers. p. 210.

(*o*) Anton. Van Dalen. Diss. III. p. 237. &c.

(*p*) Epist. I. in Specim. Morelli.

buunt.

buuut. Qui vero *Sebasteni Tectosages* seu *Tectosagi*, dicuntur in alia, quam ibi memorat vir eruditissimus, Græca inscriptione apud (q) Gruterum, ii utique de *Ancyranis* hisce debent intelligi, qui ea se *Sebastenorum*, a *Sebaste* nempe sive *Augusta*, ut vidimus, *Ancyra*, appellatione jactarint: sicut dicti, adsumptis aliorum Imperatorum nominibus, cum alibi, tum in antiquis etiam nummis, *Juliopolitæ*, *Augustani*, *Tiberiopolitæ*, *Claudiopolitæ*, *Trajanopolitæ*, *Hadrianopolitæ*, *Aureliopolitæ*, aliique id genus; & ab Augustarum etiam appellationibus, *Marcianopolitæ*, *Plotinopolitæ*, &c. Nisi vero ii forte de vicinis in Armenia minori *Sebastenis* possint intelligi, qui se inter *Tectosagas*, vel tanquam ab iis orti retulerint; ac ad discrimen eorum, de quibus paullo ante ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΣΥΡΙΑΣ *Sebastenorum Syriæ* in antiquis eorum nummis, ΣΕΒΣΤΗΝΩΝ ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ dicantur in eodem lapide. *Sebasteni* utique dicti hujus *Sebastes* in minori Armenia incolæ apud Basilium, quod monuit jam ad Stephanum doctissimus Holstenius. *Tectosagi* autem, juxta (r) Livium, *mediterranea Asiæ sortiti sunt, & stipendium tota cis Taurum Asia exigebant. Sedem autem ipsi ciria Halyn fluvium ceperant; tantusque terror eorum nominis erat, multitudine etiam magna sobole aucta, ut Syriæ quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerent.* Quod vero præteriri hic non debet, & situm *Navarchidos* illius in Cilicia *Sebastes*, cujus iconem adduximus, haud parum illustrat, meminit ejus, ut observo, in Originibus Josephus, (s) ubi de Herode ait, Roma, ubi compellaverat Augustum, eum mari revertentem, in eodem Ciliciæ oppido *Sebaste*, & quod *Eleusa* fuerit prius dictum, ab Archelao Cappadocum Rege, & Alexandri Herodis filii, quem pater secum adduxerat, socero conventum: Ἡρώδης δὲ ΠΛΕΩΝ σὺν τοῖς παισὶν, ὡς ἐγένετο ΚΑΤΑ ΚΙΛΙΚΙΑΝ ἐν Ἐλεούσῃ, τῇ μετωνομασμένῃ νῦν ΣΕΒΑΣΤΗ, κατελάμβανον τὸν βασιλέα τῆς Καππαδοκίας Ἀρχέλαον. *Herodes autem cum filiis* NAVIGANS

(q) Pag. CCCCLXXXVII. 8. (s) Antiq. Lib. XVI. p. 518.
(r) Lib. XXXVIII. c.16.

cum

cum adpulisset Eleusam IN CILICIA, quæ nunc SEBASTE, mutato nomine, dicitur, offendunt ibi Archelaum, Cappadocum Regem. Cujus rei fit rursus alibi ab eodem Josepho mentio, omisso tantum posteriori *Sebastes* sive *Augustæ*, quod tunc, & in Augusti itidem honorem, obtinebat illud Ciliciæ oppidum, nomine: *(t)* ὡς δὲ ΚΙΛΙΚΙΑΝ ΠΑΡΑΠΛΕΩΝ, κατῆχεν εἰς Ἐλάισαν, *cum autem CILICIAM PRÆTERNAVIGANS, delatus esset Eleusam.* Meminit vero Ἐλεούσης insulæ post Corycum in Cilicia *(u)* Strabo, ac unde, id quod ait duobus hisce locis Josephus, illustratur; nempe ubi addit Geographus; *quam inhabitaverit & condita ibidem regia Archelaus.* De eadem proinde in Cilicia *Sebaste*, in cujus nomen illa *Eleusa* deinceps transiit, intelligendus est Stephani locus, ubi in voce Σεβαστὴ postremo loco additur, λέγεται καὶ ἡ πρὸς τῷ Κωρύκῳ (ut omnino ibi legendum, vel fide veterum codicum, quos viderat Salmasius, ac præterea nummi supra adducti, ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ) Χερρόνησος οὕτω, *sic etiam dicitur,* (*Sebaste* nempe) *juxta Corycum Chersonesus*, sive peninsula. Duæ proinde vicinæ in eadem Cilicia urbes illo Αὐτονομίας jure, post Antonini constitutionem fruebantur: quod nos demum docent præclari illi cusi sub GORDIANO & conjuge ejus TRANQUILLINA ac VALERIANO insuper nummi, *Corycus* nempe & *Sebaste.* Utraque vero ΝΑΥΑΡΧΙС in iis etiam dicta, sicut in adducto Gordiani ac aliorum adhuc Imperatorum nummis, *Sebaste:* in Valeriani autem nummo, penes celebrem divitis Gazæ id genus antiquariæ in regia Gallorum urbe possessorem, Abbatem de Campis, ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ ΑСΥ. ΝΑΥΑΡΧΙС *Coryciotarum Inviolabilis Navarchis:* quodque Ναυαρχίδος alteri adhuc in Cilicia civitati, *Ægis* tribuitur in præclaro hujus Valeriani nummo, quem vidimus olim inter insignia CHRISTINÆ Augustæ cimelia, ΑΙΓΑΙΩΝ ΝΕΩΚ. ΝΑΥΑΡΧ. ΕΤ. ΤΑ. *Ægæorum Neocororum Navarchis Anno CCCI.* Quomodo nempe

(*t*) Bell. Jud. L. I. c. 17. (*u*) Lib. XII. p. 535. 537.

pe vel jam ante *Dora* urbs Phœniciæ in nummo Trajani regiæ Gallorum Gazæ; aut gentis illius Metropolis *Sidon*, in eodem Trajano, ΣΙΔΩΝΟC ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ, aut *Nicopolis Epiri*, in nummo Alexandri Severi, utroque in iisdem illis thesauris Regiis conspicuo, ΝΙΚΟΠΟΛΕΩC ΙΕΡΑC ΝΑΥΑΡΧΙΔΟC, *Nicopoleos Sacræ Navarchidos*. Ut vel e præclaris hisce earundem urbium, quæ hoc jus Ναυαρχίδος sibi in publicis id genus monumentis vindicant, antiquitatibus abunde liqueat, ex hac etiam appellatione locis iis decus quæsitum. In quibus proinde urbibus licet statuere, fuisse *Navarchorum cœtus*, quorum fit mentio in quadam constitutione Honorii ac Theodosii, qui nempe inter alia providerent, ne penuria navium frumentariis commeatibus laborarent urbes, in quas iidem erant transvehendi: sicut id nominatim de *Navarchis Orientalibus*, in ea (x) constitutione dicitur, *ut onus frumentarii commeatus, qui per ORIENTALES NAVARCHOS in Alexandrinæ civitatis conditis, consueverat, ad sacratissimam urbem transferri*. Tales autem erant *Orientales Navarchi*, qui in adductis supra *Doritor, Coryci, Sebastes, Ægarum*, & *Sidonis*, Orientis Diocœseos urbibus Ναυαρχίσι, reperiebantur. Iisdem autem duabus prioribus, ac in eodem Ciliciæ tractu Αυτονόμοις, juxta laudatos eorum nummos, *Coryco* & *Sebaste*, accedebat tertia ante memorata, ubi de Αυτονόμοις sub Antonino Pio urbibus agebatur, *Diocæsarea*. Quibus opportune accedit quarta adhuc in eadem adhuc *Asperæ* sive *Tracheæ* Ciliciæ parte, *Seleucia Ad Calycadnum* fluvium, quæ eodem illo ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ sive *Liberæ*, & quod vulgo Αυτονομίαν, sive *suarum legum* libertatem, ut id supra notavimus, simul indicat, elogio insignitur in aliis hujus Imp. GORDIANI nummis. Qualis utique, quem in Museo harum lautitiarum summe, dum viveret, studiosi ac periti, Abbatis Seguini, observare mihi licuerat, facta fuerat pridem (y) a me mentio:

(x) Leg. VI. Cod. de Navic. (y) Diss. de Præst. Num. p. 786.

tio: hic autem e Gaza Gallorum Regia, cui idem postea accessit, conspiciendum damus; inscriptum in anteriori area, ANTΩNI ΓΟΡΔ. ΤΡΑΝΚΥΛΛΙΝΑ CEB. *Antoninus Gordianus, Tranquillina Augusta*, cum utriusque Augusti & Augustæ capitibus; in aversa vero CEΛEYKEΩN TΩN ΠPOC KAΛYKAΔNΩ EΛEYΘE. *Seleucensium Ad Calycadnum Liberæ*, cum duplici capite muliebri, una cum erecta desuper seu fastigiata turri;



Exstat vero alius ejusdem Gordiani nummus in Museo illustris Foucaultii, quem in specimine suo protulit in versando erudito hoc ære summe exercitatus Morellus noster, cum iisdem omnino typis, inscriptis vero in aversa nummi parte vocibus CEΛEYKEΩN TΩ ΠPOC KAΛY. & in corona supra tripodem, addito elogio EΛEYΘEPAC. *Seleucensium Ad Calycadnum Liberæ.* Producta vero a me jam (*y*) olim e cimeliis amplissimi Camerarii, alterius adhuc hujus *Seleuciæ ad Calycadnum* nummi, cum eadem inscriptione EΛEYΘEPAC seu *Liberæ*, illiusque sub Imp. PHILIPPO patre, ac proinde post Gordiani adhuc fata percussi, effigies. Dicta vero eadem urbs in præclaris illis nummis, *Ad Calycadnum, Ciliciæ* nempe *Tracheæ*, sive quæ postea id nomen, quod obiter supra indicavimus,

(*y*) Ibidem.

mus, obtinuit, *Isauriæ* fluvium: ad discrimen alterius *Seleuciæ in Syria*, sive *Pieriæ* Syriæ, indeque etiam in ejus nummis ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΣΥΡ. vel ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑΣ *Seleucensium Syriæ*, vel *Pieriæ* appellatæ; neve utraque illa *Seleucia*, cum nobili adhuc iis cognomine in Assyria urbe *Seleucia*, quod subinde fieri contigit, confunderetur. Haud aliter utique, ubi plures ejusdem nominis urbes, a diverso earundem vel ad fluvios, vel ad mare, vel ad montes situ, in vetustis earundem nummis, quod vel norunt in hisce antiquitatis studiis tyrones, distingui consueverunt; immo a diversis etiam, subinde, ad quos eædem erant sitæ, fluviis. Sic, ut hoc postremum obiter illustri exemplo firmem, quum plures darentur urbes, quæ *Antiochiæ* nomine vocarentur; ex iis vero aliquot, quæ ad varios etiam fluvios, aut ad mare erant sitæ; hinc in præclaris & selectis earundem urbium, qui etiamnum in insignibus Museis & cimeliarchiis conspiciuntur, nummis, dici videas, vel *(a)* ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΠΡΟΣ ΕΥΦΡΑΤΗΝ, *Antiochensium Ad Euphratem*: in alio *(b)* ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΠΡΟΣ ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ, *Antiochensium ad Callirhoem*, Syriæ amnem ad Damascum: in alio, *Antiochiæ*, scilicet in Caria, *(c)* ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΕΑΝΔΡΟΣ (vulgo in aliis nummis, ac apud Autores, Μαίανδρος) quomodo *(d)* ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΜΑΙΑΝΔΡΟΣ *Tripolitarum Mæander*, hoc est *ad Mæandrum*, ad discrimen *Tripolitarum* in Phœnicia, occurrit similiter in veteri hoc ære: in alio vero *(e)* ΑΝΤΙΟΧ. ΙΕΡ. ΚΑΙ ΑΣΥΛ. Π. ΣΑΡΟΝ *Antiochensium Sacræ E Inviolabilis Ad Sarum*, Ciliciæ fluvium: in alio denique, *(f)* ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ, *Antiochensium Ad Mare*, sicut in alio

(a) In nummo Imp. Severi Reg. Gall. ac alibi in L. Vero.

(b) Vaillant Hist. Reg. Syr. p. 199.

(c) In Trajano Dacio Reg. Galliæ.

(d) In Julia Mamæa, ibidem.

(e) In M. Aurel. Vaill. Num. Græc. Impp. p. 49.

(f) In Gaza Medicea.

num-

nummo legitur, (*g*) ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ, *Laodicensium Ad Mare*, ad discrimen nempe *Laodiceæ* in Caria vel Phrygia, cui eadem urbs est postea, teste (*h*) Philostrato, adjuncta, eaque ad *Lycum* fluvium, quod (*i*) alii rursus ejusdem *Laodiceæ* nummi indicant, sita. Ut duas tresve alias obiter adhuc tangam, eodem *Antiochiæ* nomine appellatas itidem urbes, ac in earum nummis dictas, unam (*k*) ANTIO. ΤΩ. ΠΡ. ΙΠ. ΤΗC. ΙΕΡ. Κ. ΑCΥΛΟΥ, *Antiochensium Ad Hippum Sacræ Et Inviolabilis*, nempe ad *Hippum* Cœles Syriæ montem; quam proinde cum altera ad Orontem fluvium Syriæ Metropoli *Antiochia*, ad quam similem nummum, ac male ab eodem descriptum refert, confundere non debuit doctissimus (*l*) Holstenius: alteram, (*m*) ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΠΙ ΤΑΥΡΩ, *Antiochensium Ad Taurum*, sat notum Asiæ montem: tertiam, (*n*) ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ ΙΕΡΑΣ ΑΣΥΛΟΥ, *Antiochensium in Ptolemaide Sacræ Inviolabilis*, & cum adscripta Æra ΘΠΡ sive Annorum CLXXXIX. prout nempe in aliis nummis legas, (*o*) ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΩΝ vel (*p*) ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΙΩΝΙΑ, (*q*) vel ΗΡΑΚΛΕΙΑΣ ΕΝ ΠΟΝΤΩ, *Apolloniensium*, vel *Metropoletarum In Ionia*; *Heracleæ In Ponto*, aliisve regionibus, in quibus eædem urbes erant sitæ. Ut jam hic mittam nobilem illam non Syriæ

(*g*) Vaill. Hist. Reg. Syr. p. 517.
(*h*) De Vit. Soph. L. I. p. 538.
(*i*) ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΛΥΚΟC ΚΑΠΡΟC in Commodo Reg. Gall. & in specim. Morell. Tab. XII.
(*k*) In M. Aurelio L. Vero &c. Reg. Gall.
(*l*) Not. in Steph. p. 97.
(*m*) In Thesauro Goltzii p. 209.
(*n*) In Gaza Reg. Gall.
(*o*) In Alexandr. Sev. Ibid.
(*p*) In Caracalla & Gordiano Pio Reg. Gall. a Spon. Miscell. p. 140.
(*q*) In Severo Jul. Demos. &c. Reg. Gall.

ſolum, ſed *Orientis* quoque *(r) Metropolim* ſubinde appellatam, quæ non ab Oronte quiedm, qui eam mediam, juxta *(ſ)* Polybium ſecabat, ſed ab amœno & decantato illo ſuburbio, *(t)* ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗΝ, *Antiochenſium Ad Daphnem*, cum adſcripta præterea Æra Antiochena in aliquot ejus nummis dicitur. Adeo, & quod obiter ac opportune ad commendationem priſci hujus Æris haud vulgarem dicendum eſt; ut ſi hiſce, quæ *Antiochiæ* nomen in adductis earum nummis præferunt, urbibus, addatur inſuper, quæ in *(u)* aliis rurſus nummis ANTIOCHIA, Romana in Piſidia COLONIA, nec infrequenter, ſub Imperatoribus comparet; aut vero *(x) Antiochia Mygdoniæ* prius dicta, ſed quæ poſtea in *(y)* ΝΕΣΙΒΙ nomen, quod aliquot præclari ejus nummi eidem tribuunt, tranſiit; ita præter eandem *Neſibin* ſive *Antiochiam Mygdoniæ*, decem omnino *Antiochiæ*, etiamnum in hac veteri nummorum penu conſpiciuntur, quot eo nomine urbes tradit ac deſcribit, licet tres quatuorve addat inſuper, Stephanus. Hæc vero dudum, antequam denuo typis committeretur nova hujus commentationis editio, in eandem retuleram; quum opportune in luculenta *(z)* Theſauri Brandenburgici, vere Regii, quemque Regiis etiam auſpiciis vulgavit, noviſſima appendice, eorundem cuſtos ac interpres eruditiſſimus ac ſo-

(r) Ἀνατολικὰ Μητρόπολις ap. Euſeb. de Laudib. Conſtant. p. 629. ed. H. Valeſ. Chryſoſt. Ἀνδρ. III. p. 473. T. VI. ed. Savil.

(ſ) Lib. V. p. 401.

(t) In nummo Gazæ Mediceæ.

(u) COL. CÆS. ANTIOCH. vulgo in nummis Vid. Vaill. de Num. Colon. ſub Impp.

(x) Strabo L. XVI. p. 747. Plin. L. VI. c. 16. Vid. Meas Obſerv. ad Julian. Impp. Orat. V. p. 189. 190.

(y) In Alexand. Sev. Philippo. Gaz. Medic. Vid. Diſſ. de Præſt. Num. p. 773.

(z) Tom. II. pag. 25.

ler-

lertiſſimus Begerus noſter, tres inſignes ac bono fato in Regiam illam Gazam haud ita pridem illatos hujus *Antiochiæ* nummos obſervare mihi continuo licuit, cum iiſdem illis, quas ſupra jam obiter adtigi, inſcriptionibus: nempe ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΠΡΟΣ ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ· alterum, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗΝ· tertium ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ, & quos ibidem videre & conſulere poterunt, qui ſtudiis hiſce delectantur.

Ex iis vero, ut e Syria in vicinam Ciliciam redeam, quæ de *liberis* ac Αυτονόμοις ejuſdem *Ciliciæ* urbibus, & quidem *Ciliciæ Tracheæ*, ſive *Aſperæ* in memoratis earum nummis traduntur, abunde liquet ac firmatur, id quod de *Eleutherocilicibus* ſive *liberis* hujus Ciliciæ urbibus, a Cicerone ac aliunde jam ſupra eſt a nobis monitum; ac proinde longe infra Veſpaſiani tempora, immo poſt latam Antonini conſtitutionem, idem jus iis vel adſertum fuiſſe, vel reſtitutum.

E quibus autem conſignatis hactenus, quæ ab ætate liberæ adhuc Reipublicæ ad poſtrema hæc VALERIANI & GALLIENI tempora, quibus valde concuſſum eſt ac in partes ſciſſum Romanum imperium, hactenus protulimus, veterum nummorum monumentis, tanquam e ſuperſtitibus etiamnum antiquorum fœderum aut privilegiorum, quibus tot variæ in orbe Romano gentes vel urbes, ſingulari Populi Romani ac Imperatorum dein beneficentia fruerentur, tabulis, proditam hanc ad poſterorum notitiam, & de qua aliunde nobis hodie non liqueret, ſingularem ΑΥΤΟΝΟΜΙΑΣ, ſive *SUIS LEGIBUS*, non proinde Romanis, ſive EX JURE QUIRITIUM, vivendi libertatem agnoſcimus. In GALLIENO autem, ejuſque conjuge SALONINA, ac VALERIANO Juniore, ſi unum forte vel alterum mittas, deficiunt ferme vetera id genus Græcarum in nummis inſcriptionum ac antiquitatum monumenta. Græcos equidem, ac inter eos *Athenienſes* & *Lacedæmonios*, quorum ſingulare & perpetuum in con-

conservanda Αὐτονομίᾳ studium exstitisse aliunde liquet, CONSTANTINI tamen ævo, ac dein infra eam ætatem, non suis amplius, sed Romanis legibus usos, ex adductis supra Juliani Imperatoris, Eunapii præterea, ac Theodoriti clarissimis ea de re testimoniis vidimus. Quando autem eo jure, quod iis ab Imperatoribus φιλέλλησι, fuerat identidem adsertum, iidem exciderint, haud certo licet hodie statuere. Severum quidem, ob injurias quasdam, quas privatus ab iis pertulerat, *minuisse* eorum *privilegia*, tradit in ejus vita, quod supra itidem notavimus, (a) Spartianus: neque tamen inde certo colligi potest, omnem illam suarum legum libertatem inde iis continuo, aut liberis adhuc sub Trajano, juxta juniorem (b) Plinium, Græciæ civitatibus, fuisse tum sub Severo ademptam. GALLIENUS certe, qui haud paucis annis post Caracallam imperio præfuit, Athenis (c) Archon exstitit, nec dum proinde sublata, uti postea contigit, illius summi apud Athenienses magistratus auctoritate; & præterea civis adscribi, & Areopagitarum inseri numero, ac, ut addit in ejus vita Trebellius, *contempta prope Republica*, Roma nempe, concupiisse dicitur. Quomodo etiam Festus Græciæ Proconsul, & simul *Areopagita Atheniensis* dicitur in Græca inscriptione, (d) erudito Cl. Wheleri Itinerario inserta, sed jam ante in (e) Thesauro Gruteri obvia, quæ eidem Rufo a Senatu Areopagitico & Trecentorum Senatu, ac simul a Populo, est, ut in eadem legitur, dicata. Unde servatam adhuc ea ætate Atheniensibus veterem Reipublicæ formam, sive, ut Græci loquuntur, πολιτείαν, & quæ eam comitari ferme consueverat, Αὐτονομίαν, nempe suarum legum arbitrium, haud abs re licet arbitrari. Quibus tamen turbidis Gallieni tempori-

(a) In Severo c. 3.
(b) Lib. VIII. Epist. 24.
(c) Trebell. in Gallieno c. 11.
(d) Itin. Anglic. p. 362.
(e) Thes. CCCCLXIV. 7.

bus,

bus, vastata a Gothis, juxta *(f)* Eusebium in Chronico, Græcia, & expugnata etiam ab iis, sive a Scythis, ut de iis *(g)* Zozimus, Athenarum urbe; sive id aliquot post annis sub Claudio demum, uti ea de re *(h)* Zonaras ac *(i)* Cedrenus, a diligentissimo *(k)* Meursio eam in rem jam adducti, contigerit, immutatus videtur paullatim sub iis ac sequutis mox Principibus, pristinus Græciæ, ac in ea Atheniensium status; sublataque illa, qua prius iidem fruebantur, suarum legum libertas. Quamquam a CONSTANTINO, cum verbis, tum factis, eximium quendam honorem Atheniensibus habitum; & adeo quidem, ut se Στρατηγὸν eorum dici, & in suis imaginibus inscribi, impense idem sit lætatus, testatum reliquerit, quod *(l)* nuper ad eum expendimus, *(m)* JULIANUS Imperator. Adde, qui in Epistola pro Argivis scripta ita loquitur, quasi vetera illa libertatis, aliaque id genus jura, Græcis intacta & illibata relinquere adhuc consuessent Imperatores: *(n)* Καὶ ὥσπερ, οἶμαι, μετεῖχε καὶ αὐτὴ, καθάπερ αἱ λοιπαὶ, ΤΗΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ, καὶ τῶν ἄλλων δικαίων ὅσα νέμουσιν ΤΑΙΣ περὶ ΤΗΝ ΕΛΛΑΔΑ ΠΟΛΕΣΙΝ ΟΙ ΚΡΑΤΟΥΝΤΕΣ ΑΕΙ. *Atque ut opinor, & LIBERTATIS, & aliorum omnium jurium particeps fuit Argos, quæ reliquis GRÆCIÆ CIVITATIBUS IMPERATORES PERPETUO LARGIUNTUR.* Verum sublatam jam iis Juliani temporibus, eam, quam Græci, & præ aliis quidem, Athenienses, Imperatorum concessu ac munere, obtinuerant, Αὐτονομίαν ac libertatem, cum ipsemet Julianus aperte *(o)* alibi, tum *(p)* Eunapius, quod jam vidimus,

(f) Ad Olymp. CCLXX. 1.
(g) Lib. I. c. 39.
(h) Lib. XII. p. 635.
(i) Pag. 259. Reg.
(k) De Fortun. Atti. p. 105. 106.
(l) Observ. in Julian. Orat. 1. p. 76.
(m) Orat. 1. p. 8.
(n) Epist. XXXV. p. 408. ult. edit.
(o) Orat. III. p. 114. ult. edit.
(p) In Juliano Soph. p. 128. & in Proæresio p. 124. &c.

mus,

mus, ut de Theodorito, ſequentis demum ſeculi ſcriptore ſileam, certum ac indubitatum efficiunt. Ut nunc mittam quod Ionas Aſianos, miſſa ad hunc Julianum legatione, plus petitis ab eo obtinuiſſe, tradit alibi in genere, & qui caput erat illius legationis, *(q)* Eunapius; ut nec inde tamen redditam iis continuo αὐτονομίαν detur certo ſtatuere. Id vero poſtremo hic adhuc advertere liceat, poſt Gallieni nempe, adde & Claudii Gothici dicti, obitum, AURELIANUM Imperatorem, ante obſeſſa ab eo in Oriente Palmyra, literis ad Reginam Zenobiam ſcriptis, id ei in fine earundem obtuliſſe: *(r) Palmyrenis jus ſuum ſervabitur*, nempe ſe iis ſuas leges ſeu αὐτονομίαν relicturum. Id vero a Zenobia ſuperbe rejectum, in excidium dein vertiſſe hiſce Palmyrenis, quique ſub jugum Romanorum tranſierint, ex eodem Vopiſco, aliiſque annalibus eorum temporum, conſtat. Unde ea Taciti Imp. in Senatu de eodem Aureliano poſt ejus obitum verba: *(ſ) Ille (proh pudor!) Orientem fœmineo preſſum jugo, in NOSTRA JURA reſtituit.* Immo de quo principe dixerat proximis verbis idem Tacitus: *(t) Illo vivente Illyricum reſtitutum eſt: redditæ ROMANIS LEGIBUS Thraciæ.* Quæ poſtrema verba jam ſupra adduximus, ubi poſt Antoninianam conſtitutionem, obſtrictos Romanis legibus Romano imperio ſubjectos diximus. Exſtat vero de avita *Trevirorum*, & qua ejuſdem TACITI Imperatoris temporibus adhuc fruebantur, libertate, luculentum Romani Senatus apud Vopiſcum teſtimonium: *(u) Senatus ampliſſimus Curiæ Trevirorum: ut ESTIS LIBERI, & SEMPER FUISTIS, lætari vos credimus.* De Conſtantio autem, magni Conſtantini patre, ait alibi idem Vopiſcus:

(q) Excerpt. de Legation. p. 17. edit. Reg.
(r) Vopiſcus in Aureliano c. 26.
(ſ) Ibidem c. 41.
(t) Pag. 248.
(u) In Floriano c. 5.

cus: (x) *qui Gallias Romanis legibus reddiderat*: adempta proinde, quam recuperaverant, αὐτονομίᾳ, seu suarum legum libertate.

(x) In Carino c. 18.

CAPUT XVII.

Locus Theodoriti de gentibus, quæ suis legibus *ea ætate, hoc est sub THEODOSIO JUNIORE adhuc usæ, adductus ac illustratus.* Æthiopes, *quorum regia olim* Meroe; Æthiopes Axumitæ *ad mare Rubrum, quorum mentio apud Auctores ævi Constantinianei.* Ismaelitæ *sive* Saraceni, *variæ earum gentes, quædam sub Romanis; aliæ sub Persis: Theophanis, Procopii, Malchi Rhetoris, Theophylacti Simocattæ, Menandri Protectoris, loca de iisdem* Saracenis. *De* Lazis *sive* Ladis, *Colchidos populis, qui Reges a Romanis sub JUSTINIANO adhuc reciperent, juxta Procopium: Justiniani de* Lazica *locus. De* Sannis *vel* Tzannis, *Colchidos finitimis, qui ab antiquo in Romanorum fide, sub Justiniano demum tributarii, ac Romanorum juris facti, juxta Novellam ejusdem Imp. & Agathiam.*

De Abaſgis *ad oram maritimam & extremitatem Caucaſi, quibus Rex olim ab Hadriano datus. De* Armenis, *qui Theodoriti ævo, necdum ſubjecti Romanorum legibus. De* Barbaris *in genere, qui eo ævo juxta Romanorum leges, contractus non paciſcerentur.* Συμβόλαια *Græcis* pacta, *ſive inter privatos unius urbis cives, ſive publica de commerciis, permutationibus, aliiſque, inter vicinos populos. Exempla poſtremorum e Polybio.* Συμβολαίων *vel* Συμβολαῖαι δίκαι, *actiones vel de privatorum, vel de publicis id genus conventionibus, quomodo apud Romanos dictæ. Antiphontis, Polybii, Thucydidis loca illuſtrata.*

NEque vero vel JULIANI Imperatoris, de quo modo agebamus, aut proxima etiam ætate, erant jam obſtricti, quicunque in Romanorum fide aut ditione agebant per orbem terrarum populi. Qua de re exſtat eximius apud dictum modo Theodoritum, quem nuper ad Julianum jam adtuli, ſed qui accuratius expendi hic meretur, locus: ubi nempe, poſt adducta jam ante verba, quibus gentes omnes quæ Romanorum jugum ſubierant, eorum legibus obſequi adactas tradiderat, addit continuo: (z) Τοὺς δὲ παρ' αὐτῶν οὐ βουληθέντας ἰθύνεσθαι, οὐκ ἔπεισαν, οὐκ ἠνάγκασαν ΤΗΝ ΣΦΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ ἀσπάσασθαι· πολλοὶ δὲ, καίτοι τῆς δουλείας δεξάμενοι χαλινὸν, βιοτεύειν ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΤΟΥΤΩΝ ΟΥΚ ΑΝΕΧΟΝΤΑΙ ΝΟΜΟΥΣ, οὔτε γὰρ Αἰθίοπες οἱ Θηβῶν

(ʒ); Therapeut. Serm. L. X. p. 610. Tom. IV.

τῶν Αἰγυπτίων ὁμοτέρμονες, οὔτε τὰ πάμπολλα φῦλα τοῦ Ἰσμαήλ, οὐ Λαζοί, οὐ Σάννοι, οὐκ Ἀβασγοί, οὐχ οἱ ἄλλοι ΒΑΡΒΑΡΟΙ, ὅσοι τὴν Ῥωμαίων ἀσπάζονται δεσποτείαν, ΚΑΤΑ ΤΟΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ, ΝΟΜΟΥΣ, τὰ πρὸς ἀλλήλους ποιοῦνται ξυμβόλαια. *Eos tamen, qui illis* (Romanorum legibus) *regi noluerunt, nec vi nec suasione adegerant, ut se eorum magistratibus ac juri submitterent. Quin & multi eorum, qui servitutis frænum acceperunt, VIVERE tamen EORUM LEGIBUS RECUSANT. Neque enim ÆTHIOPES, Ægytiis Thebis contermini, neque ISMAELITARUM plurimæ gentes, non LAZI, non SANNI, non ABASGI, non CÆTERI BARBARI, qui Romanorum dominatum colunt, SECUNDU MROMANORUM LEGES, conventiones mutuas inter se paciscuntur.* Unde equidem discimus: Primo, illo Theodoriti, seu junioris Theodosii ævo, ac proinde duobus, & quod excurrit, a lata Antoniniana Constitutione seculis, exstitisse adhuc populos, qui vel in fide, vel in ditione Romanorum forent, necdum tamen legibus Romanorum obstricti. Secundo, inter eos populos adnumerari primo loco *Æthiopes* Thebis Ægyptiis conterminos: quales nempe *supra Ægyptum* ab Herodoto pridem *(a)*, ac a Dione Cocceiano *(b)* similiter dicti: & cujus Æthiopiæ proprie olim appellatæ, ac Ægypto vere conterminæ, regia erat decantata apud Poetas aliosque Auctores antiquos Meroë *(c)*; qua de re autem consuli potest diligentissimus Æthiopicarum antiquitatum investigator amplissimus ac eruditissimus Ludolfi *(d)*. Quibus insuper addi potest Aristidis de eadem supra Ægyptum Æthiopia, ejusque regia Meroë narratio: & quod a Claudiano *(e)* suo adhuc ævo, de Romanorum imperio ad Meroën usque patente dicitur:

(a) L. VII. c. 70.
(b) L. LIV. p. 524.
(c) In Ægyptia p. 581. T. III.
(d) Com. ad Hist. Æthiop. p. 51. & 92.
(e) Bell. Gildon. c. 454.

JUS LATIUM, quod tunc MEROES, rubroque solebat Oceano cingi.

Quamquam, ut hoc addam, ea Theodoriti, & quæ præcesserat, aut sub Justiniano sequuta est, ætate, frequentiores occurrant Romanorum rebus immixti *Æthiopes* ad plagam maris Rubri, iique *Axumitæ* dicti ab eorum Metropoli. Sub Augusto quidem arma Romana, duce Petronio Ægypti tum præfecto, penetrasse in illam conterminam Ægypto Æthiopiam, & quæ Candacen haberet Reginam, tradunt Plinius *(f)* ac Dio *(g)*; & ad quem insuper Augustum legatos cum donis ab Æthiopibus missos, refert Victor in Epitome *(h)*. Sequutis vero temporibus, haud alia ferme, quam *Axumitarum Æthiopum*, qui ad mare Rubrum, ut dixi, e regione Homeritarum Arabum agerent, occurrit apud rerum Romanarum aut Constantinianei ævi, vel infra eam ætatem Scriptores, mentio *(i)*. Unde liquet eosdem Axumitas Æthiopes, non solum Romanorum fuisse fœderatos; sed ex eorum insuper fœderatorum ordine, qui Imperatorum Romanorum jussis obtemperare tenerentur. Quod abunde arguit Constantii apud Athanasium ad *Axumitarum* *(k)*, ut ibi vocantur, *Tyrannos* seu Regulos Epistola, qua ubi de singulari suo egisset studio, quo ad veri numinis notitiam, & ad certas de vero & justo sententias homines pervenire possint, addit: Τῆς αὐτῆς τοίνυν προνοίας ΑΞΙΟΥΝΤΕΣ ΥΜΑΣ, καὶ τῶν ἴσων Ῥωμαίοις μεταδιδόντες, ἐν τῷ μετ' αὐτῶν κρατεῖν δόγμα ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις ΚΕΛΕΥΟΜΕΝ. ἐκεῖνον Φρουμέντιον Ἐπίσκοπον ΕΚΠΕΜΠΕΤΕ ΤΗΝ ΤΑΧΙΣΤΗΝ εἰς Αἴγυπτον, παρὰ τὸν σεμνότατον Γεώργιον τὸν Ἐπίσκοπον. *Eadem etiam CURA eum & VOS PROSEQUI*

(f) L. VI. Sect. 15.
(g) L. LIV. p. 524.
(h) In Augusto.
(i) Arrian. in Periplo *Maris* Rubri. Vopisc. in Aurelian. c. 33. Athanas. Apol. p. 540. Philostorg. L. III. c. 4.
(k) Apolog. p. 540.

DIG-

DIGNAMUR, paria vobis cum Romanis impertientes, unum cum iis in Ecclesiis dogma retinere JUBEMUS. Quapropter Frumentium Episcopum QUAMPRIMUM in Ægyptum DIMITTITE ad venerabilem admodum Georgium Episcopum: tum etiam, quod ibi additur, ut Athanasium studiose perquirerent, ac in Ægyptum itidem mitterent. Accedit ab hoc Constantio lata eodem anno Constitutio, quæ exstat in Codice Theodosiano *(l)*; e qua legationes subinde ad hosce Æthiopes Axumitas a Romanis Imperatoribus mitti solitas liquet; & ad quam cæteroquin legem videri potest diligens doctissimi Jac. Gothofredi de illis *Æthiopibus Axumitis*, uti & ad Philostorgium *(m)*, ubi is horum meminit, adnotatio.

Tertio, præter Æthiopes Ægyptiis conterminos, addit alios quoque populos in adductis ante verbis Theodoritus, qui etsi Romanis parerent, eorum tamen legibus non regebantur. Cujusmodi primo loco dicuntur *plurimæ Ismaelitarum gentes*, hoc est, *Saraceni:* juxta notum de iis Sozomeni *(n)* & quem indicat quoque Theophanes *(o)*, locum, ubi facta Saracenorum mentione, dicitur: Τοῦτο γὰρ τὸ φῦλον ἀπὸ ΙΣΜΑΗΛ τοῦ Ἀβραὰμ παιδὸς τὴν ἀρχὴν λαβὸν, καὶ τὴν προσηγορείαν εἶχε, καὶ ΙΣΜΑΗΛΙΤΑΣ αὐτοὺς οἱ ἀρχαῖοι ἀπὸ τοῦ προπάτορος ὠνόμασαν. *Quippe hæc gens ab ISMAELE Abrabami filio originem ducens, vocabulum quoque accepit: eosque antiqui ab auctore generis ISMAELITAS nominarunt.* Unde Hierosolymitana paraphrasis in loco Geneseos xxxvii. 25. quod monuit jam doctissimus Bochartus *(p)* pro *Ismaelitis* habet *Saracenos.* Haud mirum vero πάμπολλα φῦλα τοῦ Ἰσμαὴλ, *quamplurimas* eorum *Ismaelitarum* seu *Saracenorum gentes,* Theodorito hic dici, quæ ab eo Romanarum legum, etsi Romanis iidem obtemperarent, jugo forent li-

(l) Leg. II. Cod. Th. de Legatis.
(m) Ad L. III. c. 6.
(n) L. VI. c. 38.
(o) Chronogr. p. 55. ed. Reg.
(p) Phaleg. L. IV. c. 2.

beræ.

beræ. Neque enim inter Felicis Arabiæ fines ſteterunt hi *Saraceni*, dum ii de quibuſvis in genere Scenitis & Nomadibus Arabibus, immo apud Ammianum Marcellinum (q) de iis populis leguntur appellati, *quorum ex ordine initium ab Aſſyriis ad Nili catarractas porrigitur, & confinia Blemyarum*, qui ut aliunde notum, Æthiopes; ac prout alibi ab eodem Ammiano (r), Oriens dicitur læva Nili parte *Saracenis conterminans gentibus*. Quo referas etiam, id quod in Epiſtola Dionyſii Alexandrini Epiſcopi, Decii Imp. temporibus ſcripta, apud (ſ) Euſebium legitur; Chæremonem nempe, quem Nili urbis Epiſcopum, una cum conjuge in Arabicum montem Troicum, juxta Valeſium, a Ptolemæo dictum, fuga delatum, non ulterius reverſum, ac, ut continuo additur: πολλοὶ δὲ οἱ κατ' αὐτὸ τὸ Ἀραβικὸν ὄρος ἐξηνδραποδίσθησαν ὑπὸ βαρβάρων Σαρακηνῶν, *porro multi in Arabico illo monte capti a barbaris Saracenis, & in ſervitutem redacti ſunt*. Etſi vero de iiſdem *Saracenis* tradit dicto loco Ammianus: *Saraceni tamen nec amici nobis unquam, nec hoſtes optandi*; plures tamen ex iis *Saracenorum*, ſeu *Iſmaelitarum*, ſeu *Arabum* (promiſcua enim hæc eorum appellatio) populis Romanorum fœderibus, & quidem inæqualibus fuiſſe illigatos, quique Romanum imperium colere tenerentur, aliunde etiam, quam ex adductis Theodoriti verbis conſtat. Hinc, & quæ loca nuper ad Julianum (t) ubi de Arabibus Nomadibus agebatur, jam adtulimus, illud Pacati in Theodoſii Panegyrico (u), ubi *rebelles* etiam vocantur *Saraceni*, nempe, *dicam a rebellibus Saracenis pœnas polluti fœderis expetitas*: & Procopii Juſtiniani ævo (x), Σαρακηνῶν τῶν Ῥωμαίων ἐνσπόνδων. *Saracenorum Romanis fœderatorum*: ac Malchi Rhetoris (y)

(q) L. XIV. c. 4.
(r) Ibidem c. 8.
(ſ) Hiſt. Eccl. L. VI. c. 42.
(t) Obſerv. ad Orat. 1. p. 165.
(u) Cap. 22.
(x) Bell. Perſ. L. II. c. 17.
(y) Excerpt. Legat. p. 92. ed Reg.

de

de quodam Persa Annoneso: Ἐπιθύμει Ῥωμαίοις ὑπόσπονδος γενέσθαι, καὶ φύλαρχος τῶν ὑπὸ Πετραίαν ὑπὸ Ῥωμαίοις ὄντων Σαρακηνῶν. *Cupido illum incessit esse in Romanorum fide, & Saracenorum, qui in Arabia Petræa degunt, Phylarchus*, Ita Theophylactus Simocatta *(z)*: Ἔθνη περὶ τὴν Ἀραβίαν ΠΟΛΛΑ τε καὶ διάφορα πέφυκε· τούτους ΣΑΡΑΚΗΝΟΥΣ ἔθος τοῖς ὄχλοις ἀποκαλεῖν. ἐκ τούτων δὲ τῶν ἐθνῶν ΕΝΙΑ ΤΙΝΑ ΤΟΙΣ ΡΩΜΑΙΟΣ ΣΥΜΜΑΧΑ ἦν. *In Arabia MULTÆ variæque gentes sunt, quæ vulgo SARACENI appellantur: Ex his autem gentibus nonnullæ erant Romanorum sociæ*, sive, ut *(a)* Photius in hujus libri epitome: Σαρακηνῶν τῶν ὑπὸ Ῥωμαίοις ταττομένων, *Saracenorum, qui Romanis parebant*, Quibus accedit Menander Protector *(b)* a quo τῶν ὑπὸ Ῥωμαίοις Σαρακηνῶν, *Saracenorum qui sub Romanis erant*, fit mentio: & alibi, unde ea de quibus hic agimus, Theodoriti verba haud parum illlustrantur: ΤΑ ΓΑΡ ΣΑΡΑΚΗΝΙΚΑ ΦΥΛΑ ΜΥΡΙΑ δὴ ταῦτα, καὶ τὸ πλεῖστον αὐτῶν ἐρημόνυμοι εἰσὶ καὶ ἀδέσποτοι. Καὶ μὲν οὖν ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΕΣΤΙΝ, ἃ καὶ τῶν Περσῶν ὑπήκοα ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ, *GENTES enim SARACENICÆ, INFINITÆ quidem, ipsarum vero quamplurima deserta incolunt, & earum quædam ROMANORUM, quædam Persarum imperio PARENT.*

Lazos autem, *Sannos*, & *Abasgos* quod adtinet, quorum meminit ibidem Theodoritus, eos in Romanorum quoque fide, etsi Romanis legibus haud obstrictos, exstitisse, aliunde etiam constat. *Lazis* certe seu *Ladis* (promiscue enim hæc dici notarunt jam ad Historiam Augustam *(c)* viri summi) Colchidos, ut aliunde notum, cis Phasin populis, Reges pridem a Romanis datos, ex Arriano & Capitolino discimus: quorum *(d)* ille Molossum iis ab Hadriano Regem impositum; *(e)* hic vero, Pacorum ab Antoni-

(z) L. VIII. c. 1.
(a) Biblioth. Codd. LXV.
(b) Exc. Legat. ed. Reg. p. 106.
(c) Ad Capitolin. Anton. Pio c. 9.
(d) In Periplo Maris Rubri.
(e) In Anton. Pio c. 9.

tonino Pio, tradidêre. Quem autem morem Justiniani adhuc ævo, nisi ubi iidem subinde a Romanis deficerent, obtinuisse, observat (*f*) Procopius: *Lazos* nempe, missis Byzantium legationibus, inde Reges petiisse; & quod insuper addit, hosce *Lazorum* Reges inde etiam uxores sibi e Senatorum familiis, cum consensu Imperatorum, adsciscere solitos. Idem vero alibi de iisdem *Lazis* ait (*g*), eos Romanis quidem fuisse subjectos, a tributis tamen exstitisse immunes; neque eosdem aliud illis præstitisse obsequium, quam quod eorum Rege mortuo, principatus insignia designato successori mitteret Romanorum Imperator: ipsi vero, ne Hunni per Lazicam in Romanorum provincias irrumperent, fines suos diligenter custodire tenerentur. Sub Trajano vero Romanos primum *Lazos* usque & Suyidas pervenisse, tradit(*)alio loco Procopius. Eorundem vero *Lazorum*, quorum nempe regio a se fuerit constituta, ac duarum in eadem urbium meminit ipse in Novallis Justinianus: ubi, post factam de Helenopoli & Ponto Polemoniaco mentionem, addit: (*h*) *Post quos tum nostra constituta est LAZICA, in qua urbe Petræon est, quæ nostro beneficio & esse, & nominari urbs cæpit, quam quæ nostræ pietatis nomina utitur*, & Justinianea *appellatur*. A Procopio varo, (*i*) *Archæopolis prima & maxima Lazorum civitas* dicitur, Αρχαιόπολις πρώτη τε καὶ μεγίστη ἐν Λαζοῖς ἐστίν· alibi (*) autem, eadem *Anhæopolis*, & *Sebastopolis* præterea, apud *Lazos* dicuntur exstitisse.

Sanni vero a Theodorito memorati, Σάννοι itidem ab (*k*) Arriano dicuntur ac Colehidos finitimi, quique Romanorum essent, etsi tum tributa persolvere negligerent, tributarii. Iidem nempe, qui in Notitia Imperii & apud

(*f*) Bell. Goth. L. IV. c. 9.
(*g*) Bell. Pers. L. II. c, 15.
(*) Bell. Goth. L. II. c. 2.
(*h*) Præf. Nov. XXVIII.
(*i*) Bell. Goth. L. II. c. 13.
(*) Bell. Pers. L.II. c. 29.
(*k*) In Periplo Maris Rubri.

(*l*) A-

(*l*) Agathiam Τζάννοι, *Tzanni*; a Procopio (*m*) qui Σανοὶ olim dicerentur, tum Τζάνοι, & a Justiniano (*n*) itidem Τζάνοι, *Tzani*; corrupte autem apud (*o*) Ammianum Marcellinum, quod vidit jam ibi doctissimus Valesius, *Zianni* appellantur. Neque vero iidem *Sanni*, vel *Tzanni*, aut *Tzani*, dictis modo *Lazis*, juxta Procopium (ut ad Ammianum tamen observat laudatus modo vir præclarus) finitimi; qui etiam id ab aliis traditum, in libris de (*p*) Bello Gotthico aperte redarguit; eosque *Tzanos* cum ibi, tum in Persicis, procul a littore mediam tenuisse Armeniam memorat, & ad quorum fines Boas fluvius oriatur; qui post emensos demum variarum gentium tractus, Phasidos nomen obtineat, in cujus autem utraque ripa sit *Lazica*. Hosce *Sannos*, vel *Tzanos*, aut *Tzannos*, etsi in parte Romani imperii censerentur, fuisse ab antiquo, quod hic advertendum venit, αὐτονόμους, duobus locis tradit aperte Procopius: priori, (*q*) ΤΟ ΤΖΑΝΙΚΟΝ ἔθνος, οἱ ἐν τῇ Ῥωμαίων ΑΥΤΟΝΟΜΟΙ ἐκ παλαιῶν ἵδρυντο. *Gens TZANICA, quæ in Romanorum solo ab antiquo SUIS LEGIBUS constituta est.* Alibi vero: (*r*) ΤΖΑΝΟΥΣ, τοὺς ὁμόρους ἡμῖν ΑΥΤΟΝΟΜΟΥΣ ὄντας, δεδούλωται. *TZANI nobis finitimi, quum antea SUIS LEGIBUS UTERENTUR, in servitutem sunt redacti*; nempe prout Græci Auctores passim vocant, Romano imperio subjici. Quod sub Justiniano, ut ex eodem constat, & Procopii, qui hæc scribebat, ætate demum contigit; adeo ut fides inde Theodorito adstruatur, qui inter gentes sub Romanis suo adhuc ævo αὐτονόμους, hos *Tzanos* quoque, in commemoratis supra ejus verbis, retulit. Eosdem vero *Tzannos*, impari fœdere ab antiquo Roma-

(*l*) Lib. V. ab initio.
(*m*) Bell. Goth. Lib. IV. c. 1.
(*n*) Præf. Novell. & Præf. Nov. XXVIII.
(*o*) Lib. XXV. c. 1.
(*p*) Bell. Gotth. L. IV. c. 1.
(*q*) Bell. Pers. L. 1. c. 15.
(*r*) Ibidem L. II. c. 3.

nis alligatos docet præterea Agathias: *(s)* Οὗτοι δὲ ΟΙ ΤΖΑΝΝΟΙ, καίτοι ἐκ παλαιοῦ ὙΠΟΣΠΟΝΔΟΙ τε καὶ ΚΑΤΗΚΟΟΙ γεγενημένοι τῶν Ῥωμαίων. *Hi autem TZANI, quum ab antiquo IN FIDE Romanorum essent, eorumque jussis obtemperarent*, ex iis alios, ut addit, in fide mansisse; alios vero prædonum more vicina Romanorum loca ipsamque Armeniam infestasse. Unde misso Romanorum duce, eoque Tzano Theodoro, iis debellatis tributum tum primum a Justiniano impositum refert, atque ita ad suam usque ætatem, tributarios esse eosdem Tzanos: quo facto autem se haud parum extulerit, ejus etiam rei facta in Novellis Constitutionibus ab eo latis mentione, Justinianus. Quod postremum equidem, cum e Novella ejus de Moderatore Helenopoli constat, tum maxime ex ipsa Novellarum Præfatione: ΤΖΑΝΟΙ τε νῦν πρῶτον ὙΠΟ ΤΩΝ ῬΩΜΑΙΩΝ γενόμενοι, ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, ἐν ὑπηκόοις τελοῦσιν. (τοῦτο ὅπερ οὔπω καὶ νῦν πλὴν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας βασιλείας δέδωκε Ῥωμαίοις ὁ Θεός.) juxta veterem interpretem: *TZANI autem nunc primum SUB ROMANORUM facti REPUBLICA, inter subjectos habeantur: quod nondum hactenus, nisi sub imperio nostro dedit Romanis Deus.* Adeo ut qui hactenus in Romanorum tantum fide, ac *imperii*, ut cum Plauto loquar, erant *audientes*, ὑπόσπονδοι καὶ κατήκοοι, sicut de iis Agathias, fuerant *Tzani* vel *Sanni*; tunc Romanis subjecti (nempe sub eorum πολιτείαν, quod ille ait, redacti, & ἐν ὑπηκόοις) eorum jugum vere subierint. Immo qui nec tributarii solum, aut tum primum, quod tradit idem Agathias, fuerint; quos utique sub Hadriano tributum jam pendisse, aperte refert, ut antea diximus, Arrianus *(t)* πάλαι μὲν καὶ φόρου ὑποτελὲς (nempe ἔθνος) Ῥωμαίοις, *olim quidem gens, Romanorum tributaria.*

Qui vero postremo loco commemorantur a Theodorito *Abasgi*, iidem qui ibi quoque ab Arriano dicuntur Ἀβασκοὶ, & Apsiliis, qui Lazorum finitimi, contermini:

(s) Lib. V. ab initio.

(t) In Periplo Maris Rubri.

quibus

quibus autem *Abaſgis* Regem Rheſmagam ab Hadriano impoſitum idem docet. Unde illuſtratur, quod de hiſce *Abaſgis*, uti & de Alanis ad oram maritimam & ad Caucaſi extremitates ſitis tradit Procopius, *(u)* eos *Chriſtianis & Romanis amicos eſſe ab antiquo*, Χριστιανοῖς τε καὶ Ῥωμαίοις φίλοι ἐκ παλαιοῦ ὄντες. alibi autem *(x)*, *Abaſgos* olim ſub Lazorum ditione comprehenſos, ſub geminis egiſſe popularibus Principibus; ſed adverſus eorum avaritiam ac ſævitiam opem in Juſtiniano Imperatore reperiſſe, qui miſſo ad eos e palatii Eunuchis Abaſgo quodam, eorum Regi edixerit, ne cui poſtea in ea gente virilitatem liceret exſcindere, ac naturæ vim porro inferre; quod lubentibus animis acceperint Abaſgi, καί τι τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως διατάξει θαῤῥοῦντες ἤδη, eoſque *fretos mandato Romani Imperatoris*, jam id ne deinceps fieret, totis viribus obſtitiſſe. Adeo ut, etſi Romanorum Imperatorum juſſis obtemperare, & ab iis recepto pridem apud eos, ut ex Arriano vidimus, more, Reges accipere tenerentur *Abaſgi*; necdum tamen poſt Theodoriti etiam ætatem, ac ſub Juſtiniano, dum proprium adhuc haberent Regem, Romanorum legibus ac Præſidum juriſdictioni obſtricti iidem forent. Quomodo etiam, & qui inde quoque illuſtratur, poſt factam Tzanorum, qui tum primum Romanis ſubjecti fuerant, mentionem, *Abaſgi* una cum aliis populis *Apſilis*, *Scymnis*, *Suanis*, a Juſtiniano *(y)* commemorantur, qui in Romanorum amicitia ac fide forent: Σουανοί τε καὶ Σκύμνοι, καὶ Ἀψίλαι, καὶ ΑΒΑΣΓΟΙ, καὶ ἕτερα οὖν, Θεοῦ, δόντος, φίλιά τε καὶ ἡμέτερα. juxta veterem interpretem, *quæ omnes* (gentes) *permittente Deo vel noſtræ, vel ſociæ ſunt.*

Inter illos autem reliquos *Barbaros*, qui, ut addit Theodoritus, Romanis itidem parent, neque tamen ſecundum Romanorum leges, mutuos inter ſe contractus paciſce-

(u) Bell. Perſ. L. II. c. 29.
(x) Bell. Goth. L. IV. c. 3.
(y) Præf. Nov. XXVIII.

 ren-

rentur, adnumerandi tunc erant *Armenii.* Ii enim, post Armeniam primum a Lucullo, ac dein a Pompeio, expugnatam, Reges iis per aliquot secula a Romanis (quod vel veteres sub Pio ac Vero nummi docent, REX ARMENIS DATUS) impositos accipere sunt adacti; & ea quidem conditione, ut Armeniorum Rex, juxta (z) Procopium, ab antiquo Imperatoris Romani ὑπήκοος, sive inter *subjectos* fuerit habitus. Ita tamen, ut post crebras inter Romanos ac Persas de eadem Armenia dissensiones, sive *perpetuam,* juxta (*a*) Ammianum, *bellorum* inter eos *caussam;* ac divisam in duas partes, teste ibidem Procopio, Armeniam, quarum una ultra Euphratem Persis, & *Persarmenia* inde dicta; altera Romanis accessit, eaque in Primam & Secundam, ut vel e Notitia Imperii liquet, ab iis distincta; Theodoriti adhuc ævo, etsi sub Romanis Rectoribus, liberi adhuc a Romanarum legum jugo agerent iidem *Armenii.* Quo jure autem, proximo seculo, ac sub Justiniano quidem, excidisse eosdem Armenios, e (*b*) Novella ejusdem Principis Constitutione eam in rem lata constat: *Armeniorum* (ut veteris tantum interpretis verba adferamus) *regionem bene legibus gubernari volentes, & nihil ab nostra differre Republica &c. Sanctionesque non alias esse apud eos, quam quas Romani nominant, oportere.* Iis cæteroquin *Barbaris*, qui Romanorum dominatum colerent, ac Theodoriti ætate, suis etiamnum uterentur legibus, accensendi adhuc veniunt *Gotthi.* Eos certe sub Justiniano pacem petiisse a Narsete, noto illius principis exercituum Duce, ut eos αὐτονόμους relinqueret, docebit rursus (*c*) Procopius. Ut nunc mittam, quorum (*d*) alibi idem Auctor meminit, Dolomitas, Persidos habitatores, qui nempe αὐτόνομοι ὄντες ἐκ παλαιοῦ, *suis legibus ab antiquo utebantur.*

(z) De Ædificiis L. III. c. 1.
(*a*) Lib. XXX. c. 2.
(*b*) Nov. XXX. & Edict. III. Justiniani.
(*c*) Bell. Goth. L. IV. c. 35.
(*d*) Ibidem c. 14.

Postre-

Poſtremo denique adverti adhuc obiter hic meretur, quod ibidem a Theodorito, de aliis *Barbaris nationibus* in genere dicitur; quod eædem non juxta Romanorum leges, τὰ πρὸς ἀλλήλους ποιοῦνται ξυμβόλαια, *contractus inter ſe* ſeu *conventiones paciſcuntur*. Συμβόλαια nempe dicta vulgo apud Græcos pacta conventa, ſeu privatæ inter unius urbis cives, aut publicæ, ut eas diſtinguit Ulpianus *(e)*, inter urbes vel populos, de commerciis aliiſve conventiones. Prioris ſignificationis obvia ſunt apud Græcos Oratores, ut aliis indicta tantum hic adtingam, exempla: ſicut apud Andocidem *(f)* ἀλλὰ τῶν ἰδίων συμβολαίων αἱ πράξεις εἶεν, *ſed ut privatorum contractuum exactiones ſint*: Iſæum *(g)*, περὶ δὲ τῶν ἄλλων συμβολαίων, *de cæteris quidem contractibus*: ac Lyſiam *(h)* εἰ μηδενὸς αὐτῷ συμβολαίου γεγενημένου, *qui nullo contractu inito*: ac unde συμβολαίων δίκαι ἐμπορικαὶ, *actiones contractuum mercatoriæ* vocantur apud Demoſthenem *(i)*, qui & alibi eadem *(k)* συμβολαίων voce pro *contractibus* haud ſemel eſt uſus: ſicut paſſim, quod vel Græci eorum indices docebunt, Dionyſius Halicarn. Diodorus, aliique. Unde de *commerciis* dicta quoque συμβόλαια, ut cum alibi, tum apud Maximum Tyrium *(l)*, a quo fit mentio, συμβολαίων ἀγοραίων, θαλαττίων, ἠπειρωτικῶν, ξενικῶν, ἀστικῶν, ἐπιχωρείων, διαποντίων, *commerciorum forenſium, marinorum, terreſtrium, peregrinorum, urbanorum, vernaculorum, tranſmarinorum*. De publicis vero urbium aut populorum inter ſe conventionibus, dicta quoque a Græcis, ut modo innui, συμβόλαια. Quomodo eam vocem adhibet Polybius *(m)*, ubi varios populos de injuriis a Philippo Macedone illatis querentes inducit:

(e) Leg. V. D. de Pactis.
(f) Orat. I. p. 216. ed. Hanov.
(g) Orat. III. p. 412.
(h) Orat. II. p. 34.
(i) Orat. adv. Phormion. p. 990.
(k) Adv. Zenothen. p. 575. & adv. Phormion. p. 585.
(l) Orat. XXXVI. p. 335.
(m) Excerpt. Legat. XLVI.

Ou

Οἱ μὲν περὶ χώρας, οἱ δὲ περὶ σωμάτων. οἱ δὲ περὶ θρεμμάτων ἧκον ἀμφισβητοῦντες. ἔνιοι δὲ ὑπὸ ΣΥΜΒΟΛΑΙΩΝ, καὶ τῶν εἰς αὐτοὺς ἀδικημάτων. τινὲς μὲν οὖν φάσκοντες, μὴ δύνασθαι τυχεῖν τοῦ δικαίου ΚΑΤΑ ΤΟ ΣΥΜΒΟΛΟΝ, διὰ τὸ τὸν Φίλιππον ἐγκόπτειν τῇ δικαιοδοσίᾳ. Casaubono interprete: *Quorum alii agro multatos se querebantur; alii mancipia adempta, aut pecus abactum: quidam PACTA VIOLATA objiciebant: nonnulli dicere, jus æquum secundum pacta* (sive *secundum conventam juris exequendi formulam*) *obtineri a Philippo non posse: quia Rex, quo minus jus* (nempe *juxta eam formulam*) *redderetur, impediret.* Ad quæ proinde de commerciis, de permutationibus, aliisve id genus, de quibus inter barbaras illas nationes conventum erat, pacta seu συμβόλαια, respicit adductis ante verbis Theodoritus; & prout haud una fuit, sed varia & multiplex, pro earum nempe indole, aut situ, aut receptis ab antiquo moribus ac institutis, pactorum circa eadem ratio. Adeo etiam, ut in pacis cum hostibus initæ legibus, ea commerciorum cum iis jura vel restringerent subinde Romani, vel plane etiam negarent; ut postremum de Quadis observat Dio Cassius (*n*), iis petentibus pacem quidem dedisse M. Antoninum; *non autem commerciorum ac fori seu mercatuum adeundorum potestatem*, οὐ μέντοι καὶ τῆς ἐπιμιξίας καὶ ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἔτυχον. Idem vero Marcomannis dies quosdam ac loca commerciorum concessisse, mox ab eodem Auctore dicitur (*o*). Adde quod circa privatorum contractus seu συμβόλαια, haud levis esset inter Romanos sive oppida Romanorum civium, ac inter alia, quæ eo civitatis vel Quiritium jure carebant, oppida diversitas. Unde singularis beneficii loco juniori Romæ seu Constantinopoli, Valentis Imperatoris constitutione indultum, inter alia tradit Sozomenus (*p*), ut eodem jure in

(*n*) Lib. LXXI. p. 807.
(*o*) Ibidem p. 208.
(*p*) L. VIII. c. 9.

con-

contractibus, quo vetus Roma, uteretur, ἀλλὰ ΤΑ ΣΥΜΒΟΛΑΙΑ κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐν Ἰταλίᾳ ἔκειντο, *verum etiam CONTRACTUS civium ejus urbis, juxta leges Romanorum, quæ in Italia sunt, judicabantur.* Sicut vero συμβολαίων δίκαι, de iis privatorum contractibus, ut paullo ante vidimus, sunt appellatæ; ita συμβολαῖαι δίκαι, actiones de conventionibus inter Athenienses & eorum socios, a Thucydide (q) dictæ eo loco, quem adduxit jam ὁ πάνυ Budæus. Neque vero, ut hoc addam, in memoratis paullo ante Polybii verbis, idem σύμβολον, quod συμβόλαιον· quorum illud non pactum adeo aut conventionem in genere notat, quam constitutam ex pacto formulam, juxta quam ortæ inter populos vel urbes controversiæ dirimerentur, ut erudite jam id ad Harpocrationem monuit doctissimus Valesius, (r), & nuper ad Julianum (ſ) quoque adtigimus. Quomodo nempe apud Livium loco supra jam adducto, in disceptatione variarum gentium cum Philippo Macedonum Rege, *(t) de injuriis quas ultro citroque illatas queruntur, QUOMODO inter eas gentes & Macedenas DISCEPTETUR, FORMULAM JURIS EXEQUENDI constituendam esse.* Idem utique, quod in adductis Polybii, & quæ paullo ante leguntur, verbis, ac alibi apud eundem dicitur (x), κατὰ τὸ σύμβολον δίκαιον λαβεῖν, aut εἰς δικαιοδοσίαν redigi, interprete, ut cernimus, Livio, *juxta formulam juris exequendi disceptare,* aut *judicari;* ac prout ἀπὸ συμβόλων δίκαι, aut δικάζειν, vel δικάζεσθαι, ea de re est a Græcis (y) olim dictum. Unde obiter explicandus Antiphontis (z), quem, ut sæpe alibi, non adsequutus est interpres, locus: ubi nonnullos Atheniensium socios inter eorum hostes ait

(q) Lib. 1. p. 51.
(r) Pag. 72. & 183.
(ſ) Obſ. in Orat. I. p. 956.]
(t) Pag. 315.
(u)
(x) Exc. Legat. CXXIII.
(y) Pollux L. VIII. c.6. Hesychius.
(z) Orat. XIV. p. 126. ed. Han.

habi-

habitare, *καὶ δίκας ἀπὸ συμβόλων ἡμῖν δικαζομένους*, *& controversias nobis e formulis juris exequendi constitutis facientes*, non vero alio plane sensu, *jura ab hostibus vestris accipientes.* Adeo ut illud Polybii, κατὰ τὸ σύμβολον δίκαιον λαβεῖν, id speciatim notet, quod in genere, κατὰ τὰς ξυνθήκας δίκας δοῦναι, aut δίκας λύεσθαι, *ex fœderum pactis judicio de rebus controversis disceptare*, aut eas *dirimere*, a Thucydide haud semel dicitur. Mitto hic usurpatum a recentioribus Græcis, & in jure Justinianeo Codicis aut Novellarum, συμβολαίῳ pro *instrumento* seu *syngrapha* significationem, quæ non est hujus loci. Et de hoc Theodoriti loco hactenus, unde quæ adhuc ejus ævo juris diversitas inter varias Romani Orbis gentes exstiterit, licet continuo statuere.

CAPUT XVIII.

De Carchedoniis *sive* Carthaginiensibus *in libertatem sub Justiniano, juxta eundem in principio Novellarum, adsertis. Plura, quæ id aliunde refellunt.* Carthago, *Romana Colonia a J. Cæsaris temporibus, ac proinde non* libera *vel* Αὐτόνομος, *sed privatis Quiritium legibus subjecta. Eadem sedes Romani Proconsulis, dein Præfecti Prætorio Africæ; inter primas quidem Romani orbis, sed non inter* liberas *inde civitates relata. Non* Carthago, *sed* Calchedon *olim sub Romanis Cæsaribus, juxta Plinium,* libera.

bera. *Unde legendum apud Juſtinianum, non* Carchedonii *ſive* Carthaginienſes; *ſed obvio eo in nomine errore,* Chalchedonii. *Exempla ex Theophraſto, Galeno, Æliano, Themiſtio, apud quos ſimiliter* Καρχηδόνιοι, *ſive* Carthaginienſes, *pro* Καλχηδόνιοι, Calchedonii, *dicti. Vera lectio* ΚΑΛΧΗΔΟΝΙΩΝ, *non ut vulgo* ΧΑΛΚΗΔΟΝΙΩΝ, Calchedonis, *non* Chalcedonis, *e nummis antiquis adſerta.*

NEque vero ſequenti ſeculo ſub Juſtiniano, ſublata adhuc omnis quarundam urbium in Orbe Romano ſuarum legum libertas. Id quidem de *Tzanis* & *Armeniis* ſub eo contigiſſe, e Novellis ejuſdem Conſtitutionibus diximus; ut tum primum Romanorum iidem jure legibuſque obſtricti deinceps fuerint. A quo tamen Juſtiniano in limine earundem Novellarum dicitur, juxta veterem earum interpretem; *Occupatis nobis circa totius Reipublicæ curas, & parvum nihil eligentibus cogitare, ſed quatenus quidem Perſæ conquieſcant, Vandali autem cum Mauris obediant, & CARCHEDONII ANTIQUAM recipientes HABEANT LIBERTATEM:* juxta Græca autem, ſive ipſa Juſtiniani verba, ΚΑΡΧΗΔΟΝΙΟΙ δὲ ΤΗΝ ΠΑΛΑΙΩΝ ἀπολαβόντες ΕΧΟΙΕΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ. Unde hactenus eadem verba, de *Carthaginienſibus,* qui Καρχηδόνιοι a Græcis dicti, quique proinde antiquam ſub hoc Juſtiniano libertatem poſtliminio velut recuperarint, explicant omnes hujus Novellarum Juſtinianearum ingreſſus interpretes. A qua tamen explicatione ut continuo recedam, facit: Primo, quod nova hæc eaque Gracchi primum, dein felicioribus J. Cæſaris auſpiciis condita vel inſtaurata fuerit in Afri-

ca Carthago: colonia nempe e Romanis civibus, quod ex Auctoribus *(a)* & nummis præterea antiquis constat, in eam tum deducta. Unde a Plinio dicitur, *(b) Colonia Carthago magnæ in vestigiis Carthaginis*: & in Gestis Purgationis Cæciliani *(c)*, *splendidæ coloniæ Carthaginiensium*: apud Apuleium *(d)* autem, *splendidissimæ Carthaginiensium curiæ*, ac *splendidissimi ordinis* fit mentio. Nota autem haud plane in Romana antiquitate tyronibus, vel ex iis, quæ ea de re jam sumus commentati, diversa *coloniarum* & *liberarum urbium* in Orbe Romano conditio: quum illæ, Romanorum utpote civium, civilibus Quiritium legibus subjacerent, non vero liberæ urbes, quæ vulgo suarum legum libertate & avita Reipublicæ forma fruerentur. Unde etiam inter urbes, quæ *sub* Romanorum *legibus agunt*, & *solemnes*, quibus novi Consules magistratum inibant, *dies celebrant*, juxta Constantinopolim, Antiochiam, Alexandriam, *Carthago* ab Ausonio in Gratiarum Actione pro Consulatu recensetur. Adde, quod exin perpetua sedes Proconsulis Africæ, qui ibi jus diceret, evasit, dictaque inde *Proconsularis Carthago (e)*: & acceptæ ibi ab Imperatoribus ad eosdem Proconsules, aut ad Vicarios Africæ, quod vel ex utroque Codice obvium, leges. Quomodo etiam constituto a Justiniano Africæ Præfecto Prætorio, additur: *(f) cujus sedem jubemus esse Carthaginem.* ac præterea, *ut Carthago, & Byzacium, ac Tripolis Rectores habeant Consulares: reliquæ vero, Numidia, Mauritania, & Sardinia, a Præsidibus gubernentur.* Secundo, quod quæcunque illius novæ Carthaginis amplitudo dein ac felicitas

(a) Strabo L. XVIII. pag. 833. Velleius L. II. cap. 15. Plutarch. in Cæsare pag. 734. Dio Cassius L. XLIII. pag. 249.
(b) L. VII. cap. 3.
(c) Cap. 4.
(d) Florid.
(e) Leg. I. Sect. 2. C. Just. de Off. Præf. Præt. Afr.
(f) Ibidem Sect. 1. 2.

sub

ſub Romanis Cæſaribus fuerit, ſeu eorundem Cæſarum in eam urbem indulgentia, quam prædicant illius urbis, ſub Severo & Antonino Caracalla, nummi, INDULGENTIA AUGG. IN CARTH. *Indulgentia Auguſtorum In Carthaginienſes*, aut alii ſub ſequutis Imperatoribus, FELIX CARTHAGO; & ad quam reſpicit ab initio libri de Pallio ipſe Carthaginienſis Tertullianus, *Principes ſemper Africæ viri Carthaginienſes, vetuſtate nobiles, novitate FELICES*: aut quod ab Apuleio *(g)*, Herodiano *(h)*, Auſonio *(i)* aliiſque, inter primas non Africæ ſolum, ſed Orbis Romani civitates adnumerari meruerit: nuſquam tamen inter *liberas* vel *αὐτονόμους* urbes relata legitur. Neque vero quod hæc urbs ab iiſdem Principibus Severo & Antonino, juxta Uticam & magnam Leptim, *juris Italici*, ut id de iis tradit *(k)* Paulus J. C. *facta* itidem fuerit; ideo, ut ea de re mox videbitur, dictis *liberis* in Orbe Romano urbibus adſcripta inde Carthago: quæ & *ſub* Romanorum *legibus*, ut de ea dicentem vidimus Auſonium, agebat, & in qua perpetua viguit Romani Proconſulis, aut Vicarii Africæ, vel Præfecti Prætorum Africæ juriſdictio. Unde de eadem Carthagine, & quam *in Afriacno Orbe quaſi Romam* vocat Salvianus *(l)*, addit: *Illic honor proconſularis, illic quotidianus judex & rector, quantum ad nomen quidem Proconſul, ſed quantum ad potentiam Conſul.* Tertio, non *Carthaginem* quidem, ſed e regione veteris Byzantii *Calchedonem*, eo *libertatis* jure olim uſam, & inde *liberam* etiam a Plinio *(m)* nuncupari: *rurſuſque coeuntibus terris anguſtiæ pertinentes uſque ad Boſphorum Thracium. In iis CALCHEDON* (ut ſcribi debet, non *Chalcedon*) *LIBERA.* Dicta nempe hæc urbs in omnibus antiquis ejus nummis, non

(g) Florid.
(h) L. VII. cap. 6.
(i) De Claris Urbib.
(k) Leg. VIII. Sect. 11. D. de Conſil.
(l) De Gubern. Dei L. VII. c. 10.
(m) L. V. Sect. 43.

ut vulgo hodie apud Auctores. ΧΑΛΚΗΔΩΝ, ſed cum mutato literarum X. & K. ſitu, ΚΑΛΧΗΔΩΝ, *Calchedon*: quomodo ſemel apud Strabonem *(n)* ὁ Καλχηδόνιος, & bis apud Herodianum *(o)*, ac præterea in Actis Oecumenici Concilii Calchedonenſis *(p)*, quæ miror non adtendiſſe viros eruditos, conſtanter Καλχηδόνιος & Καλχηδονίων legitur. Unde factum, ut levi & obvio librariorum errore, eadem urbs Bithyniæ ac in Aſia Καλχηδὼν, & Afrorum Καρχηδὼν ſeu *Carthago*, quod pridem me indicaſſe memini *(q)*, confuſæ ſæpe fuerint in veterum Auctorum, quæ ad nos tranſmiſſa ſunt, monumentis. Ita ut id uno vel altero exemplo illuſtremus, apud Theophraſtum *(r)* de quodam Smaragdi genere agitur, qui reperiatur ἐν τῇ νήσῳ τῇ ἐπικειμένῃ Καρχηδόνι, juxta Gazam, *in inſula quæ Carthagini adjacet*: ſeb ubi Καλχηδόνι reponendum, præter alia docebit Plinius *(ſ)* & monuit jam ibi, ut nunc video, noviſſimus ac eruditus ejus editor Harduinus: *Calchedonii neſcio an in totum exoleverint, poſtquam metalla æris ibi defecerunt.* dein: *Mons juxta Calchedonem, in quo legebatur, Smaragdites vocatus eſt.* Ita apud Galenum, in *(t)* præclaris illis de Uſu Partium libris, in *Carthaginienſem* ibi *Herophilum* olim incidi, nempe Ἡροφίλῳ τῷ Καρχηδονίῳ, ſed ubi Καλχηδονίῳ omnino legendum, facile licuit conjicere, & evicit quoque *(u)* alibi illius Medici facta ab eodem Galeno, ut de aliis jam ſileam, mentio, ac ubi recte Ἡρόφιλος Καλχηδόνιος, non vero Καρχηδόνιος, *Calchedonius*, non *Carthaginienſis* legitur. Sic apud *(x)* Ælianum, in omnibus etiam MSS. Regiis Pariſienſibus, ut in noviſſima ac-

(n) L. III. p. 741.

(o) L. IV. c. 3. & L. V. c. 4.

(p) Vid. Concil. Labbæi T. IV. & Canon. Eccleſ. Univ. Juſtelli T. I.

(q) Diſſ. de Præſt. Num. pag. 76. & 901.

(r) De Lapidib.

(ſ) L. XXXVII. Sect. 18.

(t) Lib. I. c. 8.

(u) In Medico c. 4.

(x) V. H. Lib. XIII. c. 31.

cura-

curatiſſimaque excellenti eruditione viri Jac. Perizonii editione adnotatur, Xenocrates Καρχηδόνιος pro Καλχηδόνιος, non ut ibi viri docti, ſed leviori utique errore, Χαλκηδόνιος, appellatur. Nummi certe veteres, quod modo innui, iique probæ equidem notæ, genuini proinde ac idonei teſtes, ac prout præfert etiam codex antiquus Canonum a Cl. Juſtello vulgatus, ut quod *(y)* alibi pridem monui, ad unum inſcripti, ΚΑΛΧΗΔΟΝΙΩΝ *Calchedoniorum.* Quomodo apud *(z)* Themiſtium, Χαλκηδόνιον, ſed rectius Καλχηδόνιον Ξενοκράτην, non ut ibi antea, Καρχηδόνιον nempe, *Calchedonium Xenocratem*, non *Carthaginienſem*, legendum vidit doctiſſimus Petavius: qualis revera, ut vel e Laertio in ejus vita, & aliunde erat obvium, exſtitit. Unde non mirum, ſi pari ratione hic apud Juſtinianum, & obvio librariorum in hac voce errore, ac unde tamen haud levis oritur quoad urbes longo terrarum aut marium ſpatio diviſas confuſio, Καρχηδόνιος legatur, pro Καλχηδόνιος, & in verſione veteris interpretis *Carchedonius*, pro *Calchedonius.* Accedit, quod Καρχηδόνιος, non *Carchedonius*, quæ vox toti Latio ignota, ſed *Carthaginienſis* dici debuerit; prout ab eodem veteri Novellarum interprete alibi, ut in Novella Conſtitutione de Africanis Eccleſiis *(a)* duobus locis, ἡ ἐκκλησία Καρχηδόνος, non *Eccleſia Carchedonis*, ſed *Carthaginienſis Eccleſia* bene vertitur; ac in Græca etiam ejuſdem Juſtiniani, quæ in ejus Codice legitur *(b)*, Conſtitutione, τῆ ὀνομαστάτης Καρχηδόνος, *nominatiſſima Carthagine* redditur. Adeo ut accedente maxime adducto Plinii de *libera* olim *Calchedone* loco, genuina inſuper illius urbis, e priſcis ejus nummis, iis quos adduxi Auctoribus, & Actis habiti in eadem civitate Oecumenici Concilii ſcriptura, levi præterea & obvia unius literæ ρ in λ mutatione, ac familiari inde, qui veteres aliorum Auctorum codices in hac

(y)
(z) Orat II. p. 26.
(a) Nov. XXXVII.
(b) Præf. Lib. I. Tit. XVII.

voce

voce obſedit, librariorum errore, Καλχηδόνιος in Græco Juſtiniani contextu, pro Καρχηδόνιος, & in verſione Latini interpretis, *Calchedonius*, non *Carchedonius* legendum omnino, nt equidem arbitror, liqueat: ac proinde *antiquam libertatem*, non *Carthagini* quidem in Africa, quæ eo jure nunquam ſub Romanis poſt veterem ejus inſtaurationem erat uſa, ſed huic in Aſia *Calchedoni* reſtituerit Juſtinianus.

CAPUT XIX.

An jus Italicum *poſt Antoninianam conſtitutionem fuerit in Orbe Romano penitus ſublatum? In quibus* jus *illud ſitum, Conſtantinopoli, lege Valentis Imp. datum, & Jac. Gothofredi ſententia ea de re exploſa. Neque idem quod jus urbis Romæ, & diverſa ſemper ratio habita* juris Italici, *&* juris Quiritium. *Varia utriuſque Codicis loca ea de re adducta & illuſtrata.* Immunitas a tributis, *præcipua pars illius* juris Italici. Αὐτονομία *potius, quam eadem* ἀτέλεια, *cum a Græcis olim, tum a Romanis conceſſa. Exempla ejus rei & teſtimonia e Thucydide, Polybio, Livio, Philone, Joſepho, aliiſque adducta. De* immunitate a tributis, *certis Romanorum Coloniis, non vero aliis,*

aliis, indulta, juxta ea de re loca in Digestis. *De* Byzantio *sive* Constantinopoli, *quomodo eadem* immunitas *ei data vel adempta.* Jus vetus Latii *non transiisse in* jus Italicum, *juxta virum doctum. Sententia illius ea de re adducta, & confutata. An discrimen fuerit inter* Romanorum Colonias, *quæ jus haberent suffragii, ac honorum Romæ adipiscendorum, & quæ illo carerent; & an priores, juxta eundem virum doctum, haberent inde in nummis lupam cum gemellis insculptam; posteriores, vel legionem notatam, vel suem fœtam? Quod refellitur.* Jus Italicum *nusquam de* jure Latii antiquo *dictum. Servata adhuc* juris Italici, & juris Latii veteris, *ævo Plinii, distinctio. Diversa longe utriusque juris ratio.* Jus Latium vetus *sublatum demum post Antonini constitutionem.* Latini & Latinæ conditionis, *in libris juris Romanorum civilis, dicti* liberti Juniani, *ad discrimen eorum, qui* cives Romani. Colonias *non jus habuisse honores in urbe capiendi, sed* Municipia. *Lupa cum gemellis in variis coloniarum nummis sculpta, denotat, prisco coloniarum more, quod Romam haberent Metropolim, sive matricem urbem. De*

ejus-

ejusmodi lupa cum gemellis sculpta Antiochiæ, *antequam eadem colonia* Romanorum *esset facta. Eadem* Metropolis & Colonia *simul inscripta in nummis Antonini Caracallæ, & sequentium Imperatorum.*

NEque vero, quod visum est quibusdam *(a)* eruditis, post datam Antoniniana constitutione omnibus in Orbe Romano ingenuis civitatem, eosque Romanis dein legibus obstrictos; inde sublatum continuo *jus Italicum.* Quod equidem vel aperte poterat redarguere, cum alibi facta in utroque Codice, vel *Italici contractus* (*b*): vel præstituti in Italia *(c)* ad petendam restitutionem in integrum temporis, de quo mox dicetur, commemoratio: tum Valentis Imperatoris in Codice Theodosiano, ac junioris Theodosii in Justinianeo, de *Jure Italico* urbis Constantinopoleos constitutio. Unde in priori dicitur *(d)*: *ITALICI JURIS auxilium arbitra æquitate renovamus*: in altera: *(e) Urbs Constantinopolitana non solum JURIS ITALICI, sed etiam Romæ veteris prærogativa lætatur.* Eam equidem, quod supra obiter est a nobis monitum, a tributo soli & capitis immunitatem, quæ pars erat *juris Italici*, cujusque variis in Orbe Romano coloniis indulti, fit a priscis Jurisconsultis, *(f)* titulo Digestorum de Censibus mentio, ævo Constantinianeo, ac sequutis ætatibus sublatam ferme; & uni urbi Constantinopolitanæ, novæ quippe & alteri Romæ, adsertam videri, ibi-

(a) Sam. Petitus Comment. ad Leges Atticas p. 136.

(b) Lib. VII. Tit. XL. Cod. Just.

(c) Lib. II. Tit. XVI. Cod. Theodos.

(d) Leg. unic. Lib. XIV. Tit. XIII. Cod. Th.

(e) Leg. unic. L. XI. Tit. XX. Cod. Just.

(f) Lib. I. Tit. XV. Digest.

dem

dem diximus. Verum haud inde ſublatum in Orbe Romano omne *jus Italicum*, quod vel modo dicta abunde redarguunt, ſtatuendum eſt: nec alioquin, in quo jus illud conſiſteret, adſequuti ſunt, qui id exiſtimarunt, viri eruditi: quibus tamen haud obſcure præiverant eodem titulo de Cenſibus Paulus ac Ulpianus, ut primus erudite id vidit Sigonius *(g)*, & magnus dein Cujacius *(h)*, qui non ſolum in levatione cenſus, ſed etiam in aliis quibuſdam actibus, ut in alienationibus, traditionibus nexi, mancipationibus, annali exceptione, in jure capiendo, jus illud ſitum fuiſſe, abunde declararunt. Adeo ut haud immerito cum a Petavio ad Julianum *(i)*, tum a Valeſio ad Sozomenum, viris doctiſſimis *(k)* exploſa ſit clariſſimi hac ætate Juriſconſulti Jac. Gothofredi tradita olim ab eo ad Geographum Anonymum *(l)* ſententia; qui datum illud Conſtantinopoli a Valente *juris Italici auxilium*, in eo poſitum crediderat, ut eadem urbs alias civitates *jure Italico* donaret, & quale Corintho coloniæ a Conſtantinopoli conceſſum, e Juliani Imp. verbis perperam intellectis collegerat; ac præterea ut eadem urbs Regia controverſias, quæ inter illas urbes ortæ eſſent, dijudicaret. Verum a qua ſententia, ante vulgatum a Valeſio Sozomenum, ipſemet receſſerat Gothofredus in Commentario *(m)* ad eandem Valentis in Codice Theodoſiano conſtitutionem: ubi is etiam non tantum in levatione cenſus, juxta Cujacium *(n)*, ac in immunitate tributorum, ſed in dictis præterea actibus, totum *jus* illud *Italicum* ſitum fuiſſe aperte agnoſcit. Quamquam in ea ipſa hujus legis Theodoſianæ, quam tulit Valens, de

(g) De Ant. Jur. Ital. L. I. cap. 21.
(h) Obſerv. L. X. cap. 5.
(i) Not ad Epiſt. XXXV.
(k) Annot. ad L. VII. cap. 9.
(l) Ad Deſcript. Vet. Orb. pag. 33.
(m) Pag. 222. 223. Tit. V.
(n) Obſerv. L. X. cap. 5.

jure Italico Conſtantinopoli dato; & alterius a Theodoſio juniore eadem de re lata, quæ exſtat, ut paullo ante dictum, in Codice Juſtinianeo, expoſitione ea ſtatuat idem doctiſſimus earum interpres, quibus neutiquam licet adſentiri. Quomodo etiam eadem verba in Theodoſii Conſtitutione, *non ſolum juris Italici*, a Triboniano e ſuperiori lege a Valente lata fuiſſe transfuſa idem exiſtimat: & quidem inde, quod eadem abſint a lege ejuſdem Theodoſii, quæ alibi (o) in utroque Codice legitur, ac ubi cæteroquin reliqua occurrunt, *Conſtantinopolis, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur.* Verum cui conjecturæ illud continuo obſtat, quod hæc falſa nitatur adſertione: quaſi illa *juris Italici* conceſſione nihil aliud, ut ſtatuit vir doctiſſimus, inferatur, niſi æquatio Veteris Romæ cum Nova; & quod *jus* illud *Italicum* pars fuerit & prærogativa veteris Romæ. Quæ tamen vel inde aperte ſatis convelluntur; quod in commemoratis paullo ante actibus, ut in alienationibus, &c. ſicut e vetere jure Juſtinianeo ac aliunde conſtat, aliud eſſet *jus Quiritium*, aliud *jus Italicum*: & quod ut prius iſto excellentius, ita *jus Italicum* provinciali, quod monuerat pridem Sigonius, potius fuerit habitum. Unde poſt Italiæ conceſſam lege Julia, vel quæ eam mox eſt ſubſequuta, civitatem, *juris Italici prærogativa*, eaque in immunitate tributorum maxime poſita, inde cum bene meritis de Romano Imperio in provinciis urbibus, aut alioquin cum Romanorum coloniis, & inſignis quidem beneficii nomine, fuerit communicata. Accedit, quod abſonum fuiſſet *jus Italicum*, vel antea ſub Romanis Imperatoribus, vel adhuc ſub Valente dici, quod tamen haud aliud eſſet, quam *jus urbis Romæ*: & ita omiſſa potiori longe illius juris denominatione, nempe ab urbe regia & *legum parente*, ut

(o) Leg. XLV. C. Th. de Epiſcop. Leg. VI. C. Juſt. de Sacr. Eccleſ.

antea

antea vidimus, iis temporibus nuncupata, eam continuo a subjecta ei gente arcessere: & quidem quum alia semper in Orbe Romano, ut e libris veterum Jurisconsultorum, & ex utroque Codice adhuc liquet, *juris* illius *Italici*, eaque infra jus Quiritium seu Romanorum civium recepta foret nomenclatio. Quomodo exstat etiamnum in Justinianeo Codice constitutio *(p)*, *De Annali Exceptione Italici Contractus Tollenda* : alia autem Constantini in Codice Theodosiano *(q)*, qua quinquennium petendæ restitutioni in integrum Romæ ac intra centesimum ab Urbe milliare; in Italia vero, quadriennium; in cæteris provinciis triennium constituitur: ac unde similiter *Italici* adhuc & *Quiritium juris* ea ætate diversitas elucescit. Mitto quod in eadem lege Theodosii junioris, de Privilegiis Urbis Constantinopoleos, discrimen illud clare adhuc ibidem designatur: nempe ut eadem urbs seu nova Roma *(r)*, *NON SOLUM JURIS ITALICI, SED ETIAM ipsius Romæ veteris prærogativa lætatur.* Adeo ut ea verba in hujus Theodosii constitutione, *non solum juris Italici*, a Triboniano non tantum confidenter valde ac temere, sed imperite etiam ac absurde omnino fuissent inserta; si id *jus Italicum*, & quod a Valente dicitur in Constitutione Codicis Theodosiani, *Italici juris auxilium*, nihil aliud, nisi jus fuisset ipsius veteris Romæ, seu partem ejus tantum, quod statuit vir doctissimus, designasset. Unde jus illud *Italicum*, quod a Valente Constantinopoli *renovatum* ibi dicitur, de immunitate, quam supra adtigi, tam capitis quam soli, & de qua ipsemet Codicis Theodosiani enarrator, *jus Italicum* coloniaram, de quo fit mentio in Digestis capite de Censibus, explicandum viderat, opportunius longe, ac ut etiam a doctissimo

(p) Lib. VII. Tit. XL.
(q) Leg. II. Cod. Th. de Integri Restitut.
(r) Leg. Univ. L. XI. Tit. XX. Cod. Just.

Valesio ad Sozomenum *(s)* factum observo, exponi ab eo debuerit. Ad quam autem Valentis constitutionem omnino respicere ibi Sozomenum, etsi aliter id statuere videatur Valesius, existimo; ubi Novæ seu Junioris Romæ, qnibus sub Theodosio jam gaudebat, privilegia enumerans Sozomenus, ait iis verbis, quæ alia occasione supra adtulimus *(t)*, ἀλλὰ καὶ τὰ συμβόλαια, κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Ῥωμαίων, ἐκείνετο, *verum etiam contractus, juxta leges Romanorum QUI IN ITALIA SUNT, judicabantur. Juris* enim *Italici*, præter eam quam dixi, immunitatem a tributis, partem quoque, ut antea diximus, constituebant varia circa quosdam actus aut contractus privilegia; uti in alienationibus, usucapionibus, annali exceptione, restitutione in integrum: in quibus Constantinopolis, ut olim, ita ea Valentis Constitutione, *juris Italici auxilio* eidem *renovato* deinceps frueretur.

Neque vero mirabitur quispiam, *immunitatem a tributis* seu ἀτέλειαν, vel illis Romanorum coloniis, de quibus agitur in Pandectarum lemmate de Censibus, a Romanis Principibus, pro earum merito ac fide, vel apud hosce, qua valebant, gratia, impertitam: aut eam postea, convulso imperii per tyrannos, & Barbarorum incursiones statu, ademptam: eandem vero Novæ Romæ seu Constantinopoli, a Valente Imperatore, singulari Regiæ urbis *prærogativa*, ut in eadem constitutione dicitur, renovatam. Colonias enim illas quod adtinet extra Italiam deductas, eas a persolvendis soli aut capitis, quæ ab Augusto constituta in provinciis fuerant, tributis haud fuisse immunes, nisi id singulari Principis beneficio ac indulgentia fuisset iis concessum, vel ex iisdem prisci Romanorum juris antistitibus, Paulo & Ulpiano, ut mox dicetur, constat. Immo prout jam ante apud Plinium, plu-

(s) Annot. ad Lib. VII. c. 9.

(t) Lib. VII. c. 9.

res

res in Hiſpania *(u)*, Illyrico *(x)*, & in Africa *(y)*, vel urbes & coloniæ, vel etiam populi, ſicut *Locri Ozolæ (z)*, *immunes* dicuntur; aut in priſcis quoque *Illicorum* in Hiſpania Tarraconenſi percuſſis ſub Auguſto ac Tiberio, & a Cl. Vaillantio *(a)* divulgatis jam nummis, iidem, quod de illis quoque tradiderat Plinius *(b)*, *immunes* deſignantur. Nempe præcipui cujuſdam beneficii loco habita olim hæc & de qua jam *(c)* ſupra egimus, *immunitas*: adeo ut vel ſociis ac fœderatis, aut ſubjectis alioquin gentibus vel civitatibus, libertas potius & αὐτονομία, ſeu ſui juris ſuarumque legum arbitrium, quam ejuſmodi ἀτέλεια concederetur. Ita olim e ſociis Athenienſium urbibus, quaſdam fuiſſe αὐτονόμους, ſed non αὐτοτελεῖς, *ſuis legibus utentes*, non autem *a tributis immunes*, docebit Thucydides *(d)*: qvi ibidem utrumque Delphis *(e)*, ab iiſdem Athenienſibus & Lacedæmoniis *(f)*; alibi vero, Peloponneſiorum urbibus, ex fœdere Lacedæmoniorum & Argivorum, relictum tradit, ut αὐτόνομοι nempe & αὐτοτελεῖς ſimul eſſent. Eadem ratione etiam a Romanis, cum ſociis aut redactis in eorum ditionem populis vel civitatibus actum eſt. Ita poſt bellum Antiochicum, quum illi Græcas αὐτονόμους in Aſia urbes, quod *(g)* antea vidimus declaraſſent; ita quæ ſingularem præ aliis eo bello fidem ſervaverant, ac nominatim *Colophonios*, *Cumæos*, *Mylaſſenſes*, *Clazomenios*, immunes in poſterum a tributis ſeu ἀφορολογήτους, ut ea de re Polybius *(h)*, ex legatorum ſententia, Romani decernunt. Quomodo iidem Græcis *Elateenſibus*

(u) L. III. Sect. 3. 4.
(x) Ibid. Sect. 25.
(y) L. V. Sect. 3.
(z) L. IV. Sect. 9.
(a) P. 54. & III. de Imp. Colon. T. I.
(b) L. III. Sect. IV.
(c) Pag. 312. 313.
(d) L. V. p. 356.
(e) Ibidem.
(f) P. 389.
(g) Pag. 312.
(h) Exc. Legat. XXXVI. p. 844.

Pho-

Phocensibus, quod se Mithridati non dediderant, præter eam, qua jam gaudebant, libertatem, immunem a tributis regionem possidere, ἀτελῆ νέμεσθαι τὴν χώραν, teste Pausania *(i)* concesserunt. Ita subactis *Illyriis*, de quibusdam eorum populis, qui de Romanis eo bello bene erant meriti, decretum refert Livius *(k)*, *NON SOLUM liberos, SED etiam IMMUNES esse Issenses, & Taulantios &c. quod incolumi Gentio ad Romanos defecissent; Deorsiis quoque IMMUNITATEM dare, quod relicto Caravantio cum armis ad Romanos transiissent.* Adde, *Iliensibus*, quasi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum, ut ea de re Tranquillus *(l)* sub Claudio remissa. Quum cæteroquin aliis devictis a se populis vel urbibus, libertas quidem ac αὐτονομία, non autem, (quod dicto jam loco adtigimus) *immunitas* data continuo a Romanis fuerit; aut imminuta subinde, non autem sublata omnino, quæ iidem populi deinceps Romanis penderent, tributa. Quomodo ii, de quibus modo, *Illyrii*, & *Macedones* itidem, subactis & captis eorum Regibus, memorato modo Gentio ac Perseo, *liberi* quidem & suis *utentes*, quod supra de Macedonibus e Livio vidimus, *legibus, ac annuos creantes magistratus*, e legatorum sententia declarati; sed ita *(m)*, *ut dimidium ejus, quod pependissent Regibus, pendere populo Romano*, juxta eundem Livium ac Diodorum *(n)* in Excerptis Valesianis, tenerentur: αὐτόδικοι proinde, ut Græci ea in re loquuntur, & αὐτόνομοι, non vero αὐτοτελεῖς. Qua ratione etiam Regibus, Dynastis, ac civitatibus liberis, tributa pro cujusque facultate, post Bruti & Cassii cladem, a M. Antonio imposita ex *(o)* Appiano itidem vidimus. Ut Judæos nunc mittam, quibus αὐτονομία quidem, seu pa-

(i) L. X. p. 677.
(k) L. XLV. c. 26.
(l) In Claud. c. 25.
(m) Livius L. XLV. c. 26. & 29.
(n) Pag. 317.
(o) Bell. Civ. L. V. p. 674.

triis

triis inſtitutis utendi libertas a Romanis, ut e Philone, Joſepho, ac aliunde conſtat, & ſupra jam adtigimus, eſt relicta; non vero *immunitas tributorum*, φόρων ἄφεσις, quam ſe non audere pro Hieroſolymitanis a Caligula petere aiebat, juxta Philonem (*p*), Rex Agrippa; poſtquam nempe Hieroſolymorum urbs Romanis ὑποτελὴς ſeu *tributaria*, ut ea de re Joſephus (*q*), evaſerat. Ita libertas ſine immunitate a tributis Bataneæ tractus prope Trachonitidem incolis a Romanis conceſſa apud eundem (*r*) Joſephum legitur.

Unde etiam inter illas colonias magno numero a Romanis extra Italiam in provinciis ſub Imperatoribus, vel paullo ante jam deductas, id diſcrimen quoque eſt obſervatum: ut ex iis aliæ, ſingulari quadam gratia vel ob eximiam earundem in Romanos fidem, aut ob privata in Principes merita, plenam a tributis immunitatem ſeu *juris Italici* beneficium ſint adeptæ; aliæ autem eo jure caruerint, conſueto tantum *coloniæ* nomine ac jure donatæ. Quod utrumque nobis adhuc ante oculos ponunt veteres Juriſconſulti in capite Digeſtorum de Cenſibus: ac prius quidem, ubi vel ab Ulpiano (*ſ*) *Berytenſis* in Phœnice *colonia, Auguſti beneficiis gratioſa*; aut in eadem provincia, *Tyriorum* (*t*) colonia, *ob egregiam in Rempublicam Imperiumque Romanum fidem*; aut *Heliopolitana* (*u*), *per belli civilis occaſionem*; aut *Laodicena* (*x*) colonia in Syria Cœle, *ob belli civilis merita, jus Italicum* ſeu *Italicæ coloniæ Rempublicam*, vel ab Auguſto, vel a Severo ac Antonino Caracalla, dicuntur habuiſſe: præter plures alias, quæ in Aſia, Proconſulari nempe, Piſidia, Cilicia, Bithynia, Ponto, Dacia, Macedonia, Gallia, Germania,

(*p*) Legat. ad Caium p. 1032.
(*q*) Antiq. L. X.
(*r*) Ibid. L. XVII. c. 11.
(*ſ*) Leg. I. Sect. D. de Cenſib.
(*t*) Ibid. ab initio.
(*u*) Ibid. Sect. 2.
(*x*) Ibid. Sect. 3.

Hiſpa-

Hispania, Lusitania, & alibi adhuc idem *jus Italicum* vel ab eodem Ulpiano, aut a Gaio (*y*), Celso (*z*), Paulo, (*a*), Imperatorum nempe concessione, dicuntur accepisse. Alterum vero coloniarum genus, quæ eo jure ut dixi, caruerint, haud obscure tangit ibidem Ulpianus (*b*), a quo *Ptolemensium colonia, quæ inter Phœnicen & Palæstinam sita est, NIHIL PRÆTER NOMEN COLONIÆ habere* ab eo traditur: aut in Palæstina, duas fuisse colonias *Cæsariensem* & *Capitolinam, sed NEUTRA JUS ITALICUM habet*: etsi de ea aliter, quod supra jam adtigi, (*c*) Paulus J. C. aut quomodo de Antiochensibus in Syria ait idem Paulus (*d*) *Divus Antoninus Antiochenses colonos fecit SALVIS TRIBUTIS*. Unde utique facile quivis adsequitur, cur Novæ Romæ, seu *Constantinopoli* memoratum supra *Italici juris auxilium*, sit eidem a Valente Imperatore *renovatum*; cujus etiam Principis præclara in eam urbem merita, ac nominatim in minuendis exactionibus ac tributis, prædicat alicubi Themistius (*e*). Adde, quod nec uno eodemque tempore, omnia Veteris Romæ πρεσβεῖα Novæ sint delata; aut vetera *Byzantii* jura & privilegia renovata eidem fuerint, vel in majus etiam aucta. Unde huic quidem Byzantio libertatem, juxta *Achaiam, Lyciam, Rhodum, Samum*, ut de iis supra, a Vespasiano ademptam tradunt Suetonius (*f*) & Eusebius in Chronico (*g*), quam tunc eidem mox sub Trajano restitutam, e Dionis Prusæensis Rhodiaca licet colligere; sed ita ut *libertate* tantum, citra *immunitatem a tributis*, juxta *Athenienses, Lacedæmonios, Mytilenæos*, qui ibi memorantur, gauderent *Byzantini*; de quibus nempe ait

(*y*) Ibid. Leg. VII.
(*z*) Ibid. Leg. VI.
(*a*) Ibid. Leg. VIII.
(*b*) Leg. I. Sect. 3.
(*c*) Ibid. Sect. 6.
(*d*) Leg. VII. Sect. 5.
(*e*) Orat. VII. p. 92. 93.
(*f*) In Claud. c. 8.
(*g*) Chron. Olymp. CCXIII.

ibi

ibi in genere Bithynius Orator, *(b)* τοῖς μὲν γὰρ μόνον ὑπάρχειν τὴν ἐλευθερίαν, *iis enim tantum libertatem supereſſe.* Severus autem capta, quæ pro Nigro ſteterat, Byzantio, libertatem non ſolum ac jus urbis, quod ſupra itidem vidimus, eidem ademiſſe; ſed eam inſuper *tributariam effeciſſe*, δασμοφόρον ἀποφῆναι, ab altero Dione *(i)* dicitur. Huic tamen urbi eundem Severum paullo poſt, Antonini Caracallæ interventu, *ſua jura vetera reſtituiſſe* refert Spartianus *(k)*, eamque denuo ab eo principe inſtauratam, Heſychius Mileſius *(l)* aliique, & quæ *Antoniniana* dein hujus nomine, Antonini Caracallæ, juxta eundem Heſychium, ſit appellata. Quum tamen ſub Gallieno *(m)*, ac dein ſub Claudio *(n)* vaſtata eadem *Byzantium* fuiſſet ac direpta; meliori dein fato, a Conſtantino & ſucceſſoribus, mutato veteri nomine, non antiquis ſolum veteris Byzantii juribus, ſed novis inſuper, & quæ eam Romæ etiam adæquarent, eſt macta. A quo autem Conſtantino, ut exiſtimat doctiſſimus Codicis Theodoſii interpres, an jam antea, eo *juris Italici auxilio*, ſeu a tributis immunitate, aliiſque adjunctis eidem juri, ut antea diximus, privilegiis, fuerit ornata; quæque eidem poſtea, ſicut in lege ab eo lata dicitur, renovaverit Valens, haud certo licet ſtatuere. Mitto cæteroquin illam a tributis immunitatem, privatis quoque præmii ſeu remunerationis loco, ſubinde a Romanis Principibus conceſſam: uti lege a Conſtantino lata, *(o)* qua accuſatoribus eorum, qui adulterinam monetam cudunt, immunitas: ac ſimiliter Gratiani conſtitutione, quæ ex parte in Codice Juſtinianeo,

(b) Orat. XXXI. p. 343.
(i) L. LXXIV. p. 847.
(k) In Caracalla c. 1.
(l) Rer. Conſtantinop. p. 29. ed. Reg.
(m) Trebell. Pollio in Gallien. c. 6.
(n) Idem in Claud. c. 9.
(o) Leg. II. C. Th. de Falſ. Monet.

integrior in Theodosiano legitur *(p)*, & qua sancitur, ut qui *desertorem servus prodiderit, libertate donetur; si medioeris loci ingenuus, IMMUNITATE potiatur.*

E quibus autem modo dictis id etiam abunde colligitur, illud *jus Italicum*, quo vel olim plures Romanorum coloniæ, vel dein ad earum exemplum, *Constantinopolis*, sunt a Romanis Principibus donatæ, diversum omnino fuisse a jure *veteris Latii*; neque istud in *Italici* nomen transiisse: quod utrumque tamen, nec uno loco, contendit, ut id in *(q)* priori Exercitatione jam vidimus, vir eruditione ac ingenio præstans. De qua re autem haud est una ei sententia; dum ad Plinium *(r)* ut id supra jam expendimus, jus illud Latii antiquum, quod dein toti Italiæ sit impertitum, & *Italicum* exin dictum, de eo interpretatur, quo Latinis a Romanis olim est concessum, ut in bello Romanis legionibus permixti militarent, & ibi magistratus ac honores possent adipisci, non autem Romæ. Post datam vero Latinis, & populis aliquot exteris civitatem, vocatum illud fuisse *jus civium Romanorum:* alterum vero longo post tempore universæ Italiæ datum, *Italicum* inde dici cœptum. Unde quum deducerentur postea a Romanis coloniæ, aliis *jus* illud *Italicum*; aliis vero *jus civium Romanorum* fuerit datum. In Antirrhetico *(s)* autem, Romanorum colonias duorum itidem generum fuisse docet: alias, quæ jure civium Romanorum donabantur: alias, quæ jure antiquo Latii gauderent, quod & *Italicum* postea dictum sit, cum nempe universæ Italiæ illud fuit impertitum, ubi vectigal sustulit Augustus, quod Itali, sicut reliquæ provinciæ, ante ejus principatum persolverent. Unde quibus coloniis denegata fuit immuni-

(p) Leg. IV. C. Th. & Leg. II. C. Just. de Desertor.
(q) Pag. 74. &c.
(r) Harduin. Not. & Emend. ad Plin. L. III. p. 389. T, I.
(s) Pag. 135.

tas,

tas, iis *jus Italicum* denegatum dicatur a Juriſconſultis, Celſo, Caio, Paulo, Ulpiano, Titulo Digeſt. de Cenſibus. Quomodo etiam natum ſit, ut ſtatuit ibidem vir eruditus, illud inter colonias diſcrimen: ut nempe *coloniæ Romanæ* dicerentur, ſeu quæ jus haberent Romanorum civium, hoc eſt, quarum coloniarum civibus, perinde ac Romanis ipſis, in Urbe petere ac gerere magiſtratus licuit; quo autem, quæ *Italico* tantum *jure* in provinciis urbes vel coloniæ donabantur, omnino caruerint, quibuſque pro *jure veteris Latii,* licuerit duntaxat in bello cum Romanis legionibus militare, ibique honoribus & magiſtratibus fungi. Hujus vero inter utriuſque illius generis colonias diſcriminis, etiamnum exſtare manifeſta in earum nummis, quod ille primus obſervarit, ſymbola exiſtimat. Quæ enim coloniæ vel municipia lupam habeant cum Romulo & Remo inſculptam, has eſſe *colonias Romanas,* ſeu, ut eas Plinius vocat, *municipia civium Romanorum,* quæ eo, quo dixi, jure petendi & gerendi in Urbe magiſtratus gauderent. Quæ vero coloniæ, aut aliæ urbes, inſigne illud non haberent, aut in quarum nummis legio ſubinde notata demum foret, aut alibi ſculpta fuerit ſus fœta; eas *jure Italico* tantum uſas, ſeu *Latinæ conditionis colonias* debere demum intelligi. Quæ autem, quod citra ullam viri, cujus cæteroquin ingenium colimus, contumeliam, dicere nobis liceat, valde ſunt aliena vel infirma, uti id obiter ad Julianum nuper adtigimus: hic autem paullo accuratius, quod argumenti, in quo nunc verſamur, tractatio, id a nobis omnino exigat, eſt declarandum. Ac primo equidem illud eſt tenendum, *jus Italicum* nuſpiam de *jure Latii antiquo,* a priſcis Auctoribus, aut in aliis veterum monumentis intelligi: aut iſtud, quod utrumque tamen vir ille eruditus contendit, in *Italicum* exin dictum, vel poſt civitatem Latio impertitam, vel poſt ſublatum ab Auguſto Italiæ vectigal, tranſiiſſe. Conſtat enim poſt datam toti Latio, quæ jam in priori Exerci-

ercitatione expendimus, civitatem, eandem brevi cum universa quoque Italia fuisse communicatam: ut proinde *jus Italicum* de illo antiquo *Latii jure* dici inde neutiquam potuerit. Immo post immunitatem, non a vectigalibus quidem in genere, sed a tributis in agros, aut in capita, quæ in provinciis indixerat Augustus, Italiæ concessam; ac inde, ut vere & erudite primus observavit Sigonius (t), *juris Italici* nomine appellatam, sub sequutis Imperatoribus, servata adhuc *juris Latii veteris* seu *Latini*, & *juris* illius *Italici* distinctio legitur; nec istud de altero unquam dictum. Quod utique certum ac indubitatum reddunt cum adlata supra ex utroque Plinio (u), Gellio (x), Spartiano (y), *Latinorum veterum*, vel *Latinæ coloniæ*, Vespasiani, ac infra eundem, ætate nomenclatio, ut, quod (z) *Latium multis civitatibus* dedisse Hadrianus dicitur: tum nominatim ubi utriusque *Latini* & *Italici*, tanquam diversi juris meminit Plinius. Sicut alibi in describenda Hispania (a): *Ex colonia Accitana Gemellenses & Libisosona cognomine Foroaugustana, quibus duabus JUS ITALIÆ datum: ex colonia Salariense oppidani LATII VETERIS Castulonenses.* Item alibi de Scardonitarum in Illyrico conventu (b): *JUS ITALICUM habent eo conventu, Alutæ, Flanates, a quibus Sinus nominatur, Lopsi, Varubarini, IMMUNESQUE Assesiates, & ex insulis Fulfinates, Curictæ.* Secundo, longe etiam diversam exstitisse utriusque juris rationem: dum illius seu *veteris Latii* beneficium in eo potissimum esset situm, quod per gestos in patria magistratus, ut id supra expendimus, daretur ad Romanam civitatem & honores in ea gerendos aditus: *jus Italicum*

(t) De Ant. Jur. Ital. L. I. c. 21.
(u) Plinius Major L. III. c. 9. Plinius Jun. Paneg. c. 37.
(x) L. XIV. c. 13.
(y) In Hadriano cap. 21.
(z) Ibidem.
(a) L. III. c. 3.
(b) L. III. c. 21.

autem

autem ſub Romanis Principibus, & inde ab Auguſto, in immunitate, ut diximus, a tributo ſoli & capitis præcipue verſaretur, ac præterea in aliis quibuſdam commemoratis paullo ante actibus. Unde eædem coloniæ *immunes* ſubinde a Plinio dictæ, ut paullo ante (*c*), in Illyrico *immunes Aſſeſiates*. alibi de Hiſpalenſi in Hiſpania conventu (*d*): *Hujus conventus ſunt reliquæ coloniæ IMMUNES : Tucci* nempe: ſeu *Auguſta Gemella : Itucci, quæ Virtus Julia : Altubi, quæ Claritas Julia : Urſo, quæ Genua Urbanorum & Munda*. Tertio, poſtquam Antonini Caracallæ conſtitutione, omnes, quod ait Ulpianus, in Orbe Romano cives Romani ſunt effecti, ſublatum continuo intelligitur *jus* illud *Latii*, quo gaudebant prius variæ gentes vel urbes; & quo militare in Romana legione, ac in ea honores adipiſci poterant; tum etiam quo ad civitatem Romanam patebat demum, ut modo diximus, earundem incolis ſeu civibus via: ac unde poſtea deſiit, quæ toties apud Plinium, quod antea vidimus, occurrit, inter *oppida Latina*, ſeu *Latii veteris*, vel *Latinæ conditionis*, & inter *oppida* vel *municipia civium Romanorum* diſtinctio. Neque enim qui *Latini* dein vocantur in libris juris Romanorum civilis, aut *Latinæ conditionis* alii, ut vel juris tironibus notum, & jam in (*e*) priori Exercitatione vidimus, quam *liberti* exſtiterunt, quorum gradus lege Junia Norbana leguntur inducti, & *Latini Juniani* inde ad diſcrimen *colonariorum* appellati. Unde etiam de *libertorum*, qui e civibus Romanis *Latini* facti fuerant, hereditate exſtat, quod ſupra quoque expendimus, Conſtantini in Codice Theodoſiano conſtitutio (*f*); ac alia tandem in Juſtinianeo (*g*) ab eo Principe lata, de ea *Latinitate* ſeu *Latina Libertate Tollenda*; in qua poſtrema & cujus prio-

(*c*) Ibidem.
(*d*) L. III. c. 3.
(*e*) Cap. VIII. p. 65. &c.
(*f*) Leg. I. C. Th. de Hered. Petit.
(*g*) L. VII. Tit. VI. Cod. Juſt.

ra

ra verba ſunt etiam a nobis adducta, id inter alia de eadem horum *Latinorum libertorum* appellatione, & ejuſdem tollendæ cauſſis dicitur: *Cum enim Latini liberti, ad ſimilitudinem ANTIQUÆ LATINITATIS, quæ in coloniis miſſa eſt, videntur eſſe introducti, ex qua nihil aliud Reipublicæ niſi bellum acceſſit civile: ſatis abſurdum eſt, ipſa origine rei ſublata, ejus imaginem derelinqui:* Inter quos autem *Latinos Junianos*, & *antiquos*, ut hic vocantur, *Latinitatis* colonos, ſeu ut ii in Ulpiani & alterius veteris Juriſconſulti (*h*) Fragmentis dicuntur, *Latinos colonarios*, diſcrimen non denuo hic tangam; de quo itidem ſupra jam actum eſt. Quod vero illud diſcrimen ſtatuit, ut paullo ante diximus, vir eruditus inter Romanas colonias, ſeu quæ jus haberent civium Romanorum (*i*) hoc eſt, gerendi in Urbe magiſtratus; & colonias, quæ tantum haberent *jus Italicum*, ſeu *vetus Latium*, hoc eſt, quibus in legione quidem militare, & in ea tantum honores, non vero Romæ adipiſci licuit, id haud minus e veterum monumentis, iiſque quæ jam ante ſunt a nobis monita, abunde refellitur. Neque enim Romanæ coloniæ, quod in prima Exercitatione oſtendimus, jus illud habebant, honores in Urbe capiendi, ſed municipia, quæ inde *oppida civium Romanorum* a Plinio haud ſemel appellantur: neque *coloniæ juris Italici*, & quarum fit a veteribus Juriſconſultis in Digeſtis (*k*) mentio, eædem cum *Latinis*, ſeu quibus *jus Latii vetus* fuit indultum, coloniis: ſed quæ immunitate a tributo ſoli & capitis gaudebant, ac inde *immunes* etiam a Paulo J. C. (*l*) ſicut a Plinio non ſemel, ut jam vidimus, appellantur. Neque vero inde minus priores *Romanæ coloniæ*, infra harum conditionem

(*h*) Fragm. Tit. XIX. S. 4.
(*i*) Hard. Antirrh. p. 1. 26.
(*k*) Leg. I. Sect. 2. 3. 4. 5. 6. 8. Leg. VI. VII. VIII. Sect. 1. 2. &c. D. de Cenſib.
(*l*) Ibid. Leg. VIII. S. 7.

ſunt

ſunt habitæ; immo quæ præ aliis coloniis jure Italico deſtitutis, eo inſigni immunitatis ſeu *Italici juris*, quod præterea in actibus quibuſdam, ut ſupra vidimus, erat ſitum, *auxilio* vel *prærogativa*, uti de eo jure dicitur in Valentis (*m*) ac Theodoſii (*n*) junioris Conſtitutionibus, fruebantur. Unde etiam *Berytus* tanquam *juris Italici* colonia, cum *Troade* & *Dyrrachio*, a Gaio J. C. (*o*) conjungitur: inter quam tamen *Berytum* ac *Troada* hoc diſcrimen ſtatuit vir eruditiſſimus, ut hæc foret Romanorum civium colonia, ac inde lupam cum gemellis haberet in nummis inſculptum; non item *Berytus*. Quamquam iſtud *Romanæ* ſeu *Romanorum civium coloniæ* ſymbolum quod adtinet; & quidem ut cenſet vir eruditus (*p*), ad diſcrimen earum *coloniarum*, quæ *Italicæ* tantum forent, & quarum inſigne eſſet ſus fœta; id vel e modo dictis abunde convellitur, quæ vel jus illud adipiſcendorum Romæ honorum, ante civitatem omnibus in Orbe Romano datam, prioribus adimunt; vel eas urbes aut colonias, quæ *Italicum jus* habuerint ſub Romanis Principibus, & quarum ſit a priſcis Juriſconſultis in capite Digeſtorum de Cenſibus, aut alibi mentio, optima egiſſe conditione, ac prout de *Beryto* nominatim dicitur (*q*) *Auguſti beneficiis gratioſa*, abunde conteſtantur. Adeo ut ſculpta in aliquot coloniarum nummis, ſicut quas ille ibi tangit, *Damaſcenæ*, *Antiochenſis Piſidicæ*, *Philippenſis* Macedonicæ; aut aliarum inſuper, ſicut *Patrenſis* in Achaia; *Germenorum* Galatiæ; *Deulti* in Thracia; *Carthaginienſis* & *Hipponenſis* in Africa, lupa cum gemellis Romulo & Remo, Romanæ quidem ſeu deductæ a Romanis coloniæ ſymbolum vel inſigne arguunt: ſed ita ut nihil inde præ aliis coloniis *juris Ita-*

(*m*) Leg. XIV. C.Th. de Jur. Ital. Urb. Conſtantinop.

(*n*) Leg. VII. C. Juſt. de Privil. Urb. Conſtantinop.

(*o*) Leg. VII. D. de Cenſib.

(*p*) Harduin. Antirrhet. p. 136.

(*q*) Leg. I. Sect. I. D. de Cenſib.

lici

lici, seu, quod idem vir eruditus contendit, *Latii veteris*, quæ eo carent symbolo in reliquis hodie earundem nummis, eximium quid aut præcipuum notent. Præterquam enim, quod e residuis adhuc veterum id genus coloniarum nummis, de iis, qui tanto majori numero, & quorum ea pars sit utique valde, ut cum Plauto loquar, minutula, qui non exstant amplius, & adhuc in terræ loculis seu visceribus delitescunt, nihil certo statuere liceat; præter id, inquam, non unum illud lupæ cum gemellis, sed alia insuper coloniarum id genus Romanarum symbola vel insignia occurrunt passim & promiscue in earum nummis; ut coloni cum jugo boum; aut pascentis bovis; aut etiam legionis seu aquilæ legionariæ inter duo signa militaria, quo militaris seu deducta a veteranis colonia designatur. Quæ vero lupa cum gemellis, ad denotandam coloniæ originem, seu ejus, ut veteres loquebantur, & prisco quidem, quem alibi illustramus, coloniarum more, metropolim; non vero ad quodpiam earum jus peculiare præ aliis Romanorum coloniis, & insignem quandam *prærogativam* declarandam, in earum nummis subinde est insculpta: ac prout alioquin in ipsius Romæ, cujus habitum describit Claudianus, clypeo, eadem cælata dicitur (r): *Fingunt æra lupam.* Quomodo etiam Antiochiæ ad Orontem, seu in ea Syriæ vel Orientis metropoli, a Tiberio supra portam urbis Orientalem, & postea a Trajano supra portam mediam a se exstructam, lupa cam gemellis sculpta apud (ſ) Jo. Malelam legitur: idque haud alium, ut ex eodem liquet, in finem, quam ut scirent posteri, ὅτι Ρωμαίων ἐςὶ τὸ κτίσμα, *quod Romanorum esset opus.* Certe eadem *Antiochia* necdum, ut ex plurimis ejusdem nummis constat, sub Tiberio, aut vero sub Trajano, colonia Romanorum evaserat: quod

(r) In Prob. & Olyb. Cons. v. 99.

(ſ) Chronogr. p. 303. 360.

sub

ſub Antonino Caracalla primum contigiſſe docet Paulus J. C. loco ante jam adducto *(t)*, *Divus Antoninus Antiochenſes colonos fecit, ſalvis tributis;* & comprobant veteres eorum, cujuſmodi plures exſtant in Theſauris Gallorum Regiis ac Mediceis, Caracallæ primum ac aliorum dein aliquot Imperatorum vel Auguſtarum, Elagabali, Juliæ Mammææ, Alexandri Severi, & plurium adhuc nummi, in quibus utraque ΜΗΤΡΟΠΟΛ. *Metropoleos* & *Coloniæ*, ſicut in aliis ſubinde ejuſdem Syriæ, Phœniciæ, aut Meſopotamiæ, uti *Damaſci*, *Emiſæ*, *Sydonis*, *Tyri*, *Carrarum*, ut de aliis nunc ſileam, nummis, prærogativa eidem *Antiochiæ* tribuitur. Quo loco illud obiter monere lectorem liceat, in editis nuper meis ad Julianum Obſervationibus, ſeu in eorum addendis *(u)*, ubi hujus loci e Malelæ Chronico modo adducto facta eſt a me mentio, male ibidem legi, ubi de eadem agitur Antiochia, *nuſquam inter Romanorum colonias*, pro *necdum inter Romanas colonias*, amanuenſis incuria, cujus & quarundam adhuc mendarum ab operis commiſſarum addendus pro more in fine operis elenchus, bibliopolæ, ob vertentes tum Lipſienſes nundinas, præpropera feſtinatione eſt omiſſus. Id enim præter memoratum modo Pauli J. C. ea de re teſtimonium, de eadem urbe *Antiochia*, eaque Romanorum *Metropoli* & *Colonia*, in dictis modo ejus nummis, quos in præclaris Italiæ cimeliarchiis videram, & qualem etiam Clar. Triſtanus *(x)* jam vulgaverat, inſculpta, alibi pridem *(y)* a me erat obſervatum. Cujuſmodi plures dein nummos, eoſque inſignes, ſub Caracalla primum, ac dein ſub aliis Romanis Principibus cuſos, in Gaza Gallorum Regia verſare haud ſemel mihi licuit.

(t) Leg. VIII. S. 5. D. de Cenſib.

(u) Pag. 310.

(x) Comm. T. II. pag. 398.

(y) Diſſ. de Præſt. Num. pag. 57.

CAPUT XX.

Jus suffragiorum & honorum Romæ adipiscendorum, *post Antoninianam constitutionem, omnibus in Orbe Romano concessum. Juliani Imp. ea de re verba. De* suffragiorum jure *in creandis Magistratibus a Populo Rom. ad Imperatores translato. De Consulibus a solo Principe;* Prætoribus *a Senatu, usque ad Leonis Imp. tempora creari solitis. Plinii junioris de prensatione candidatorum, & Modestini de sublata lege Ambitus loca adducta. Quo sensu a Tertulliano facta* ambitus *in capessendis Magistratibus, aut alibi de* campo *&* cancellis *mentio. Qualia fuerunt* comitia, *quorum sub Cæsaribus fit a Suetonio, vel a Tacito mentio; & quorum, ac Dionis Cassii, eam in rem loca expensa & vindicata. De priscis* nundinis *ea occasione itidem ab Alexandro Severo revocatis; & ab eodem, ac a Tacito communicata cum Senatu, aut ei relicta creandorum Consulum potestas.* Consules peregrini *jam olim & provinciales, sed prius civitate donati, ante Antoninianam constitutionem, ut Cornelius Balbus, Hero-*

Herodes Atticus. Imperatores nati Hispanis parentibus, seu alienigenæ *etiam &* Barbari. Barbari *itidem, aut* Barbaris orti *Magistratuum & Palatinarum dignitatum participes; immo etiam* Consules, *sub Constantino, Juliano, Theodosio Magno, ac filiis Arcadio & Honorio. Ammiani Marcellini, Synesii, Codicis Theodosiani, ea de re testimonia, & quæ inde damna in Imperium Romanorum profluxerint.*

QUemadmodum vero illa Antoniniana constitutione, qua omnibus in Orbe Romano ingenuis civitas est impertita, factum hactenus vidimus; ut Roma dein *communis* omnium *patria*, & *legum mater* ac *parens* evaserit; & *Romani* dein de omnibus Romano imperio subjectis dicti sint, iisque qui Romanis ferme legibus essent inde obstricti; manente tamen suarum adhuc legum seu *autonomiæ* apud gentes quasdam aut civitates libertate; tum *juris Italici*, quo variæ de Romano imperio aut Imperatore bene meritæ urbes vel coloniæ gauderent, beneficio: ita jus inde suffragiorum, si quæ adhuc essent, & honorum Romæ adipiscendorum, in quo præcipuum jus Romanorum civium versabatur, eadem Antonini Caracallæ constitutione cuivis in Orbe Romano concessum, licet quoque statuere. Adeo ut haud opus esset amplius per *Latinitatem* seu magistratus in patria gestos, aut jure municipii, vel singulari quopiam Imperatoris munere seu rescripto, quo natalium vel originis defectus tolleretur, ad supremos in Urbe vel in provinciis Romanorum magistratuum honores, immo ad ipsum Im-

peratoris faſtigium, tendere, vel etiam evehi. Obſervat id utique eo loco, quem antea adduxi, & qui nobis hujus commentationis fundus exſtitit, & occaſionem quod in ejus limine adtigi, præbuit, Julianus Imperator: ubi de Roma, quæ ſe Conſtantii, etſi alibi nati, patriam venditaret, quæque ei imperium detuliſſet, addit *(a)*, eam non communibus quidem, quæ de omnibus Imperatoribus uſurpari cæteroquin ſolent, juribus ea in re niti: quod nempe, *etſi ALIUNDE II SINT ORTI, tanquam CIVITATIS ac REIPUBLICÆ PARTICIPES, & qui editis illinc moribus ac inſtitutis utantur, pro CIVIBUS ſint habendi:* ὅτι ΚΑΝ ΑΛΛΑΧΟΘΕΝ ΤΥΓΧΑΝΩΣΙ, ΤΩ ΜΕΤΕΧΕΙΝ ΑΠΑΝΤΑΣ ΗΔΗ ΤΟΥ ΠΟΛΙΤΕΥΜΑΤΟΣ *καὶ τοῖς ἐκεῖθεν ἡμῖν καταδειχθεῖσιν ἔθεσι καὶ νόμοις χρῆσθαι,* ΠΟΛΙΤΑΙ *γεγόνασι.*

Illud equidem e rerum Romanarum ſcriptoribus vulgo conſtat, poſt delatam ad unius arbitrium Rempublicam, imminuta primum ſub Julio & *(b)* Auguſto (quamquam priſtinum comitiorum morem ab eodem Auguſto reductum, ac *multiplici* etiam *pœna coercito ambitu*, tradat alibi *(c)* Suetonius) dein ſub Tiberio *(d)* adempta fuiſſe populo ſuffragiorum jura, eorumque jus omne ad Principem ac ad Senatum traductum, ſeu, ut ea de re Tacitus; *(e) tunc primum e campo comitia ad Patres tranſlata ſunt.* Eadem autem populo a Caio reddita refert *(f)* Dio; Suetonius *(g)* vero, id ab eo *tentatum*: certe quod ab eo omiſſum, nec ſub ejus ſucceſſoribus valuiſſe, jam eſt a *(h)* viris doctis obſervatum, Adeo ut penes unum Principem, qui nomina ſupremorum magiſtratuum in Senatu, ad lubitum ederet, nullis ea in re partibus relictis

(a) Orat. I. pag. 5.
(b) Suetonius in Auguſto c. 20. Dio L. LIV. p. 511.
(c) Ibidem c. 40. & 56.
(d) Dio L. LVIII. p. 633. 634.
(e) Annal. L. I. c. 15.
(f) L. LIX. p. 648.
(g) In Caligula c. 16.
(h) Vid. Lipſ. Excurſ. ad Tacit. A. I. c. 15.

popu-

populi suffragiis, nonnulla vero, uti mox dicetur, Senatui, omnis ea potestas deinceps remanserit. Quod aperte etiam, & inde sublatas de ambitu candidatorum, in prensandis populi suffragiis, leges docet Modestinus: *(i) Hæc lex (* de Ambitu *) in urbe hodie cessat, quia AD CURAM PRINCIPIS MAGISTRATUUM CREATIO pertinet, non ad populi favorem :* nempe juxta notum illud Juvenalis : *(k)*

jam pridem ex quo SUFFRAGIA NULLI
VENDIMUS, effugit curas : nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, nomina, nunc se
Continet : atque duas tantum res anxius optat,
Panem & Circenses.

Quamquam Trajani adhuc ævo remansisse penes Senatum Magistratus creandi facultatem, ac inde veterem Candidatorum in prensandis non Populi quidem, sed Senatorum suffragiis, morem; eum vero latis tum primum per tabellas suffragiis abolitum, docet in *(l)* Epistolis Plinius. Quod tamen illo ævo, aut sequentibus adhuc ætatibus, jus Senatorum in creandis Magistratibus, non de *Consulibus*, sed de hisce qui erant iis inferiores, censendum est: quos, scilicet Consules, & quidem subinde in plures annos, ut de Vitellio *(m)* Suetonius, creandi arbitrium, penes unum Cæsarem fuisse sat constat. Equidem *Prætorum* creationem cum antea, tum adhuc sub Imperatoribus sequioris ævi, penes Senatum remansisse, liquet ex eorum Constitutionibus, quæ comparent etiamnum in *(n)* utroque Codice : donec Leonis Impe-

(i) Leg. VII. D. Ad Leg. Jul. D. Ambitu.
(k) Satyr. X. v.
(l) Lib. IV. Ep. 20.
(m) In Vitell. c. XI.
(n) Leg. XIII. XXVI. XXVII. Cod. Th. de Off. Præt. Leg. II. Cod. Just. Eodem.

ratoritor-

ratoris constitutione id est quoque abolitum: (o) *Quum enim*, ut ibidem dicitur, *cuncta in Principis deliberationem non caderent, sed nonnulla essent, de quibus dispicere & jubere, SENATUS OFFICIUM esset, ea ab illo etiam proferebantur: PRÆTORES itaque TRES numero in urbe rebus administrandis AB EO PRÆFICIEBANTUR, isque actus sanctione legis procedebat*: mox: *Nunc autem quum omnia A PRINCIPALI CURA PENDEANT. Deoque opitulante &c. hanc etiam legem esse ejiciendam statuimus.* Quamquam, ut hoc addam, veterem in Urbe candidatorum morem, prensandi quibusvis artibus & suffragiis populi favorem seu suffragia, & ad quem coercendum latæ sunt de Ambitu lex Julia aliæve, tanquam adhuc suo ævo frequentatum, tangit alicubi, ut videtur, ejusdem ætatis Scriptor Tertullianus (p). *Sed enim illos, qui AMBITUS obeunt, CAPESSENDI MAGISTRATUS, neque pudet, neque piget incommodis animi & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumeliis omnibus exili in caussa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? quæ non atria nocturnis & crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes; nullis conviviis, nullis comessationibus congreges, sed exules a libertatis & lætitiæ felicitate, idque totum propter unius anni volaticum gaudium.* Verum quibus verbis, non ad receptum adhuc ea ætate candidatorum in ambiendis populi seu plebis Romanæ suffragiis, qui pridem desierat, morem respici statuendum est; sed ad similes in aliis & majoris quidem dignationis urbibus, qualis erat, ut antea vidimus, Carthago, eorum civium artes & ambitus, qui principem in iisdem civitatibus locum, seu Duumviratum aliumve quempiam magistratum sibi deferri optabant. Duumviratum enim fuisse annuum in urbibus id genus, sive coloniis, sive quæ generali tum *municipii* nomine dicebantur, oppidis

(o) Constitut. XLVII. (p) De Pœnitent. c. 12.

eum-

eumque curialibus seu decurionibus, ut id in quadam Diocletiani (q) constitutione dicitur, *solemniter convocatis nominatim* collatum, aliunde constat. Unde alibi a Valentiniano & Theodosio cautum legitur: (r) *Decurio fortunam, quam nascendo meruit SUFFRAGIO atque AMBITIONE non mutet.* Ut hoc, & opportune adhuc addam, quod alio loco idem Carthaginiensis presbyter, non ad antiqua illa Romanorum comitia, aut ambiendi in iisdem magistratus, consuetudinem, ut ex ejus ea de re verbis continuo liceret statuere, adlusit; sed ad advocatorum seu caussidicorum morem, qui in foro & ad ejus canales, erant assidui, ut vere eadem verba ibi interpretatur ὁ πάνυ, (s): *Ego,* inquit, *nihil foro, nihil CAMPO, nihil curiæ debeo; nulli officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo, canales non ordino, CANCELLOS non adoro, subsellia non contundo.* Cui cæteroquin ignota vel in Campo Martio habita de creandis magistratibus comitia? ac in iisdem cum cancellis suis septa? de quibus tamen non est hic Tertulliano sermo. *Comitiorum* quidem retentum in Urbe, post sublatum ibi creandorum magistratuum populi suffragiis morem, non nomen solum legimus; sed eadem etiam de die seu actu intelligi, quo designati a Principe Consules, aut quo alii magistratus ab eo, seu id eodem, uti a Tiberio factum tradit Dio (t), concedente, a Senatu, aut alioquin forte electi, in campum Martium cum necessariis prodeuntes, coram populo ibidem more veteri congregato, pronuntiari a præcone consueverant. Cujus utique ritus, & qui sua adhuc ætate obtineret, auctor nobis luculentus & Consularis Dio Cocceianus: nempe qui, quum de perpetuo Tiberii instituto in creandis Consulibus, aliisve, eo quem

(q) Leg. II. Cod. de Decurion.

(r) Leg. XLI. Cod. Eodem.

(s) De Pallio c. 8.

(t) L. VIII. p. 934.

dixi,

dixi, modo, magistratibus egisset, addit : Καὶ μετὰ τοῦτο ἔς τε τὸν δῆμον καὶ ἐς τὸ πλῆθος αὐτοὶ καὶ οἱ προσήκοντες ἑκατέρῳ, τῆς ἀρχαίας ὁσίας ἕνεκα, ΚΑΘΑΠΕΡ ΚΑΙ ΝΥΝ, ὥστε ἐν εἰκόνι δοκεῖν γίγνεσθαι, εἰσιόντες ἀπεδείκνυντο. *Deinde ad populum & plebem, hi suis quique cum necessariis dicis caussa, SICUTI NUNC ETIAM, ut imago quædam prisci moris exhiberi videretur, prodeuntes renunciabantur.* Unde explicanda veniunt Suetonii & aliorum Historiæ Augustæ Scriptorum loca, ut in Vitellio (u) : *Comitia in* X. *annos ordinavit, seque perpetuum Consulum* : aut ubi nominatim de *Comitiis consularibus* fit mentio, uti ab eodem Tranquillo in Vespasiano (x) *Comitia secundi Consulatus, ineunte Galba*; aut in Domitiano (y), ubi Flavium Sabinum Patroclem ab eo interemptum docet, *quod eum COMITIORUM CONSULARIUM die DESTINATUM, perperam præco non Consulem ad populum, sed Imperatorem* pronunciasset. Neque vero inde seu ob factam *comitiorum* post Tiberii tempora, a Romanis Scriptoribus mentionem perperam, seu *contra omnium historicorum sententiam* dixisse Tacitus, ut a Robortello (z) factum video, censendus est, quod sub eo Principe *primum e Campo Comitia ad Patres translata* tradiderit. Id enim vere a Tacito dictum liquet ; quum a Tiberio sublata omnis populi suffragiorum, seu consules aliosque magistratus, solemnibus eam in rem comitiis, in campo creandi facultas, ut paullo ante diximus, fuerit. Neque ab eo recedit in adductis locis Suetonius, ubi in vitis Augustorum post Tiberium, *comitiorum* & quidem *consularium* fit ab eo, ut modo vidimus, mentio : nempe quibus designatos a Principe consules aliosve magistratus, præco, adstanti in campo populo, ac ad imaginem veterum, ut ea de re Dio, comitiorum pronuntiabat. Ut mittam, quod

(u) Cap. XI.
(x) Cap. V.
(y) Cap. X.
(z) De Magistrat.Impp. p. 41. T. III. Thes.Antiq.Rom.

ad

ad comitia magistratuum referri non debuerit a Robortello, Capitolini de M. Antonini locus *(a)*, quo ille *comitiis usque ad noctem frequenter interfuisse* dicitur: ubi non de comitiis populi ad creandos magistratus in campo Martio, sed de judiciis, quæ in foro aut comitio ederentur, ibi agi, e simili Dionis de hoc Principe loco, vere monuit ad ea Capitolini verba Casaubonus. Quod vero idem ὁ πάνυ alibi ad Lampridium *(b)* observat, quod creationem consulum veteres, *comitia consularia* dixerint; sublatis vero comitiis, dici cœperit, ut apud Suetonium & apud alios, *ordinatio consulum*, id caute debet intelligi: quum idem Suetonius utrumque loco paullo ante adducto de Vitellio dixerit, *comitia in decem annos ordinavit consulum:* nempe quibus tam eorum creatio, quam in populi comitiis facienda, pro more jam indicato, a præcone eorundem proclamatio seu renuntiatio designatur. Unde factum etiam videas, ut *nundina* seu *nundinia* in ordinatione Consulum, repetito itidem e veteri Republica more, instituerint aut revocarint subinde Imperatores, ut Alexander Severus, de quo mox; aut vero Senatus, semestris illius interregni tempore, ab Aureliani obitu ad Taciti principatum. Factum id vero, dum a civilis moderatique animi Principibus, illa ad unum ejus arbitrium Consules creandi potestas interdum cum Senatu communicata legitur; & ex ejusdem suffragiis ii dein a Principe renuntiati. Quod utique de Alexandro Severo tradit Lampridius: *(c) CONSULES, quoscumque vel ordinarios, vel suffectos creavit, EX SENATUS SENTENTIA nominavit, sumptus eorum contrahens; & NVNDINA VETERA ex more instituit:* immo quod etiam in Senatoribus faciendis ab illo Principe observatum idem refert: *ita ut per sententias omnium* (nempe Senatorum) *crearentur.* Illud ve-

(a) In M. Antonino cap. 10.
(b) In Alex. Severo cap. 28.
(c) Cap. XIII.

ro magis adhuc singulare, quod de Tacito Imperatore tradit Vopiscus; eum *(d)* fratri suo Consulatum a Senatu petiisse, & non impetrasse; & quidem *quod jam Senatus omnia NUNDINA suffectorum Consulum clauserat*, dicti nempe semestris illius interregni tempore, quo *(e) dandi jus imperii, appellandi Principis, nuncupandi Augusti*, ad eundem Senatum rediisse Patres illi conscripti gloriabantur. Neque tamen ea Senatus repulsa offensus idem Tacitus; immo auctore eodem Vopisco, *(f) dicitur multum lætatus Senatus libertate, quod ei negatus est Consulatus, quem fratri petierat.* Id alioquin in ea ordinatione Consulum sub Imperatoribus Senatui duntaxat relictum, ex Valeriani Imp. ea de re ad Aurelianum adhuc privatum litteris discimus, ut designati a Principe Consules, illius dignitatis insignia, scipionem nempe eburneum & fasces, non ab Imperatore, sed a Senatu, quin ipse etiam Princeps Consul factus, acciperent: *(g) nam te Consulem hodie designo, scripturus ad Senatum, ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim* (seu postrema hæc sint ipsius Imperatore Valeriani, aut potius e margine in contextum, juxta Casaubonum, irrepserint) *non Imperator solet dare, sed a Senatu, quando fit Consul, accipere.* Et scipionem quidem quod adtinet, inter Consulatus insignia relatum quoque illum, ut alios mittam, juxta trabeas & fastorum monumenta, ab *(h)* Ammiano Marcellino, ac in nummis, qui processus Consulares consignant, cum insidente eidem aquila conspicuum, videas: quem olim etiam ad amicos & socios Reges, libera Republica, a Senatu mitti itidem solitum, e variis Livii locis constat. Illa autem Consulem creandi potestas, ita penes Principem, & individue quidem, mansit, ut soli etiam primi fastigii com-

(d) In Tacito c. IX.
(e) In Floriano c. V.
(f) In Tacito c. IX.
(g) Vopiscus in Aureliano c. XIII.
(h) Lib. XXIX. c. 2.

potas

potes seu Augusti, non vero secundi consortes seu Cæsares, quod utique obvium ex Annalibus & fastis eorum & superiorum temporum, eam sibi perpetuo reservarint. Nullas autem, quod ante vidimus, Populo Romano in creandis magistratibus, ferendisve per tribus & centurias suffragia, partes relictas sub Romanis Principibus, luculentus insuper testis Ammianus Marcellinus, ubi postquam de urbe Roma dixerat, quod eadem (*i*) *Cæsaribus tanquam liberis suis regenda patrimonii jura permisit*: addit continuo, *& olim licet otiosæ sint tribus, pacatæque centuriæ, & nulla suffragiorum certamina, sed Pompiliana redierit securitas temporis: per omnes tamen quotquot sunt partes terrarum, ut domina suscipitur & regina.*

Factum vero, ut post Antoninianam constitutionem, qua omnes in orbe Romano cives Romani sunt effecti, non reductum quidem sit jus suffragiorum pridem in urbe abolitum: sed datus omnibus Romano imperio subjectis ad ipsos honores Romæ aut in Provinciis, qui ad cives tantum Romanos deferebantur, gerendos aditus. Etsi, quod id ex Romanorum Fastis liquet, reperiantur haud semel *alienigenæ*, seu nati extra Italiam, & peregrinis etiam parentibus, qui ad illud Consulare fastigium sub anterioribus etiam Principibus fuerunt evecti. Ita jam olim sub Augusto Cornelius Balbus, origine Gaditanus; sub Hadriano ac Pio, Herodes Atticus, & quidem Marathonius, quem inter *διςυπάτυς* seu *Bis Consules* relatum tradit, ubi de eo agit, Philostratus (*k*). Bis equidem iis, quibus vixisse constat Herodem Atticum, temporibus, *Atticus* Consul occurrit in Anonymi Fastis, non a Cuspiniano solum antea, sed nuper iisque integrioribus, a doctrina & dignitate pariter eminente Norisio vulgatis: Primo nempe sub Hadriano, anno Æræ Christianæ CXXXV. adscriptis Consulum nominibus (& suffragan-

(*i*) Lib. XVI. c. 1. (*k*) De Vit. Soph. L. II. p. 545.

tibus recentioribus ferme & melioris notæ Chronologis, Calvisio, Petavio, Bucherio, Ricciolo, aliisque) *Luperco & Attico*: pro quibus tamen in Græcorum Fastis, & apud Idatium, *Pontiano II.* vel *Pontiano & Aquilino* inscribitur: apud Prosperum vero & Cassiodorum, *Pompeiano & Atiliano*: quod postremum arripuit in Epistola Consulari (*l*) sed ante visos a se & vulgatos, descriptos e codice Vindebonensi, Fastos, laudatus modo Norisius; ac dein, quod ipsemet ibi agnoscit, in Critica Baroniana (*m*) eruditissimus Pagi. Nulla tamen idonea subest ratio, ut non potior hic habeatur eorundem, quos dixi, veterum Fastorum Consularium auctoritas; ut utrumque illud cognomen *Luperci* & *Attici* tulisse illos Consules statuamus (prout haud aliis, quam eorum cognominibus, descriptos memorant Consules iidem Fasti) præter alia eorundem nomina, quæ, illis cognominibus omissis, diverse sint a dictis antea Auctoribus, ut id sæpenumero contigit, tradita, & a librariis dein adhuc subinde adulterata. Major vero est eorundem veterum Auctorum cum laudatis Fastis consensus, in adsignandis sub Antonino Pio Consulibus, anno Æræ Christianæ CXCVI. nempe *Torquato & Attico*: quique postremus *Tib. Claudius Atticus Herodes* in veteri inscriptione a Panvinio (*n*) primum memorata dicitur. Ad quem referri itidem debet, præter Græcam inscriptionem Athleticam ab illustri, mihique, dum viveret, amicissimo Falconerio vulgatam (*o*), ubi utriusque illius *Torquati & Herodis*, quamquam hujus fine addito ibi *Attici* cognomine; alia, ut observo a diligentissimo Sponio Megaris (*p*) descripta ac edita, ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΑΤΤΙΚΟΝ ΥΠΑΤΟΝ, *Tiberium Claudium Atticum Consulem*, citra additum ibi alterum

(*l*) Pag. 83.
(*m*) Ad A. C. CCCXXXV.
(*n*) Thes. Grut. CLXXII. 10.
(*o*) Inst. Athlet. p. 5.
(*p*) Miscell. p. 329.

Here-

Herodis cognomen. Sed de quo *Herode Attico* Consule, quemque inter Marci & Veri præceptores enumerat Capitolinus *(q)*, eundemque liberis Asiæ urbibus sub Hadriano præfuisse tradit alio loco, de quo jam supra, Philostratus *(r)*, plus satis: ac prout cæteroquin ab eodem Philostrato, modo Aristocles Pergamenus Sophista *(s)*, qui Herodis ætate vixit, in Consularium numerum est relatus; modo Antiochi Cilicis Sophistæ *(t)* posteri ejusdem Philostrati temporibus, consulatum gerere dicuntur: quod utrumque tamen hodie in Fastis non comparet, nisi sub aliis nominibus iidem in iis lateant, aut potius inter suffectos Consules referendi veniant.

Ad quos autem honores a peregrinis, quique ante omnino ab iis erant exclusi, gestos, referri itidem debet, id quod de Alexandrinis tradit Dio Cocceianus, *Βουλευτὰς* nempe seu *Senatores* in ea urbe, quod tamen devicta Ægypto & in provinciæ formam redacta, ei non concesserat Augustus, a Severo institutos: ab Antonino autem filio primum in Senatum Romanum, post latam nempe, ut opinari licet, de data omnibus civitate constitutionem, adscriptos. Ne jam ipsos tangam Imperatores, Nervam, Trajanum & Hadrianum, quos tanquam extra Italiam ortos, *advenarum* & *externorum* nomine appellat uterque Victor, nisi quod prior de Hadriano ibi silet; qui, juxta Trajanum, natus in Hispania, & Hispanis parentibus, sed quorum majores jam fuerant in Senatum adlecti, Adde natum in Africa Severum, cujus autem *majores fuisse equites Romanos* tradit Spartianus: Eutropius vere: *Solus omni memoria & ante & postea ex Africa Imperator fuit.* Qui vero Antoninum Caracallam, e medio sustulit, & imperium obtinuit, *Macrinus*, humili natus loco a Capi-

(q) In M. Antonino c. II. & XI. In L. Vero c. 11.
(r) De Vit. Soph. p. 547.
(s) Ibid. p. 565.
(t) Pag. 566.
(u) Lib. 51. p. 455.

toli-

tolino *(z)*, a Dione autem ſeu *Xiphilino (a)*, natione præterea Maurus, *domo a Siciliæ Cæſarea*, ſeu ut legendum ibi monuit Sylburgius, etſi non adſentiente Caſaubono, *Sitifenſis Cæſareæ*, aut vero juxta Triſtanum, *(b)* ἀπὸ Κιλικίας Καισαρείας, ſed quod jam non expendimus, ordinis vero equeſtris cum ab eodem Dione *(c)*, a quo prius ignobilis valde fuerat dictus, tum ab Herodiano *(d)* traditur. At vero mox *Elagabalus*, ac dein patruelis ejus *Alexander*, duo *alienigenæ*, ut de poſtremo a Lampridio *(e)* dicitur, Imperatores: prior autem, qui ipſo cultu habituque ſe vere peregrinum oſtenderet. Verum quum idem Emiſæ in Phœnicia eſſet natus, eademque non in Romanorum tantum ditione, ſed præterea Romanæ coloniæ, ut ex Ulpiani *(f)* libro de Cenſibus, & e nummis inſuper illius urbis conſtat, jure donata, ipſe autem avo materno conſulari ortus: unde, & poſt latam inſuper ab Antonino conſtitutionem, civis Romanus cenſendus eſt idem Elagabalus. *Alexander* autem *Severus*, etſi *alienigena*, ut modo dictum, & Syrus, Arcæ quippe in Syria Phœnicia natus, non eodem ſolum datæ ab Antonino Caracalla civitatis jure; ſed quod patre inſuper Senatore, ut de eo tradit Dio ſeu Xiphilinus (g), ortus, Romanis etiam civibus merito ante imperium eſt quoque adſcribendus. Succeſſor vero ejus Maximinus, infimæ ſortis & in ultima *(h)* Thracia *(i)*, *utreque parente barbaro*, juxta Capitolinum genitus, ſeu patre Gottho *(k)*, & matre Alana; tum ipſe *ſemibarbarus*, ac *barbarus* etiam ab eodem Capitolino *(l)* dictus, & *e corpore militari & nondum Se-*

(z) In Macrino c. 11.
(a) Epitom. p. 361.
(b) Comm. T. II. p. 293.
(c) L. LXXVIII. p. 895.
(d) Lib. V. c. I.
(e) In Alex. Sev. c. LXV.
(f) Leg. I. S. 4. D. de Cenſib.
(g) Epitom. p. 363.
(h) Herodian. L. VI. c. 8.
(i) In Maximino c. 1.
(k) Ibidem & Jornandes de Reb. Getic. c. 15.
(l) In Maximin. c XXIII.

nator

nator ad imperium a militibus evectus: idem tamen prius per plures militiæ gradus a Severo & Caracalla *(m)* promotus; tribunus etiam legionis sub Alexandro Severo *(n)*, lato clavo insuper ei addito; ac proinde qui civis itidem Romanus ante imperium habendus est. Mitto *Philippum Arabem*; *Aurelianum* in Dacia Ripensi vel Mœsia; *Probum* in Pannonia; *Carum* in Illyrico; *Maximianum Galerium* in Dacia itidem, & matre quidem Barbara seu *Transdanubiana*, sicut ex aureo Lactantii de Mortibus Persecutorum libro discimus *(o)*, ut de aliis adhuc Romanis Principibus sileam, natos: sed eo civium Romanorum, quo eædem gentes tum gaudebant, quodque tangit in adductis supra verbis Julianus Imperator, jure (si *Galerium* forte mittas, non utroque parente cive seu provinciali, ut modo vidimus, ortum) imperio potitos. Quod de *Severo* & *Maximino Daia* vel *Daza*, qui *Illyricorum indigenæ Cæsares*, Constantio nempe Chloro & Galerio tum Augustis, a Victore Schotti dicuntur, statuendum est: quorum alioquin postremus seu *Maximinus*, *semibarbarus* a Lactantio dicitur *(p)*. Adde hisce alterius Constantii temporibus *Magnentium & Silvanum* ad imperium militum factione evectos: quorum illum *barbarum parentibus*, nempe *barbaris*, juxta *(q)* Victorem ac *(r)* Zosimum, *(s)* Julianus Imperator, quod nuper ad eum *(t)* vidimus, ac *(u)* Themistius appellant: hic itidem seu Silvanus *in Gallia ortus parentibus barbaris*, a Victore Schotti dicitur.

Unde mirari neutiquam subit, si Antoniniana constitutione, sublato omni gentis sive *Romani* ac *peregrini* in Orbe Romano discrimine, quacunque tandem patria,

(m) Idem cap. IV. V. Jornandes c. 15.
(n) Capitolin. c. V.
(o) Cap. IX.
(p) Ibid. c. XLVIII.
(q) In Epitome c. XLII.
(r) Lib. II. c. 54.
(s) Orat. I. p. 13.
(t) Observ. p. 119.
(u) Orat. VI. p. 80.

modo

modo intra Romani imperii fines eadem foret, orti, omnium aliorum honorum ac dignitatum, palatinarum, ut eædem sunt illo ævo appellatæ, civilium, aut militarium, promiscue fierent participes. Adeo quidem ut paullatim Barbari quoque, seu nati extra Romani imperii fines, ad Romanorum Magistratus ac dignitates, ipsumque Consulare fastigium sint evecti. Id vero tanquam a Constantino primum inductum, tradit ac sugillat apud Ammianum Marcellinum, Julianus Imperator: *(x) Tunc & memoriam Constantini, ut novatoris turbatorisque priscarum legum & moris antiquitus recepti, vexavit: eum aperte incusans, quod BARBAROS OMNIUM PRIMUS adusque fasces auxerat & trabeas Consulares.* Sed quo nomine, quamquam ejus admirator summus & Gentilis itidem, Ammianus, eundem Julianum, ceu verius illius absurdæ novitatis & turbatarum legum reum, gravi continuo censura perstringit: *insulse nimirum & leviter: qui cum vitare deberet, id quod infestius objurgavit, brevi postea in Consulatu Mamertino junxit Nevittam nec usu, nec gloria horum similem, quibus Magistratum amplissimum detulerat Constantinus.* Immo qui paullo post, ubi delatum Mamertino & Nevitta a Juliano Consulatum tradidisset, addit: *qui nuper ut primum augendæ Barbaricæ vilitatis auctorem immoderate notaverat Constantinum:* De eodem Constantino id equidem tradit in ejus Panegyrico Nazarius, quod vidit jam ad Ammianum doctissimus Valesius, debellato Maxentio, barbaros, qui strenuam in eo bello operam eidem præstiterant, prœmii vice ab eo in curiam adlectos: Eusebius autem, cujus ea de re *(z)* locum, quem adtigit quoque Valesius, pridem eo non consulto notaveram, Constantinum tradit, e legatis Barbarorum nationum cum donis ad se missis, nobilissimos quosque Romanis dignitatibus ornasse

(x) Lib. XXI. c. 11.
(y) Ibidem c. 12.
(z) De Vit. Constantini L. IV. c. 7.

ſe; adeo ut plerique illorum, obliti reditus in patriam, remanere in illis partibus maluerint. Ut mittam ſub Conſtantio Francos, *quorum* teſte *(a)* Ammiano Marcellino, *ea tempeſtate in palatio multitudo florebat*: aut tres gente Alamannos plurimum apud eum valuiſſe, ſeu, ut de iis *(b)* alibi idem Marcellinus, qui, *ut dextris ſuis geſtantes Remp. colebantur*: nempe Latinum, Domeſticorum Comitem; Agilonem, Tribunum Stabuli, poſtea Magiſtrum peditum; & Scudilonem Scutariorum Rectorem. Is vero, *(c)* alio adhuc loco, Eutherium, Cubiculi ejuſdem Principis Præpoſitum, natum refert in Armenia, captumque etiam tum parvulum, & mercatoribus, Romanæ ſcilicet ditionis, venundatum. Adde, ut mittam evectum mox a Juliano Imperatore, quod modo vidimus ad Conſulare faſtigium Nevittam Gotthum; paullo poſt ſub Gratiano Principe, Regem etiam Francorum Mallobaudem, Domeſticorum, uti de eo *(d)* Ammianus Marcellinus, Comitem, eumque cum aliis Romanorum Ducibus & militaribus copiis miſſum, ad Valentem patruum ſuppetias ei contra Gotthos laturum. Iſtud vero devictos Barbaros ad Romanorum dignitates evehendi inſtitutum, in Theodoſio Seniore haud obſcure redarguit in Oratione de Regno ad Arcadium ejus filium Syneſius. Poſtquam enim devictos Scythas, eoſdemque coram Theodoſio cum uxoribus ſupplices dixiſſet, addit: *(e)* Ὁ δὲ τῷ πολέμῳ νικᾶν, ἐλέῳ παρὰ πλεῖστον ἡττᾶτο, καὶ ἀνίστη τὰς ἱκετείας, καὶ συμμάχους ἐποίει, καὶ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ ἠξίου, καὶ ΜΕΤΕΔΙΔΟΥ ΙΕΡΩΝ. *Ille vero bello victor, ab innata ei miſericordia ut plurimum vincebatur: ſupplices itaque ſurgere juſſos, in belli ſocietatem accepit, ac CIVITATE dignatus eſt, MAGISTRATUUMQUE FECIT PARTICIPES*: quique omnes, ut de eodem Theodoſii facto ait

(a) Lib. XV. c. 5.
(b) Lib. XIV. c. 10.
(c) Lib. XVI. c. 7.
(d) Lib. XXXI. c. 10.
(e) Orat. de Regno p. 25.

 (f) Jor-

(*f*) Jornandes, *dicti sunt Fœderati*, & a (*g*) Zosimo, in amicitiam ac belli societatem admissi. Quod sub parente, illos quod adtinet magistratus ac præfecturas Barbaris concessas, improvide susceptum: ac sub filiis ejus, *Arcadio* & *Honorio* latius adhuc & inconsideratius factitatum, infeliciter tandem, utrique ac toti Romano imperio cessit: dum evecti promiscue ad Senatorias ac Palatinas dignitates, summosque honores, id genus Barbari, quales noti inter alios sub Arcadio *Gaines*, *Tribigildus*, *Alaricus*; sub Honorio autem socer ejus, Vandalus quippe, *Stilicho*, vel ut in aliquot Claudiani codicibus, *Stilichon*, (*h*) *Sarus* Ravennæ præfectus, aliique; ac dein sub sequentibus Principibus, eorum cæde aut Romanorum cladibus nobilitati *Rhecimer*, *Theodoricus*, pluresque alii. Quorum etiam malorum inde imminentium præsagus Synesius, Arcadium, ad quem a Cyrenæis erat missus, (*i*) hortabatur, ut a magistratibus primum ac a Senatoriis honoribus arceret Barbaros: qui nempe Orbem tum Romanum complere jam inceperant, & utramque quidem urbem Regiam, Romam & Constantinopolim. Unde eadem Arcadii ætate, Barbari Constantinopoli prætorianum militem longe superasse dicuntur a (*k*) Zosimo: Roma vero *barbarorum domicilium*, βαρβάρων οἰκητήριον, evasisse, ab eodem (*l*) alibi traditur. Adeo etiam, ut quæ inter provinciales seu Romanos, ac inter Barbaros seu Gentiles, erant Valentiniani constitutione vetita, frequentata dein inter utrosque fuerint, qua de re paullo post, connubia. Ita sub iisdem Principibus, duo Barbari Consules: *Fravitta*, unus e Barbaris Arcadii ducibus, Consul ab eodem, ut tradit idem (*m*) Zosimus, & ex

(*f*) Cap. XXV.
(*g*) Lib. IV. c. 56.
(*h*) Idem L. VI. c. 10.
(*i*) Orat. de Regno p. 23.
(*k*) Lib. V. c. 19.
(*l*) Idem Lib. IV. c. 58.
(*m*) Lib. V. c. 20.

Ida-

Idatii & Cassiodori Fastis præterea liquet, designatus; sub Honorio autem, & geminato quidem Consulatu, præclaris insuper de eodem Claudiani panegyricis nobilitatus *Stilicho*. Ut nunc mittam celebrem Arcadii legem, quæ est in *(n)* Codice Theodosiano, e qua plures tum in Orbe Romano cum privatos, tum milites Barbaros, si id aliunde non liqueret, constat exstitisse: nempe cujus initium: *Quisquis cum militibus, vel privatis BARBARIS etiam, scelestam inierit factionem*; quam erudita & peculiari commentatione illustravit clarissimus hac ætate juris antistes Jac. Gothofredus.

Neque vero illud prætereundum, unde provinciales, non solum jure Romanæ civitatis donatos, sed etiam ad urbis Romæ munia & collegia adscitos, neque amplius proinde pro *peregrinis* habitos, liquere insuper potest. Erant nempe olim urbis Romæ *Decuriæ*, quarum subinde fit mentio apud rerum Romanarum scriptores; in libris præterea veterum Jnrisconsultorum, & Imperatorum constitutionibus; aut in inscriptionibus antiquis: quarum, seu eorum qui *Decuriales* inde dicti, munus erat, ut monuerunt jam viri docti, acta & monumenta omnia publica, quæ in urbe fierent, Senatus, Judicum, aliave, in scrinia referre, ac servare; seu, ut de iis Cassiodorus, *(o) omnium hominum quies & publica fides in eorum scriniis versatur.* Illud vero erat peculiare, & de quo silet, qui ad Ammianum Marcellinum de hisce *Decuriis* & *Decurialibus* multa erudite congessit, adducto etiam ibi illo Cassiodori de iis loco, doctissimus Valesius *(p)*: nempe, quod bini e singulis omnium Provinciarum urbibus, Romam mitterentur, qui essent inter illos urbis *Decuriales*. Id vero ex una docemur, quod agnovit ibidem præclarus interpres, Va-

(n) Leg. III. Cod. Th. Ad Leg. Com. de Sicar.

(o) Lib. V. Epist. 21.

(p) Vid. H. Vales. ad Ammian. Marcell. L, XXXVIII. c. 6.

lentiniani Junioris lege, quæ exſtat in Codice Theodoſiano *(q)* quæ id clariſſime indicat: *unde in definiendis* DECURIALIBUS (*quos BINOS ESSE EX SINGULIS quibuſque* (ſeu *majoribus*, juxta Gothofredum *(r)* *URBIBUS OMNIUM PROVINCIARUM veneranda decrevit antiquitas) id obſervare debebis, quod vel priſcorum Principum conſtitutis, vel noſtris intelligis ſanctionibus definitum.* Quod vero, inde factum licet utique ſtatuere, quo poſt communicatam cum provincialibus, Antonini conſtitutione, civitatem, omnium Senatus populique Romani actorum, ſententiarum, contractuum præterea, aliorumque id genus geſtorum, notitia & ratio provinciis conſtaret. Neque vero id hujus Valentiniani Junioris ætate, vel paullo ante inductum, abunde arguunt ejuſdem conſtitutionis verba: quod nempe *id veneranda decrevit antiquitas:* quum nempe a lata Antonini conſtitutione, ad hanc Valentiniani legem, quæ lata dicitur Romæ æræ Chriſtianæ 389. duo propemodum ſecula, ſi viginti circiter annos (neque enim de anno latæ Antoninianæ conſtitutionis liquet) demas, effluxerint. Certe in Honorii conſtitutione, quæ alibi exſtat, in eodem Codice Theodoſiano *(ſ)*, titulo nempe de Religione, id legas: *Ea quæ circa Catholicam fidem, vel OLIM ordinavit ANTIQUITAS, vel Parentum noſtrorum auctoritas religioſa conſtituit:* quibus tamen prioribus verbis, haud ad *antiquiora* tempora, quam ad ea quæ centum ante annis contra Donatiſtas erant decreta, reſpici, obſervat doctiſſimus Gothofredus *(t)*. Quomodo etiam in alia dicitur Arcadii conſtitutione ejuſdem Codicis, ubi de privilegiis, quæ Judicis conceſſerint anteriores Chriſtiani Principes, agitur: *nos interea*

(q) Leg. III. C. Th. de Decur. Urb. Rom.

(r) J. Gothof. ad d. l. p. 145. T. V.

(ſ) Leg. III. C. Th. de Religione.

(t) Leg. XIII. C. Th. de Judæis.

in

in conservandis eorum privilegiis VETERES imitamur, nempe, ut ibi observat itidem accuratus interpres, Constantinum M. & Constantium: quorum ille solum ante annos sexaginta, hic triginta sex, ante additum latæ illius ab Honorio legis annum 397. fato fuerant functi. Adde & aliam insuper Honorii constitutionem in eodem de Judæis titulo (*u*): *Et VETERIBUS, ac nostris sanctionibus constitutum est:* quæ similiter ad anteriores Christianorum Principum constitutiones, intra ejusdem proinde seculi decursum datas referri solum possunt.

(*u*) Leg. XXIII. C. Th. Eodem.

CAPUT XXI.

MILITARES *itidem* DIGNITATES, *ac proinde non* Palatinæ *solum, sed* Armatæ *etiam* militiæ, *ad Barbaros frequenter eadem ætate translatæ. Militiæ nempe ratio paulatim, post Antonini constitutionem, a Romanis immutata.* Legiones *olim e* Romanis *tantum* civibus: *e* provincialibus *dein ut plurimum delectæ. Unde* miles *&* militia provincialis *apud Hyginum de* legionibus. Barbari *postea* Legionibus *immixti*; cives *autem, sive* legionarii *subinde in auxiliis, ut e Vegetio liquet, constituti.* Zianno-

annorum *seu* Tzannorum *ac* Gruthungorum legiones *apud Ammianum & Claudianum.* Tirones *itidem* e Barbaris, *ad legionum supplementa. Auctor ejus rei Probus Imp. apud Vopiscum. Eorum exempla e Barbaris, (qui* Dedititii *dicti in Constitutionibus Imperatorum, et apud Ammianum Marcellinum,) Sarmatis, Gotthis, Lentiensibus Alamannis, Francis. Lux aliquot Marcellini locis adlata. De* Gentilibus *itidem* Barbaris, *qui sponte ad Romanos transirent, et qui inter Scholares militabant, aut ad tuitionem limitum positi.* Auxilia *itidem e* Barbaris *militibus ferme tum conscripta. Vopisci, Capitolini, Ammiani Marcellini, Pacati, ea de re loca. Scythæ a Theodosio M. in belli societatem recepti. Synesii hoc pluribus redarguentis testimonia. Quod in Romani militis contemptum et Imperii perniciem tandem evasit. Penes* Barbaros *præcipuæ dein sub Arcadio et Honorio tam* Palatinæ, *quam* militares dignitates. *De* libertis *ea ætate adhuc a militia exclusis; item* servis. *Justiniani de hisce constitutio, & antiquum Trajani ad Plinium Rescriptum ei consentaneum. Capitalis olim* servorum *pœna, qui ultro militiæ nomen dederant.*

Quem-

QUemadmodum vero ea ætate Barbari ad civiles & Palatinas dignitates, immo etiam ad ipsos dignitatum, prout a Romanis dicebantur, apices, ut Consulare fastigium, sunt evecti: ita idem de MILITARIBUS quoque HONORIBUS muniisve, cum hisce Barbaris, tum illo ævo actum, e monumentis eorundem temporum obvium utique est ac manifestum. Adeo, ut non *militia* solum (*a*) *Palatina*, seu qui (*b*) in *sacro Palatio*, quod ex variis Imperatorum in utroque Codice constitutionibus liquet, *militare* dicebantur, Officiales puta, Apparitores, iisque digniores Domestici & Protectores, aliique: sed *Armatæ* etiam *militiæ*, (quo nomine eadem, tanquam non intra Palatium, sed in campo & pulvere exercita, ac *militia militaris* quo a *Palatina* seu curiali ac urbana militia, distinguebatur, iidem appellata) tum præfecti, Comites nempe aut Magistri Militum, Duces, iisque inferiores Tribuni, Præpositi; aut qui armatæ illi militiæ sacramenta dederant, gregarii milites, e Barbaris itidem promiscue & passim deligerentur. Ita, ut id uno vel altero exemplo comprobem, & quod vel ex Ammiano Marcellino constat, Alamannus (*d*) Agilo sub Constantio & Juliano Magister peditum: Mallobaudes Francus, (*e*) Armaturarum Tribunus, sub eodem Constantio: Nevitta Gotthus, ante quam Consul a Juliano fieret, sub eodem (*f*) Magister Armorum: sub Valente (*g*) autem

(*a*) Leg. I. C. Th. de Palatinis.
(*b*) Lib. VI. Tit. XXXV. C. Th. & Lib. XII. Tit. XXIX. Cod. Just.
(*c*) Leg. V. VI. De Re Milit. Leg. XVI. de Tironib. L. X. de Veteran.
(*) Leg. XIX. C. Th. De Divers. Offic.
(*d*) Lib. XXI. 12. 13.
(*e*) Lib. XIV. c. 11.
(*f*) Lib. XXI. c. 8.
(*g*) Lib. XXXI. c. 12.

Ma-

Magister Equitum Victor Sarmata; (*h*) Vadomanrius vero ex Rege Alamannorum cum agminibus contra Persas; (*i*) dictus vero ibi Mallobaudes Francorum Rex, contra Lentienses Alamannos, a Gratiano missi. Cujus autem rei ac instituti fundus velut quidam exstitit, paulatim immutata, quæ olim ante civitatem toti Italiæ aliisque dein provinciis, aut civitatibus extra Italiam, ac tandem omnibus in Orbe Romano datam obtinuit, militiæ ratio. Quomodo nempe factum, ut quæ antea *legiones*, e Romanis tantum, seu urbani iidem, seu Latinm vel Italiam inhabitarent, civibus constabant, e provincialibus postea ut plurimum deligerentur: quæ *auxilia* vero e sociis olim, ut notum, seu provincialibus constabant, ea e nationibus Barbaris, quæ vel pretio, vel sponte in eam se militiam dabant, conscriberentur. Unde etiam, quod *miles & militia provincialis*, de *legionibus* apud (*k*) Hyginum dicatur, observat ad Vopiscum in Probo (*l*) vir summus. Quod tamen ante civitatem omnibus in Orbe Romano, non ab Antonino Pio, ut (*m*) ibidem ὁ πάνυ, sed ab Antonino Caracalla datam, ut ille dein (*n*) alibi, quod supra vidimus, agnovit, ab Hygino, qui Trajani ætate ea commentabatur, dictum liquet: idque inde, quod jam ab Augusti temporibus, legiones ferme e provincialibus militibus, quique in provinciis distribuerentur, ac unde indita iis vulgo earundem provinciarum, quæ præter antiquos Auctores, aliave veterum monumenta, in antiquis etiam Hadriani, M. Antonini, aut aliorum adhuc nummis comparent, nomina, constarent: prætorianæ vero & urbanæ cohortes, ex Italicis ad Urbis custodiam, ut ab illustri Schelio (*o*) ad eundem

(*h*) Lib. XXIX. c. 1.
(*i*) Lib. XXXI. c. 10.
(*k*) De Castrametat.
(*l*) Salmas. ad cap. XIV.
(*m*) Item ad Spartian. in Hadr. c. VII.
(*n*) De modo Usur. p. 856. 857.
(*o*) In Not. ad Hygin. p. 13.

Hygi-

Hyginum eſt jam adnotatum, adſumerentur. Quamquam, ut obſervo, *miles & provincialis* ab Ammiano Marcellino adhuc diſtinguantur: ubi de Juliani Cæſaris, cui præerat ille in Galliis, exercitu dicitur, (*p*) *Augusto Juliano, ut provincialis, & miles, & Reip. decrevit auctoritas*: ut *miles* nempe, de Romanis ſicut (*q*) alibi apud eundem Ammianum: *provincialis* vero intelligatur de Gallicanis in eodem exercitu copiis ſeu tironibus, prout paullo ante ab ipſo (*r*) Juliano appellantur. Niſi quis malit, ut ſublata illa particula &, legatur, ut jam olim apud Hyginum, *provincialis miles*, nempe Gallicanus; quomodo *Gallicanus miles* alibi ab eodem (*ſ*) Ammiano appellatur, aut VIRTUS EXERCITUS GALL. ſeu *Gallicani* legitur in Conſtantini & Conſtantis, qui Galliæ imperabant, nummis. Id alioquin ex antiquis Auctoribus & monumentis manifeſtum, quod ille e provincialibus militibus, ſeu legionariis, in omnibus Romani Orbis provinciis, delectus, poſt civitatem Antoniniana conſtitutione iiſdem impertitam, eo magis invaluerit. Immo unde paullatim, & confuſo omni priſcæ Romanorum militiæ inſtituto factum, ut Barbari, qui nec dum Romanorum jugum ſubierant, nec inter ſubjectos populos vel provinciales relati, legionibus ſubinde ſint immixti, aut *legiones* etiam de eorum militibus dictæ: cives autem Romani ſeu *legionarii*, quod docet (*t*) Vegetius, addita ejus rei cauſſa, in *auxiliis*, quæ alioquin illa ætate e Barbarorum populis ut paullo ante dixi, conſcribebantur, ſubinde militarent. Ita prius quod adtinet, *legio Ziannorum*, ſeu, de quibus ſupra, *Tzannorum* vel *Sannorum* apud eundem (*u*) Ammianum Marcellinum in rebus Juliani Imperatoris appellantur:

(*p*) Lib. XX. c. 9.
(*q*) Vid. L. XVI. c. 12. & Valeſ. Not.
(*r*) Lib. XX. c. 8.
(*ſ*) Lib. XXX. c. 10.
(*t*) Lib. II. c. 3.
(*u*) Lib. XXV. c. 1.

lantur : quos tamen *Ziannos* vel *Tzannos*, a se *tunc primum sub Romana factos Republica*, & *ut subjecti habeantur*, dicentem vidimus eoque nomine se efferentem *(x)* Justinianum. Quomodo etiam *Gruthungorum*, gentis barbaræ, *legio*, eaque prius Romanorum, sed tum Romanis infesta, apud Claudianum legitur : *(y)*

nascuntur in ipso
Bella sinu, LEGIO pridem ROMANA, GRUTHUNGI.

Ne Zosimum huc advocem, a quo Gaines Barbarus, sed inter summos magni Theodosii Duces, jubetur (z) Βάρβαρα τάγματα, *legiones Barbaras* (sicut eas voces, pro consueto apud Græcos Scriptores vocis τάγματος usu, vertit accuratus interpres) quibus ipse Gaines præerat, in hostes immittere.

Huic autem confusioni, & juxta quam *tirones*, seu legionarii provinciales, quorum nempe ad legionum supplementa olim institui solebant in provinciis delectus, *auxiliis*, quæ vulgo e Barbaris constabant, sunt postea immixti, locum dedisse Probum Imperatorem tangit in ejus vita Vopiscus, de quo ait : *(a) Accepit præterea sedecim millia TIRONUM, quos omnes per diversas provincias sparsit, ita ut numeris, vel limitaneis militibus quinquagenos & sexagenos intersereret : dicens, sentiendum esse, non videndum, quum AUXILIARIBUS BARBARIS Romanus juvatur* : ubi nempe *numeri*, juxta magnum Salmasium, de *legionariis* militibus (qui tamen alibi de *auxiliaribus* ab (*b*) Ammiano Marcellino haud semel appellantur) *limitanei* vero, seu *Ripenses*, de Barbarorum *auxiliis* dicuntur: ac ita *tirones* ibidem, qui e Barbaris conscripti, tum legionibus,

(x) Nov. XXVIII.
(y) In Eutrop. L. IV. c. 58.
(z) Lib. IV. c. 58.
(a) In Probo c. XIV.
(b) Lib. XX. c. 1. & c. 4.

tum

tum auxiliis a Probo ſint immixti. Quomodo pro temporum ratione, & gravi urgente neceſſitate, factum conſtat; ut qui *tirones*, ad legionum ſupplementa, e provincialibus tantum, & quidem ut in Magni Theodoſii conſtitutione dicitur, *(c) ex opportunis regionibus* indici & conferri, latis a Conſtantio, & ſequutis Principibus, ea de re legibus, conſueverant; ii etiam e Barbaris, uti hic a Probo factum, Alanis puta, Gotthis, Scythis, Armeniis, Iſauris, aliiſve conſcripti deinceps fuerint. Unde etiam contigit, ut quum ad ea legionum ſupplementa, tirones ea ætate e regionibus illis vel provinciis, Romano imperio ſubjectis indicerentur; aut vero eorum loco, ſeu *pro corporibus*, ut in conſtitutione *(d)* Valentis Imperatoris legitur, pretium, idque *tironicum* inde a *(e)* Syneſio, qnod vidit jam doctiſſimus *(f)* Codicis Theodoſiani commentator, dictum, ab iiſdem provinciis præſtari oporteret: inde, inquam, contigit, ut Barbarorum nationibus, vel ſponte poſt eaſdem bello attritas deditis, vel ultro cæteroquin ſe ad id offerentibus, Dedititiis proinde ac Gentilibus, ut iidem, & qua de re mox, ea ætate dicebantur, omne illud aurum *provinciale*, ut *(g)* alicubi Ammianus loquitur, pro tironibus datum, in proprios Imperatorum uſus cederet, eorumque theſauros locupletaret. Cujus etiam rei teſtis luculentus, neque uno loco idem Ammianus Marcellinus; ſeu, ubi in genere de ſupplementis legionum ſub Conſtantio ait: *(h) parique ſtudio ſupplementa legionibus ſcripta ſunt, inductis per provincias tirociniis*: ſeu, quum de Limigantibus Sarmatis, qui recipi intra Romani imperii fines ab eodem Principe contendebant, egiſſet, addit continuo; exultaſſe inde Con-

(c) Leg. IX. C. Th. de Tironib.

(d) Leg. VII. Eodem.

(e) Epiſt. LXXIX,

(f) Ad Leg. VII. C. Th. de Tironib.

(g) Lib. XXXI. c. 4.

(h) Lib. XXI. c. 7.

ſtantium, idque adulatorum cohorte in majus augente, *(i) quod tirocinia cogere poterit validiſſima, aurum quippe gratanter provinciales pro corporibus.* Ita enim omnino poſtrema legenda *pro corporibus*, abunde docet Valentis Imp. eam in rem conſtitutio, (ſed quod occupavit jam Cl. *(k)* Jac. Gothofredus) *quod aurum ſæpe pro corporibus depoſcitur.* Quibus conſentanea ſunt, quæ de Gotthis citra Danubium ſuſcipi in Romanorum terris ab eodem Valente petentibus, deque adulatoribus fortunam Principis inde in majus itidem extollentibus alibi memorat: nempe, *(l) quod ex ultimis terris tot TIROCINIA trahens, ei nec opinanti offerret, ut collatis in unum ſuis & ALIENIGENIS viribus, invictum haberet exercitum, & pro MILITARI SUPPLEMENTO, quod PROVINCIATIM ANNUUM pendebatur: theſauri accederet auri cumulus magnus.* Quibus addendum eſt id quod de Lentienſibus Alamannis ab eodem Ammiano paullo poſt dicitur: *(m) poſt deditionem, quam impetravere ſupplici prece, oblata (ut præceptum eſt) juventute valida, NOSTRIS TIROCINIIS permiſcenda.* Quomodo etiam, Francos, qui, ut rurſus idem Auctor *(n)* alibi, *ſponte ſe propria dederant*, ad Conſtantium miſſos, ab eodem ſuis legionibus immixtos tradit, indice ibi illius loci doctiſſimo Valeſio, *(o)* Libanius. Immo quo referri itidem debet Trebellii Pollionis, qui τῷ πάνυ, non debuit ibi negotium faceſſere, locus: ubi quum devictos a Claudio Imp. ingenti clade Gotthos retuliſſet, addit: *(p) factus miles barbarus, & Colonus ex Gottho*: nempe quod pridem ad ea verba notaveram, & notaſſe quoque alibi ad *(q)* Ammianum vidi poſtea laudatum modo Valeſium;

(i) Lib. XIX. c. 2.
(k) Ut ſupra.
(l) Lib. XXXI. c. 4.
(m) Ibidem c. 10.
(n) Lib. XVII. c. 2.
(o) Orat. Funebr. in Julian.
(p) In Claudio Gotth. c. 18.
(q) Not. ad Amm. Marcell. L. XVII. c. 12.

quibus

quibus verbis nihil aliud, & erat certe obvium indicatur, nisi e captivis aut deditis tum magno numero Barbaris Gotthis, alios factos esse *milites Romanos*, seu legionarios, pro illa nota ac familiari *militis*, qua de re paullo ante, apud Romanos auctores significatione; alios vero ex iis *colonos*, qui Romanorum nempe rura & agros deinceps colerent; de quibus autem *colonis*, eorumque conditione ad servilem accedente, variæ exstant, & qua de re jam supra, in utroque Codice constitutiones. *Dedititiorum* proinde, quod paullo ante adtigi, numero iidem, de quibus agunt dictis locis Ammianus, aut Trebellius, numero, e quibus tirocinia ad legionum supplementa a Romanis ea ætate crebro legebantur. De quibus alioquin *Dedititiis*, & *Gentilibus* præterea, qui e Barbaris similiter, & quidem inter Scholares quoque & Scutarios, unde Agilo *(r) Gentilium Scutariorum Tribunus* ab Ammiano dicitur, militabant; aut *ad curam munitionemque limitis atque fossati* erant, ut id ex Honorii *(s)* constitutione liquet, positi; aut alioquin per municipia, teste eodem *(t)* Marcellino, distributi, notabilia adhuc sunt Juliani Imp. in Epistola ad Constantium apud eundem Ammianum & quæ superiora insuper adstruunt, verba: *(u) Equos præbebo curules Hispanos, & miscendos GENTILIBUS atque scutatis adolescentes: Lætos quidem iis Rhenum, editam BARBARORUM PROGENIEM, vel certe ex DEDITITIIS, qui ad nostra descisçunt.* Qui autem *Leti* vel *Læti*, quod illa Juliani verba utique arguunt, non ipsi quidem Barbari, sed *Barbarorum progenies* seu Barbaris orti, qui ad Romanos transierant; diversi proinde ab iis *Lætis barbaris*, quorum facta fuerat, jam ante mentio ab eodem *(x)* Ammiano. Neque enim clarissimo Codicis Theodosiani

(r) Lib. XX. c. 11.
(s) Leg. I. C.Th. de Terr. Limitan.
(t) Lib. XVI. c. 4.
(u) Lib. XX. c. 8.
(x) Lib. XVI. c. 11.

inter-

interpreti accedo, qui (y) ad Honorii constitutionem ejusdem Codicis, ubi *Lætorum* fit mentio, adjective sumendam ibi apud Ammianum vocem, pro *lætis* seu gaudio delibutis barbaris contendit; quod tamen ipse loci conspectus, prout antea & vere ad eum adnotaverat doctissimus Valesius, abunde redarguit. Ut mittam, quod agnoscente ipso celeberrimi nominis Jurisconsulto, & erat e Notitia Imperii obvium, varii occurrunt dicti eo *Lætorum* nomine populi, Alamanni nempe, Batavi, Nervii, Franci, aliique. *Dedititios* vero quod adtinet, eorum quoque servi, urgente bello Scythico, Honorii lege, quæ exstat in eodem (z) Codice Theodosiano, militiæ nomen dare jubentur: additaque ejus rei caussa, quod ii cum dominis militare consuessent: *præcipue sane eorum servos quos militia armata detentat, Fœderatorum nihilominus & DEDITITIORUM, quoniam ipsos una quoque cum dominis constat bella tractare.* De *dedititiis* vero libertis ex lege Ælia Sentia, eorumque conditione hic non agimus, & de quibus supra occurrit nobis obiter agendi locus.

Sicut vero *tirones* vel *tirocinia*, ut ea passim vocat Ammianus Marcellinus, ad legionum supplementa e provincialibus promiscue, sublato omni inter eos & cives Romanos, post Antonini constitutionem, discrimine, primo sunt conscripta: dein vero etiam, quod modo vidimus, & immunitatis paulatim vel abolitis priscæ Romanorum militiæ institutis, e Barbaris, inducto ejus rei a Probo Imp. exemplo, haud infrequenter deligebantur: ita *Auxilia* in Romanorum ea ætate exercitibus similiter e Barbaris ferme, uti e dictis paulo ante Scythis, Alanis, Gotthis, Mauris, Osdroenis, Parthis etiam, alliisque, constitisse docent Scriptores eorundem temporum. Un-

(y) Jac. Gothof. Ad Leg. XII. C. Th. de Veteran.

(z) Leg. XVI. C. Th. de Tironib.

de

de jam ante de Maximino Capitolinus: *(a) Posthac transiit in Germaniam, cum omni exercitu, cum Mauris, & Osdroenis, & Parthis*; dein: *& ob hoc maxime Orientalia secum habuit AUXILIA.* De utrisque vero, *tironibus* nempe *legionariis*, & *auxiliis* alibi Ammianus, ubi de apparatu Constantii ad expeditionem Persicam agit *(b) Arma quoque & TIROCINIA cogens, LEGIONESQUE augens juventutis validis supplementis, quarum stataria pugnæ per Orientales sæpius emicuere provincias: AUXILIA super his SCYTHARUM poscebat mercede vel gratia.* Idem jam ante de Barbaris, qui in auxiliis Romanorum sub Juliano in Galliis militabant, & quos ad se mitti jusserat Constantius, dixerat: *(c) Auxiliares milites exinde protinus abstracturum, Ærulos* (seu *Herulos) & Batavos, cumque Petulantibus Celtas.* Quarum nempe gentium Barbaros, sub Claudio Gotthico in Romanorum ditiones irrupisse, refert in ejus vita Pollio: *(d) Celtæ etiam & Heruli prædæ cupiditate in Romanum solum & Rempubl. venerunt:* quales autem *Celtas* nemini cognitos tradunt ad eum locum harum literarum Duumviri: quorum vero mentio, & quidem ubi juncti similiter, sicut modo apud Capitolinum, cum *Petulantibus Celtæ*, occurrit haud semel in rebus Constantii & Valentis Impp. apud *(e)* Ammianum Marcellinum. Adde, quæ mox idem Ammianus adductis paullo ante verbis subdit, de Barbaris, quos ad expeditionem in Persas exposcebat Constantius, & sub quibus iidem legibus, tum Romanorum militiæ nomen dederant, *(f) nec dissimulare potuit Julianus, nec silere: ut illi nullas paterentur molestias, qui relictis laribus Transrhenanis, SUB HOC VENERANT PACTO, ne ducerentur ad partes unquam Transalpinas: verendum*

(a) In Maximino c. 11.
(b) Lib. XX. c. 8.
(c) Lib. XX. c. 4.
(d) In Claudio c. 6.
(e) Lib. XX. c. 4. XXI. 3. XXXI. 10.
(f) Lib. XX. c. 8.

esse

esse affirmans, ne VOLUNTARII BARBARI MILITARES, sæpe sub ejusmodi legibus adsueti transire ad nostra, hoc cognito, deinceps arcerentur. Haud aliter ac e devictis a Theodosio Scythicis nationibus Gotthis, Hunnis, Alanis, *voluntarios* itidem *barbaros* milites ab eodem Principe receptos, traditur in adductis jam ante Panegyrici eidem a Pacato dicti verbis: *(g) Postremo populis BARBARORUM ULTRONEAM tibi OPERAM ferre voventibus, commilitonum munus indulges, ut militi AUXILIATOR accederet. Qua hoc benignitate pellecti omnes Scythicæ nationes, tantis examinibus confluebant, ut quem remiseras tuis, BARBARIS videreris imperasse delectum.* Quod tangit etiam Zosimus, *(h)* ubi a Theodosio, postquam is esset imperium consecutus, Barbaros in amicitiam ac belli societatem adscitos tradit. Quod equidem hujus Theodosii institutum & quo is intempestiva horum Scytharum commiseratione motus, aditum aliis Barbarorum populis eandem apud Romanos fortunam experiendi & consequendi fecerit, multis & gravissime redarguit in laudata supra ejus ad Arcadium filium *(i)* Oratione Synesius. Neque enim lupos, quod *(k)* ante dixerat, inter canes collocari: neque a Legislatore arma iis danda, qui in iisdem ipsius legibus nati non sunt aut instituti: id enim audacis esse & futura præscientis, numerosam juventutem, alienis institutis educatam, suis moribus viventem, & cujus nullum exstat certum benevolentiæ pignus nequicquam reformidare. Unde auctor itidem est, ut potius quam Scythis arma tractare concedatur, ab agris, dum aliunde eorum fiat delectus, petantur milites: barbari vero ad colendam terram, sicut de Gotthis, sub Probo factis colonis paullo ante vidimus, relinquantur. Turpe enim esse florentissimo Imperio, aliis bellica gloria & contentione se-

(g) Cap. XXXII.
(h) Lib. IV. c. 56.
(i) De Regno p. 25.
(k) Ibidem p. 22.

dem;

dem; (*l*) Romanis proinde laborandum, ut victoriis a se partis assuescant, nec Barbaros in ejus laudis consortium admitti patiantur, sed ab omni penitus militari ordine eosdem continuo semoveant. Neque tamen gravissimis hisce monitis deterritus a simili, juxta patruum Theodosium, proposito Arcadium, aliunde sat constat; sub quo, auctoribus Rufino primum, dein Eutropio, ac sub ducibus ac præfectis Barbaris jam ante memoratis, Gaine, Trebigildo, Marico, Fravitta, Barbaris militibus completæ fuerunt Romanorum in Oriente provinciæ: nec dispar in Occidente sub Honorio, quod vel e Claudiano, Zosimo, aliisque eorum temporum Scriptoribus constat, ratio. Quas etiam initas Romanorum in Occidente cum Barbaris Scythis, Alanis, aliisque nationibus Gotthicis societates, in Romani militis contemptum, & imperii perniciem evasisse, tangit ab initio Gotthicorum Procopius. Adeo ut vel maxime ea ætate, penes Barbaros ferme, sicut civiles & Palatinæ, ut ante dictum, ita potissimum militares forent dignitates: ipsæque auxiliares Barbarorum copiæ, seu militares eorum delectus, *legionis* etiam nomine, quod paullo ante itidem vidimus, sint appellatæ. Ne jam Notitiam Imperii huc advocem, & crebram in eadem eorum, de quibus modo dictum, aliorumve Barbarorum mentionem, qui sub Romanis Præfectis, seu Comitibus vel Militum Magistris, suam ultro aut rogati addixerant in bellis Romanorum operam. Quibus tamen temporibus *libertos*, seu, ut ibi dicuntur, *libertinæ* conditionis homines, ab omni Palatina militia, cunctisque honoribus exclusos; eorum autem libertorum seu manumissorum filios, tantum ad locum usque proximum Protectoris in eadem militia admissos, lata seu renovata a Valentiniano III. Occidentis post sublatum Honorium Imperatore, quæ exstat

(*l*) Ibidem p. 23.

in (*m*) Codice Theodosiano, & cujus jam ante, ubi de libertis ageretur, facta est a me mentio, constitutione sancitum legitur. Quo magis utique exclusos etiamnum a Romanorum militia servos licet adsequi: idque vetere ac perpetuo Quiritium instituto, nisi ubi gravis omnino id exigeret necessitas: sicut post Cannensem cladem volones illi, de quibus supra egimus, seu qui sponte nomina in militiam tum dederant, Romanorum servi: aut bello Scythico imminente, ii, de quibus paullo ante, invitati ad militiam, Honorii constitutione, Dedititiorum servi. Accedit quod altero adhuc post Honorium seculo, de servis qui ad militiam quandam adspicere tentaverant, vel scientibus, vel ignorantibus dominis, legatur etiamnum Justiniani Imp. (*n*) constitutio; & quidem qua servis, qui scientibus dominis militaverant, *si quidem utiles ad militiam eis datam visi fuerint*, *ingenuis* inde *effectis*, in ea durare conceditur; qui vero ignaris dominis militiam sint amplexi, ut ii spoliati militia, in illorum dominium denuo traherentur: Quomodo nempe jam olim consultus a Plinio Trajanus, (*o*) de *modo pœnæ*, quo plectendi essent reperti in Romanorum militum delectu servi, ei continuo similiter rescribit, ac unde dicta Justiniani constitutio haud parum illustratur: (*p*) *Refert autem, voluntarii se obtulerint, an lecti sint, vel etiam vicarii dati. Lecti si sunt inquisitor peccavit: si Vicarii dati, penes eos culpa est, qui dederunt: si ipsi, cum haberent conditionis suæ conscientiam, venerunt, animadvertendum in illos erit.* Quam autem animadversionem in servos, qui ultro militiæ nomen dederant, fuisse apud Romanos capitalem, e Marciani lege, quæ in

(*m*) Leg. III. C. Th. de Libertis.
(*n*) Leg. VI. Cod. Qui Milit. Poss.
(*o*) Epist. XXXVIII.
(*p*) Epist. XXXIX.

(*q*) li-

(q) libris Romanorum juris civilis legitur, ſat conſtat. Ut mittam quod in habendo Tironum apud Romanos delectu, de eorum *Origine*, ut liquet e Conſtantii conſtitutione in (r) Codice Theodoſiano, ac proinde, de eorum patria, natalibus, & ſtatu ſeu conditione, an liberi vere forent ſeu ingenui, præſentibus Decurionibus, inquirebatur.

(q) Leg. XI. D. de Re Milit.

(r) Leg. I. C. Th. de Tironib.

CAPUT XXII.

De CONNUBIORUM *jure cum* alienigenis *olim, Judæorum exemplo, apud Athenienſes vetito; & inter cives demum recepto. Id ex Euripide illuſtratum. De* mutuis connubiis *ex ſingulari pacto inter civitates vel gentes apud Græcos conceſſis. De ſimilibus veterum Romanorum inſtitutis* & connubiis *inter vicinos aut unius gentis populos permiſſis, vel ademptis. Eadem Romanis cum aliis, qui non eſſent cives Romani, vetita. De* hybredis *ſeu natis in Hiſpania e Romanis civibus ac mulieribus Hiſpanis. Eadem* connubia *cum Latinæ conditionis libertis itidem vetita*: peregrinis *quandoque, qui plura ſtipen-*

pendia meruerant, concessa. Exempla ex Inscriptionibus antiquis adducta. Peregrini *quot modis apud Romanos Auctores & in legibus aut Constitutionibus Imperatorum, dicuntur.* Id ex *Seneca, Ulpiano, Ammiano Marcellino, Lampridio, Vopisco, utroque Victore, aliisque, & variis Constitutionibus Imperatorum adsertum & illustratum. Post Antonini constitutionem sublatum, quoad jus illud* connubiorum, *omne inter* peregrinos *antea dictos seu* provinciales, *ac* Romanos cives *discrimen; sed vetita eadem inter* provinciales & Barbaros *seu* Dedititios. *Eadem antea Constantini lege, sed quæ ab uno Constantino Porphyrogenneta traditur, cum solis Francis, non vero cum aliis Barbaris concessa. Antiquiora exempla* connubiorum *inter* Romanos & Barbaros; *ut M. Antonii cum Cleopatra: Felicis, Claudii liberti, cum Drusilla Agrippi Regis filia; Gallieni cum Lipara; Olympiadis, sponsæ Constantis Imp. cum Arsace Armeniorum Rege. Sub Theodosio M. ac filiis Honorio & Arcadio eadem* connubia Romanorum *cum* Barbaris *recepta: Claudiani & Prudentii eam rem in loca. Romanorum Principum Constitutionibus* connubia

nubia *intra unum corporum genus, veluti Pistorum, restricta.*

IS vero, quæ civitas omnibus in Orbe Romano data secum invexit, juribus vel beneficiis, adnumerari quoque debent *mutua* inter eos *CONNUBIA*. Neque enim publica solum Romanorum civium, cujusmodi erant, quæ modo vidimus, honorum, dignitatum, ac supremi etiam fastigii; vel militiæ Armatæ ac militaris, de qua modo actum: sed privata etiam Quiritium jura, inter quæ exstitit illud, quod aliunde constat, *connubiorum*, eadem Antonini constitutione, cum omnibus in Orbe Romano ingeuuis fuisse communicata, licet continuo statuere. Notum vero eam olim *connubiorum* apud plerasque gentes, non apud Romanos solum, aut vero apud Judæos, rationem fuisse, ut ea tantum essent inter unius urbis cives aut alioquin populares; cum alienigenis vero ferme vetita. Ita, ut de aliis populis jam nihil dicam, connubia apud Athenienses constat inter cives demum fuisse licita: adeo ut lege primum a Pericle lata *(a)*, dein sub Euclide prætore renovata, quam adnotarunt jam eruditi legum Atticarum *(b)* enarratores, soli cives Athenienses censerentur, qui utroque parente cive essent nati; ac ne civis Atheniensis fœmina peregre seu peregrino nuberet, interdictum. Quod postremum præter Plutarchi, vel Ulpiani ad Demosthenem adducta a viro eruditissimo *(c)* ea de re loca, indicaverat pridem Euripides *(d)*, apud quem quum interrogata ab Ione Creusa

(a) Plutarch. in Pericle p. 172. Demosth. adv. Eubulid. p. 538. Ælian. V. H. L. VI. c. 10.

(b) Meurs. Them. Att. L. IV. c. 5. Petitus in Leg. Att. p. 435.

(c) Idem Petitus p. 440.

(d) In Ione v. 290.

Athe-

Athenienſis & Erechthei filia, cui marito nupſiſſet, ac reſpondiſſet eadem;

> Οὐκ ἀστὸς, ἀλλ' ἐπακτὸς ἐξ ἄλλης χθονὸς,
>
> *Non civis, ſed advena ex aliena terra;*

ab Ione ignaro cæteroquin ſe cum matre loqui, continuo dicitur *(e)*:

> Καὶ πῶς ξένος σ' ὢν ἔσχεν, οὖσαν ἐγγενῆ;
>
> *Et quomodo peregrinus quum eſſet, te indigenam exiſtentem duxit.*

Adeo ut nec inter vicinas, etſi Græcas itidem civitates, *Athenienſes* puta & *Thebanos*, niſi fœdere aut pacto aliter eſſet inter eas conventum, jus connubiorum fuiſſe, vel inde, ut præterea obſervo, liqueat; quod inter eoſdem Athenienſes ac Thebanos decreto ſancitum tradat Demoſthenes *(f)*, συνθέσθαι δὲ πρὸς αὐτοὺς καὶ συμμαχίαν, καὶ ἐπιγαμίαν ποιήσασθαι, *paciſci cum iis de ineunda ſocietate, mutuiſque connubiis*, prout verti vox ἐπιγαμίας debuit: ac prout in eadem Oratione dixerat jam ante Demoſthenes de Byzantiorum ac Perinthiorum decreto, *(g)* Ἀθηναίοις δόμεν ἐπιγαμίας, πολιτείαν, *Athenienſibus damus connubia, civitatem*, & in quibus locis ἐπιγαμίαν per *adfinitatem*, voce latioris aut ambiguæ ſignificationis, vertit eruditus alioquin interpres. Ita in fœdere *Hierapytnenſium* & *Prianſiorum*, duarum in Creta urbium, & de quo facta jam ante mentio, inter alia, de quibus eædem civitates inter ſe paciſcuntur, ſancitur *(h)*, ἦμεν παρ' ἀλλήλοις ἰσοπολιτείαν καὶ ἐπιγαμίας, *mutua eſ-*

(e) Ibid. v. 294.
(f) De Corona p. 340.
(g) Ibid. p. 325.
(h) L. VI. p. 415.

ſe

se inter eas civitatis & connubiorum jura. Unde ob eadem connubia inter finitimos populos modo concessa, modo vetita, orta subinde dissidia: quomodo inter *Selinuntios* & *Egestanos* bellum susceptum tradit Thucydides *(i)* περὶ τε γαμικῶν τινων, ϗ περὶ γῆς ἀμφισβητήτου, *propter connubialia quædam*, seu juxta Græcum interpretem, *nuptiales contractus, & agrum controversiam.* Neque aliter cum Romanis actum: dum non solum decemvirali olim lege *(k)*, vetita inter patritios & plebeios, quod vulgo notum, connubia, duæque inde, ut aiebat apud Livium *(l)* tribunus plebis Canuleius, ex una civitate fierent: sed etiam, sublata postea eadem lege, non omnibus ideo, qui civitate cæteroquin erant donati, connubia fuerint olim data; immo ea subinde inter ipsos vicinæ regionis, aut eorum, qui sub eodem etiam gentis nomine vulgo continebantur, populorum cives, ab iisdem Romanis vetita vel adempta. Hinc Livius *(m)*: *Cæteris Latinis populis CONNUBIA commerciaque & concilia inter se ademerant*; & alibi de tribus Hernicorum *(n)* populis; *CONNUBIUMQUE inter ipsos, quod aliquamdiu Hernicorum soli habuerunt, permissum: Anagninis, quique arma Romanis intulerant, CIVITAS sine suffragii latione data, concilia CONNUBIAQUE adempta.* Quæ inter unius etiam gentis populos connubia a Romanis itidem, victis Macedonibus, & quamquam ii liberos eosdem, & cum jure suarum legum relinquerent, prohibita, docet rursus idem Livius. Postquam enim in quatuor regiones dividi a Romanis Macedoniam, e decem Legatorum sententia edixisset præco, additur *(o)*: *Pronuntiavit deinde, neque CONNUBIUM, neque commercium agrorum ædificiorumque inter se place-*

(i) L. VI. p. 415.
(k) Dionys. Hal. L. X. p. 674. Liv. L. IV. c. 4.
(l) Ibidem.
(m) L. VIII. c. 14.
(n) L. IX. c. 43.
(o) L. XLV. c. 29.
(p) L. XXXVIII. c. 36.

re-

re cuiquam extra fines regionis suæ esse. Callido nempe Romanorum consilio, ne mutuis adfinitatibus & commerciis juncti inter se vel Latini, vel Macedones, eo promptius in Romanos consociati dein arma verterent. A Romanis proinde connubia, ne cum omnibus quidem civibus seu in civitatem receptis, olim, ut modo diximus, recepta; cum aliis autem, qui cives Romani non essent, prorsus interdicta. Hinc alibi de Campanis, quibus pridem ante, quod supra vidimus, civitas erat, sed sine suffragii latione, data, quique priore anno in Urbe jam fuerant censi, ait idem Livius *(p)*: *Petierunt, ut sibi CIVES ROMANAS ducere UXORES liceret, & si qui prius duxissent, ut habere eas, & ante eam diem nati, uti justi sibi liberi heredesque essent: utraque res impetrata.* Qua ratione itidem factum, ut nati e Romanis civibus vel alienigenis mulieribus, tanquam totidem hybridæ, *novum genus hominum,* dicantur alio apud Livium loco, & de quibus quid a Senatu sit decretum, traditur: *Et alia NOVI GENERIS HOMINUM ex Hispania legatio venit: ex militibus Romanis & ex Hispanis mulieribus, CUM QUIBUS CONNUBIUM NON ESSET, natos se memorantes, supra quatuor millia hominum: orabant, ut sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decrevit, ut nomina sua apud L. Canuleium profiterentur*: ac, quod addit, ut ex iis colonia, eaque *libertinorum* dicta, in eadem Hispania deduceretur. De Campanis alioquin id jam alibi monuerat Livius, ac unde quibus gradibus præcipua populi Romani beneficia vel jura in eos fuerint collata, liquidius constat: *(q) ipsos fœdere primum, dein CONNUBIIS, atque inde cognationibus, postremo CIVITATE nobis conjunximus.* Nempe juxta illud, quod ab eodem Canuleio Tribuno plebis, de quo paullo ante, dictum jam olim fuerat: *(r) nos*

(p) L. XLIII. c. 3.
(q) Lib. XXXI. c. 31.
(r) Lib. IV. c. 3.

quidem

quidem CIVITATEM, quæ plusquam CONNUBIUM est, hostibus etiam victis dedimus. Unde insuper illud liquet, non demum post concessam a Romanis, uti postea id statutum constat, civitatem, sed etiam ante eandem impertitam, jus connubiorum finitimis populis ac civitatibus, antiquis illis liberæ urbis temporibus, subinde ab iis datum.

Restricta vero dein ea *connubiorum* inter cives Romanos libertas exstitit, eosque proinde, qui prius municipii, dein civitatis, lege Julia toti Latio, ac mox Italiæ concessæ, jure, pro civibus itidem Romanis habebantur. Quomodo ductam vel a M. Antonini patre Numitoriam Fragellanam; aut a Philippo, Aricinam; vel a C. Marcello, Aricinæ filiam memorat, ac in duabus etiam hisce commendat Cicero, de quibus nempe addit, *(n) quos certe scio dignitatis optimarum feminarum non pænitere.* Cum provincialibus autem seu peregrinis, qui nempe eo civitatis jure necdum gaudebant, haud aliter ac cum iis, qui hactenus Latinæ tantum erant conditionis, seu Latini liberti, vetita adhuc sub Cæsaribus ante Caracallam connubia: quæ erant quippe inter propria & privata Quiritium jura. Quod de *peregrinis* equidem observat noto ea de re re loco Seneca: *(u) Promisi tibi filiam in matrimonium, postea PEREGRINUS apparuisti: non est mihi cum EXTERNO CONNUBIUM.* Utrisque vero tam peregrinis, quam Latinæ conditionis hominibus, interdicta ad Antonini Caracallæ ætatem, nisi id *(x) beneficio principali* seu speciali Imperatoris concessione impetrassent, docet in Fragmentis Ulpianus: *(y) Connubium habent cives Romani cum civibus Romanis: cum Latinis autem & peregrinis, ITA SI CONCESSUM.* Quomodo certe *peregrinis*, qui plura stipendia in Romanorum exercitu meruerant, una cum ci-

(t) Philipp. III. c. 18.
(u) De Benef. L. IV. c. 35.
(x) Frag. Tit III. S. 1.
(y) Ibid. Tit. V. S. 4.

vitate jus connubii jam ante a Romanis Imperatoribus subinde datum legitur. Cujus utique rei fidem idoneam præstant aliquot antiquæ tabulæ æneæ, seu quæ exstant signatæ in iisdem Inscriptiones, quarum facta est in priori Exercitatione, ubi de data emeritis id genus militibus civitate agebatur, mentio. E quibus autem unam hic proferam, quæ de reliquis fidem faciat, cujus etiam priorem partem, de data nempe iisdem veteranis aut emeritis militibus civitate, jam supra adduximus: in qua nempe Domitianus militantibus quibusdam in Dalmatia, *(z) Qui PEREGRINÆ CONDITIONIS PROBATI ERANT &c. Et Quina Et Vicena Stipendia Aut Plura Meruerant.* Item *Dimissis Honesta Missione Emeritis Stipendiis Liberis Posterisque Eorum CIVITATEM DEDIT ET CONNUBIUM CUM UXORIBUS QUAS TUNC HABUISSENT Cum Est Civitas Iis Data Aut Si Qui Cælibes Essent Cum Iis QUAS POSTEA DUXISSENT Dumtaxat Singuli Singulas.* Quod jus *connubii* una cum civitate, cum ab eodem Domitiano, *(a) Iis Qui Militant in Classe Flavia Mæsica* in Pannonia; tum ante a Vespasiano, *(b) Iis Qui Militaverunt In Classe Ravennate*, emeritis itidem; tum postea ab Hadriano, *(c) Iis Qui Militaverunt In Classe Prætoria Misenensi*, iisdem verbis datum in tribus proximis ibidem inscriptionibus legitur. Accedit, quod M. Antonini temporibus, una cum porrecta ad præsidiarios in limitibus imperii limites, & ad primores nobilissimarum urbium & locupletes in iisdem, quod supra vidimus, Romana civitate, data quoque iis connubia; & jns illud inde latius in Orbe Romano communicatum, liceat ex adductis itidem jam ante Aristidis verbis colligere: *(d)* ΓΑΜΟΥΣ ΤΕ ΚΟΙΝΟΥΣ *ποιήσαντες ϰ συντάξαντες, ὥσπερ ἕνα οἶκον, πᾶσαν τὴν οἰκουμένην,* *COMMUNIA etiam CONNNUBIA*

(z) Grut.Thes.DLXXIV. 5.6.
(a) Ibid. DLXXVI. 1.
(b) Ibid. DLXXIII. 1.
(c) Ibid. S. 2. 3.
(d) Orat in Romam p. 395.

conce-

concedentes, & universum orbem, tanquam unam domum, constituentes.

Quo loco, & ne haud una vocis *peregrini*, in hisce Romanarum legum vel constitutionum Imperialium, aut scriptorum rerum Romanarum monumentis acceptio, cuiquam sit fraudi, ea de re aliquid hic omnino monendum est. Id quidem ad Ammianum Marcellinum, ubi de *peregrinis*, ob alimentorum inopiam ab urbe tum pulsis, ei sermo, *(e)* observat doctissimus Valesius; quod apud Suetonium, a quo ille simile sub Augusto factum referri notaverat, & illius ævi scriptores, *peregrini* opponantur civibus Romanis. Post legem vero Caracallæ, qua omnibus in orbe Romano agentibus civitas data est, *peregrini* Romæ dicti sint, qui non essent oriundi ex urbe Roma. Verum ut ea de re, & latius adhuc patente vocis *peregrini* apud Romanarum rerum vel legum conditores, ac apud ipsum Ammianum usu, certius quid constet, quatuor omnino in iisdem occurrere vocis illius significationes videas. Prima quidem, & antiquissima, eaque obvia, exstitit, qua *peregrini* a Romanis dicti, qui ex aliis civitatibus aut regionibus in urbem advenæ confluebant; & quorum, incolatus nempe non civium jure gaudentium, constitutus jam olim *Peregrinorum* in urbe Prætor, qui inter eos jus diceret. Quomodo proinde *peregrini* dicti tum promiscue vel Italici, vel provinciales, qui non erant inter Romanos cives censi, vel adsciti. Quo sensu etiam in adductis paullo ante cum Senecæ, tum Ulpiani locis, de contrahendo Romanorum *cum civibus Romanis*, non vero *cum peregrinis connubio*, nisi id speciali, juxta Ulpianum, Principis concessu sic indultum, ea vox *peregrini* satis aperte intelligitur. Altera vero hujus vocis significatio exstitit, qua post civitatem, Antonini constitutione omnibus in orbe Romano datam, dicti subinde, & quod ve-

(e) In Notis ad Lib. XIV. c. 6.

re monuit Valesius, *peregrini*, qui non oriundi erant ex urbe Roma, seu Romani indigenæ; & qua proinde appellatione, non a civibus Romanis in genere, seu, qui eo jure civitatis tum gaudebant in orbe Romano ingenuis, sed ab ipsis urbis civibus distinguebantur. Quomodo tum adducto paullo ante apud Ammianum loco, ubi de ξενηλασίᾳ, seu *peregrinis* Roma, ob alimentorum penuriam sub Constantio pulsis; tum aliis apud eum locis, vox eadem *peregrini* sumitur, quemadmodum ubi de Romanorum ea ætate conviviis agens, ait: (*f*) *an exceptis iis, quibus vicissitudo debetur*, PEREGRINUM *invitari convenit*; eandemque, in rem alibi: (*g*) *civilitatis autem hoc apud eos est nunc, quod expedit* PEREGRINO *fratrem interficere cujuslibet, quam rogatus ad convivium excusare.* Immo quomodo *peregrini* dicuntur itidem in Valentiniani senioris, quæ exstat in Codice Theodosiano, constitutione: (*h*) *Equites Romani, (quos secundi gradus in urbe omnium obtinere volumus dignitatum) ex* INDIGENIS ROMANIS *&* CIVIBUS *eligantur; vel ex his* PEREGRINIS, *quos Corporatis non oportet adnectis*; ubi nempe, quod monuit ibidem accuratus & eruditus (*i*) interpres, *peregrini* non civibus Romanis in genere, sed indigenis Romanis iisque civibus opponuntur: qui nempe non erant oriundi ex urbe, etsi in ea haberent domicilium. Adeo ut ea in re potior quædam ratio habita adhuc fuerit Equestris illius ordinis, ut ille potissimum ex indigenis urbis civibus constaret, quam ipsius Senatorii ordinis; quos ea ætate ad arbitrium Principum, ac inter alia, (*k*) Palatinæ honore militiæ ac stipendiis ad eam dignitatem evectos, e constitutionibus eorundem Principium, & actis illorum tem-

(*f*) Lib. XIV. c. 6.
(*g*) Lib. XXVIII. c. 4.
(*h*) Leg. Un. C. Th. de Equestr. Dignit.
(*i*) J. Gothof. Com. Ibidem.
(*k*) Vid. Leg. II. C. Th. de Senator. Item eodem L.I. de Præpos. Labor.

porum,

porum, abunde constat. Quo spectat proinde illius vocis *peregrini* usus, de eo, qui quamquam foret civis Romanus, aut parentibus civitate jam donatis natus, gente tamen & origine *peregrinus* erat seu *alienigena*; quomodo Alexander in Syria natus, sed patre jam Senatore, *homo Syrus alienigena*, quod supra vidimus, apud Lampridium dicitur. Qua ratione quoque in literis a Caro, imperium adepto, ad Senatum scriptis apud Vopiscum legitur: *(l) Gaudendum est itaque, P. C. quod unus e vestro ordine, vestri etiam generis Imperator est factus. Quare adnitemur, ne meliores PEREGRINI, quam vestri esse videantur*; & quibus verbis, ad dictum Alexandrum Severum, utpote *alienigenam*, inter alios *peregrinos* Imperatores bonos respici, bene monet Casaubonus. Immo quam in rem ab utroque Victore, in Domitiano ac Nerva dictum opportune: *Hactenus Roma seu per Italiam orti imperium tenuere: hinc ADVENÆ: dein Romam EXTERNORUM virtute, atque insitivis artibus præcipue crevisse. Quid enim Nerva Narniensi (*nullus enim *Cretensi* hic apud priorem Victorem locus*) prudentius magisque moderatum?* & quod ab altero Victore additur, *quid Trajano divinius? quid præstantius Hadriano?* utroque nempe, & qua de re jam ante, natis ex Hispanis parentibus, sed in Senatum jam adlectis: Quo referri itidem debet, id quod de Claudio Pompeiano, M. Antonini Imperatoris & Faustinæ genero, ab eadem Faustino in litteris ad Marcum conjugem scriptis dicitur: *(m) Pompeianus gener, & senior est, & PEREGRINUS*; nempe, quod etsi Equitis Romani, juxta Capitolinum in *(n)* Marco, & proinde patre jam cive, foret filius; idem tamen non esset Romanis majoribus ortus, seu origine Romanus, sed quod ab eodem Capitolino ibi additur, *genere Antiochensis: peregrinus* proinde ibi a Faustina dictus, sicuti *advenæ*, & *externi*, seu *peregrini*, dicti, ut modo vidimus, ab utroque Victore, Ner-

(l) In Caro c. 5.

(m) Vulcatius Gallican. in Cassio c. 10.

(n) In M. Antonino c. 20.

va;

va, Trajanus, & Hadrianus: quod etsi cives Romani, & e civibus parentibus, immo Trajanus consulari; Hadrianus prætorio nati, non essent origine seu *genere* Romani, sed Nerva, Narnia oppido; duo reliqui Hispani, ac Italica in ea gente urbe orti. Unde haud necesse est omnino, ut juxta doctissimum Casaubonum, illis Faustinæ de Pompeiano tanquam *peregrino* verbis, generis obscuritas continuo denotetur: idque inde, quod si proprie acciperetur, falsum esset fuisse Pompeianum *peregrinum*, hoc est non civem Romanum: Antonini enim constitutione, cum cæteris omnibus in orbe Romano civem fuisse effectum. Sed de qua τῦ πάνυ, & quam alibi jam ante adtulerat, Antoninum Pium auctorem hujus constitutionis statuentis, sententia abunde in superioribus confutata, non occurrit amplius hic dicendi locos. Tertia vero hujus vocis *peregrini* appellatio, subinde in Romanis illius ævi scriptoribus, aut Constitutionibus Imperatorum occurrit, qua quis respectu unius provinciæ, quam inhabitat, natus, alterius civitatis aut provinciæ civis, *peregrinus* dicitur: sicut in Arcadii constitutione ejusdem Codicis Theodosiani: (o) *si quis Judicum, vel civem Provinciæ, quam regit, aut certe PEREGRINUM, consiliarium sibi voluerit adsciscere &c.* Ibi enim *peregrinus* adsessor intelligitur, qui in alia provincia, quam in ea, ubi illo munere fungitur, est natus: nempe unius provinciæ civis, alterius vero incola. Quo sensu quoque vocem *peregrini*, in (p) alia Valentis constitutione; aut *peregrinos Episcopos & Clericos*, alterius nempe civitatis & provinciæ, dici itidem alibi in eodem Codice, observat ibi doctissimus Gothofredus. Quarta autem, & quæ jam est hujus loci, *peregrini* significatio, ea demum censeri debet, qua ille, post omnes in orbe Romano cives, Antonini constitutione, effectos, de *Barbaro* intelligitur; seu is extra Romani imperii fines ageret: seu vero sponte, vel captivi-

(o) Leg. I. C. Th. de Adsessorib. (p) Leg. X. C. Th. de Accusation.

tate

tate intra eoſdem receptus, nullo tamen Romanæ civitatis jure donatus, *Gentilis* adhuc vel *Dedititii* conditione viveret. Unde *alienigenæ*, & *peregrini* dicti alibi ab Ammiano Marcellino, qui Valentis Imperatoris permiſſu in Thraciam tranſierant Thervingorum nomine Gothi: ſicut loco ſuperiori capite, ubi de iiſdem Barbaris uti paſſim eos vocat, ſe ad præſtanda Romanis auxilio offerentibus agitur, jam adducto: (q) *ut collatis in unum ſuis* (Valens Imp.) *& ALIENIGENIS viribus, invictum haberet exercitum:* mox: (r) *ut alia omittimus, quæ &c. in commeantes PEREGRINOS adhuc innoxios deliquerunt*, Romanorum nempe eo tum tractu Duces. Ita a Prudentio, id genus Barbari, ſed qui tum ad connubia cum Romanis, uti ea de re mox, erant jam recepti, (ſ) *externi*; a (t) Syneſio pariter, aliiſque ξένοι, ſeu *peregrini* dicuntur; qui alioquin ea ætate generali *Barbarorum* nomine cenſebantur. Immo quomodo jam (u) alibi in hoc opere *Peregrinos* de *Barbaris* dictos in conſtitutione Theodoſii Junioris notavimus: (x) *Si qui &c. PEREGRINOS negotiatores ſine Comite commerciorum ſuſcipientes fuerint deprehenſi*, nempe Barbaros Perſarum Regi ſubjectos de quorum Romanorumve commerciis, quatenus eadem eſſent inter eos licita, actum erat ab eodem Principe (y) alia conſtitutione, quæ ibi quoque in Codice legitur. Spectat huc itidem, ut obſervo, id quod alibi in Codice Theodoſiano de Eunomianis, quibus teſtamenti factio, anterioribus Principum conſtitutionibus adempta, & Arcadii conſtitutione reddita dicitur: (z) *Eunomianis pœnas adimendæ teſtamenti factionis, PEREGRINORUMQUE mutandæ CONDITIONIS, remittimus.* Quum enim jus illud teſtamenti faciendi, & de quo paullo poſt, eſſet civium Romanorum proprium, hinc Eunomiani eo

(q) Lib. XXXI. c. 4.
(r) Ibidem.
(ſ) Cont. Symmach. c. 613.
(t) De Regno c. 25.
(u) Pag. 237.
(x) Leg. VI. C. Juſt. de Commerc.
(y) Leg. IV. Eodem.
(z) Leg. XXXVI. C. Th. de Hæreticis.

jure

jure antea exclusi, *peregrinæ conditionis* seu Barbarorum ea ætate pœnam, quod ibi dicitur, quamque iis remittit Arcadius, subierant. Qua ratione proinde, juxta adductos modo illius vocis *peregrini* usus, quatenus iidem vel a civibus Romanis, intra, vel extra urbis pomœria natis; aut ab indigenis Romanis; vel ab alterius provinciæ civibus distinguebantur; omnes tamen, post Antoninianam constitutionem, ac proinde seu Romani forent indigenæ, seu provinciales, cives erant Romani, non vero amplius *peregrini*: quo nomine tum Barbari, qui nullo gaudebant jure Romanæ civitatis censebantur.

Unde etiam post recepta promiscue inter cives Romanos, eosque tam in urbe vel Italia natos, quam provinciales, tanquam totidem, post Antoninianam constitutionem, Romanos cives, *connubia*: & sublatum inde inter *cives* Romanos, & *peregrinos* seu provinciales discrimen; vetita sunt postea horum provincialium cum Barbaris, hoc est qui nondum in Romanorum jura transierant, vel pro Barbaris adhuc sub *Gentilium* vel *Dedititiorum*, de quibus jam ante, nominibus, a Romanis habebantur, connubia. Docet id lex unica Codicis Theodosiani, quam tulit senior Valentinianus: (a) *Nulli PROVINCIALIUM, cujuscunque ordinis aut loci fuerit, cum BARBARA sit uxore CONJUGIUM nec ulli GENTILIUM PROVINCIALIS femina copuletur*: constituta etiam capitis pœna iis, qui ejusmodi adfinitates contraxerint. Ad quam vero legem videri potest diligens doctissimi Jac. Gothofredi adnotatio; ac insuper vetus interpretatio eidem legi subjecta, quæ per *provinciales*, ibi *Romanos* in genere designari agnoscit: *Nullus ROMANORUM BARBARAM cujuslibet gentis habere præsumat UXOREM, neque Barbarorum conjugiis mulieres ROMANÆ MATRIMONIO conjungantur.* Erat quidem jam ante, si fides Constantino Porphyrogennetæ, quo auctore solum ea nititur, lata a Constantino M. constitutio, qua omne Re-

(a) De Nupt. Gentilium C. Th. Tom. I. p.306.

giæ

giæ ſeu Imperiali domui matrimonium cum Barbaris interdicebatur (y) *exceptis ſolis Francis, εἰ μὴ κατὰ μόνων τῶν Φράγγων·* idque inde, juxta eundem Porphyrogennetam, quod ex illis partibus Conſtantinus eſſet oriundus; tum quod Francis cum Romanis, generis propinquitas magnaque intercederent commercia. Verum quæcunque huic conſtitutioni fides præſtari debeat, quæ vel *fabuloſa*, vel *fabulis contaminatiſſima* a (z) clariſſimo Codicis Theodoſiani interprete dicitur, id equidem liquere videtur, ante ejuſdem Conſtantini ætatem, ac proinde latam dein a Valentiniano, de qua modo, legem, haud ſemper a Romanis Principibus obſervatum, ut omne cum Barbaris connubium fuerit interdictum. Equidem jam olim a M. Antonio illud de Auguſto ſcriptum auctor eſt Tranquillus, quaſi Juliam filiam deſpondiſſet *Cotiſoni Getarum Regi: Quo tempore ſibi quoque invicem filiam regis in matrimonium petiiſſet.* De ipſo vero M. Antonio, vulgo notum haud cum provinciali quidem, ſed cum Barbara, nempe Ægyptia Cleopatra, connubium: quomodo in Epiſtola ad Auguſtum de eadem ait ipſe Antonius, *UXOR mea eſt*: quod equidem, & ob ſuſceptos ex ea liberos, eoſque pro legitimis ab eodem Antonio agnitos, tanquam contra Romanorum leges ac inſtituta vehementer ab iis culpatum, notant (b) Plutarchus ac (c) Dio Cocceianus. Quum tamen poſtea ſub Claudio Felicem libertum & Judææ Procuratorem, Druſillam Regis Agrippæ Judæi Sororem, eandemque, ut vel ex (d) Actis Apoſtolorum conſtat, Judæam, duxiſſe, e ſacro illo Scriptore & (e) Joſepho præterea liqueat: nullaque tamen inde nota cenſoria a Romanis, qui illius Felicis

(y) De Adminiſtr. Imper.
(z) In Comm. ad legem ſupra p. 308. T. I.
(a) In Auguſto c. LXIII.
(b) In M. Antonio p. 941.
(c) Lib. XLIX. p. 411.
(d) Cap. XXIV. v. 24.
(e) Antiq. L. XX. c. 15.

meminere, Scriptoribus perstrictus legatur, nisi quod in genere *trium reginarum maritus* a *(f)* Suetonio dicitur. Id vero forte inde factum liceret statuere, quod Antipater ejusdem Drusillæ abavus, civitate a J. Cæsare, quod in priori Exercitatione obiter e Josepho adtulimus, donatus fuerit; ac inde ejus posteri, ad quos jus illud transire solebat, eodem quoque fruerentur. Verum cui rei repugnare videtur Titi exemplum, qui ejusdem Drusillæ Sororem Berenicem, cum qua in Judæa *(g)* consueverat, invitus etiam dimittere fuit coactus & repudiare, quod populus id ægre laturus videretur; pactus alioquin cum eadem nuptias. Quibus autem addere licet Gallieni uxorem Saloninam, quam nomine *(h) Piparam Barbaram* (aut *Barbari* vel *Barbarorum*) *regis filiam* habuisse, tradit in ejus vita Trebellius Pollio; sed quem locum cum Cl. *(i)* Tristano ex utroque Victore omnino emendandum puto, ut hoc non de ejus uxore Salonina, sed de *Pipara* vel *Pipa* Gallieni pellice, eaque *Barbara* seu Barbari Marcomannorum vel Germanorum Regis, juxta alterum Victorem filia, sit dictum: quum Aurelianus postea *concubinas ingenuas habere* vetuit, ut de eo tradit in ejus vita *(k)* Vopiscus. Accedit, quod ab ipso Constantio, Arsaci Armeniæ regi, ac proinde Barbaro, Olympiada Ablabii Præfecti Prætorio filiam, eandemque defuncti fratris Constantii sponsam, in uxorem datam, refert *(l)* Ammianus Marcellinus, & exagitat, ut ad eum locum doctissimus Valesius jam vidit, Athanasius: *(m)* τὴν δὲ μνηστὴν αὐτοῦ τὴν Ὀλυμπιάδα ΒΑΡΒΑΡΟΙΣ ἐξέδωκε. *Sponsam autem ipsius Olympiadem BARBARIS dedit.* Quo equidem facto a parentis Constantini, si umquam ea fuit lata,

(f) In Tito c. VII.
(g) Dio L. LXVI. p. 732.
(h) In Gallieno c. III.
(i) Comm. T. III. p. 93.
(k) Cap. XLIX.
(l) Lib. XX. c. 11.
(m) Epist. ad Solitar. p. 385. ult. edit.

con-

constitutione, de qua paullo ante, descivit Constantius: quum non Francus utique, sed Armenius esset hic Arsaces. De cujus alioquin Armeniorum Regis cum hac Olympiade, ut hoc obiter addam, nuptiis non intelligendus est Gregorii Theologi, uti ad eum a Jac. Billio factum video, in Epistola ad Procopium locus (*n*), γάμους εἱστιῶμεν, ἴσως ἐρεῖς, καὶ ταῦτα τῆς χρυσῆς Ὀλυμπιάδος καὶ σῆς, καὶ παρῆν ἐπισκόπων ὅμιλος, *nuptias celebramus, forsan dixeris, idque aureæ* seu *pulcræ atque tuæ Olympiadis; ac grex Episcoporum aderat.* Neque enim huic Procopio quidquam cum illo Rege Arsace commune; nec Gentilis Armeniorum Regis cum ejusdem Ablabii filiæ nuptiis magnum Episcoporum cœtum interfuisse facile quispiam statuet; aut vero in iisdem expetitam valde hujus Gregorii præsentiam. Hanc vero latam a Valentiniano constitutionem, qua *cujuscunque ordinis vel loci provinciali seu Romano* (ut easdem voces ibi pro eodem sumit, cum vetus, ut vidimus, tum novus ejusdem legis interpres) connubium cum Barbara; aut ulli Gentilium vel Barbarorum cum provinciali femina, sub capitali pœna interdictum, a Theodosio M. mox neglectam, docet adductum ab eodem Cl. Gothofredo exemplum Phrabiti, seu ut a Zosimo aliisque dicitur, Fravittæ, nempe Gentilis Gotthi, cui provincialem uxorem desponsam tradit in Excerptis (*o*) Eunapius. Immo cui addendus est Stilicho; qui, etsi, ut aliunde constat, Vandalus, sub eodem Principe Serenam, Honorii ipsius (*p*) filiam, & ex qua duas suscepit Augustas, duxerit. Unde sub illius filiis Honorio & Arcadio, ea inter provinciales & Barbaros connubia locum habuisse ostendit, qui de iis graviter queritur, Claudianus (*q*):

(*n*) Epist. LVII.
(*o*) Pag. 22. edit. Reg.
(*p*) Zosim. L. I. c. 57. & L. V c. 4.
(*q*) Bell. Gildon. v. 90. &c.

Mauris clarissima quæque
Fastidita datur: media Carthagine ductæ,
BARBARA Sidoniæ subeunt CONNUBIA matres.
Æthiopem nobis generum, Nasamona maritum
Ingerit: exterret cunabula degener infans.

Quod tangit etiam alius ejusdem ævi *(r)* Poeta, & cujus jam adduxit ea de re versus idem laudatus Codicis Theodosiani interpres:

Distantes regione plagæ, divisaque ponto
Littora conveniunt nunc per vadimonia ad unum
Et commune forum: nunc, per commercia & artes,
Ad cœtum celebrem: nunc per genialia fulcra
EXTERNI AD JUS CONNUBII: nam sanguine mixto
Texitur alternis ex GENTIBUS una propago.

Unde ipsam Valentiniani constitutionem velut jam abolitam; aut quod Gentiles illi Barbari, Justiniani ætate non essent amplius in Imperio Romano, a Triboniano in Codice Justinianeo omissam, observat idem laudatus Gothofredus. A quo cæteroquin Triboniano in Justinianeis Institutionibus, illud dici notum, *(s) justas autem nuptias inter se cives Romani contrahunt*; sed a multis & præstantibus Juris interpretibus vulgo male acceptum. Ab *(t)* his enim id demum dici traditur, quod jam ab Ulpiano pridem, cum Latinis, peregrinis, servis, connubium non esse dicitur: quum tamen post civitatem omnibus in Orbe Romano ab Antonino Caracalla impertitam, longe magis diffusa exstiterit Romani *civis* appellatio; eaque de iis, qui *peregrini* seu *provinciales* ibi ab Ulpiano dicuntur, & inde

(r) Pruedntius. contr. Symmach. L. II. v.611. &c.
(s) Inst. Lib. I. Tit. X.
(t) Vid. Fabrottum & Vinnium ad eum locum.

a con-

a connubiis cum Romanis civibus erant tum exclusi, usurpata. Unde accuratius ab aliis, & opportunius ad eadem Justiniani verba, hujus Antoninianæ constitutionis fit mentio; qua nempe, ut (u) addunt, *civium* numero habeantur omnes, qui in Orbe Romano degunt. Inter quos tamen Romani Orbis cives, quod obiter hic addendum est, restricta fuit subinde intra unum Corporum ex iis genus, ea connubiorum facultas: prout aliquot legibus a Constantio, Valentiniano, & Arcadio, ac Honorio latis, quæ exstant (x) in Codice Theodosiano, cavetur, ut pistorum filiæ iis tantum nubant, qui pistorio Corpori essent adnexi, aut ut illi eidem continuo deputentur: neutiquam vero alterius conditionis privatis, aut Thymelicis, seu Scenicis, & Aurigis Circensibus eædem collocentur. Quo referri insuper potest Imp. Zenonis, quæ in Codice Justinianeo legitur, constitutio, qua cavetur, *si liber colonus vel colona libera, Tamiaca vel Tamiacæ matrimonii jure copuletur, filii vel filiæ in hujusmodi contubernio procreati vel procreatæ, colonis dominicis adnectentur*; & ad quem locum consuli possunt juris Justinianei interpretes, qui fuerint id genus *tamiaci*, *ταμιείῳ* nempe seu *cubiculo* vel *cellario* principis addicti servi.

(u) Anton. Pereg. ad Instit. d. l.

(x) Leg. II. XIV. & XXI. C. Th. de Pistorib.

(y) Leg. I. C. Just. de Præd. Tamiac.

CAPUT

CAPUT XXIII.

JUS PATRIÆ POTESTATIS, *ac similiter* TESTAMENTORUM, *post Antonini constitutionum*, ad provinciales *exporrectum*. JUS *illud* PATRIUM *proprium* civium Romanorum, *Plinii Junioris & Gaii J. C. loca ea de re adducta & explicata: ac viri eruditi error de loco Plinii notatus.* Deportati, *qui in jure Romano modo ab* exulibus *distincti, modo* exules *etiam dicti*, jure patriæ potestatis *multati, non vero* Relegati. De jure *illo* Parentum in liberos, *qui dicti inde a Romanis* in paternis, *vel* in paternis ſacris, *aut solum* in ſacris conſiſtere; *quod olim, Atheniensium aut Gallorum exemplo fuit vitæ & necis, restricto postea & abolito.* JUS TESTAMENTORUM *inter propria itidem* jura Quiritium, *commune* provincialibus *post communicatam iis civitatem*, *similiter factum. Id ex Constitutionibus Imperatorum adsertum: ac præterea ex iis, quæ in Codice Theodosiano in* Hæreticos *aut in* Apoſtatas *latæ, omne* Teſtamen-

ſtamentorum jus *iiſdem adimunt*, *eoſque in* peregrinorum conditionem *redigunt*, *confirmatum & illuſtratum.*

EQuidem præter jus illud *connubiorum*, fuerunt alia inſuper privata Quiritium jura, ſicut *PATRIÆ POTESTATIS*, quod *jus proprium civium Romanorum*, cum a *(a)* Gaio J. C. tum ſequutis adhuc ætatibus ab Imp. *(b)* Juſtiniano, ac inde *juris civilis* a *(c)* Theophilo dicitur: uti & alterum illud *TESTAMENTI FACTIONIS* ac *Herodis inſtituendi*, quibus nempe id ex Quiritium legibus licuit, beneficium; quod poſtea omnibus in Orbe Romano ingenuis, eadem Antonini conſtitutione, eſt indultum.

Ad *JUS* quidem illud *PATRIUM*, quod adtinet, id inter cives duntaxat Romanos locum olim habuiſſe, cum aliunde, tum e Romani juris conditoribus ſatis liquet. Quibus accedit junior Plinius, qui *(d)* dum Chryſippo cuidam, ejuſque uxori ac liberis civitatem a Trajano petit, addit continuo, *ita ut ſint in patris poteſtate:* non utique quod per *civitatem*, quam ibi a Principe flagitat, *vetus* demum *Latium*, ut ad Tacitum cenſuit vir *(e)* eruditus, & quod ſupra jam confutavimus, intelligi debeat, quæ civitatis proinde largitio fuerit a jure Quiritium, cujus pars erat *patria poteſtas*, diverſa: ſed ut hanc in liberos poteſtatem, tanquam proprium ac peculiare *Romanæ* illius *civitatis* ſeu *Quiritium* jus ac beneficium, inde continuo conſequeretur eorundem liberorum parens. *Jus enim illud patrium* proprium fuiſſe, quod dixerat pridem

(a) Leg. III. D. de H. Q. I. V. ad Jur.
(b) Inſt. Lib. I. Tit. IX.
(c) Ibidem.
(d) Lib. X. Epiſt. 6.
(e) Theod. Rycquius Not. ad Tacit. Hiſtor. I. c. 78.

(*f*) Gai-

(*f*) Gaius J. C. *civium Romanorum*, adeo ut *nulli alii* essent *homines*, *qui talem in liberos habeant potestatem*, autor est ipse, quod juris civilis tironibus notum, (*g*) Justinianus: ut ad alios proinde, qui jure tantum *Latii* gauderent, nullatenus spectaret. Hinc etiam filium, qui in patris potestate, & adjecta quidem caussa, (*h*) *EX JURE ROMANO*, sive, quod ibidem additur, *EX LEGE QUIRITIUM*, *vindicare* parentem posse, ab Ulpiano traditur: & a Gaio jam ante in Institutionibus, (*i*) *quod non potest FILIUM CIVEM ROMANUM in potestate habere homo PEREGRINÆ conditionis effectus*, nempe pater, ut id continuo tangit, in exilium missus, aut exulis filii, ac proinde peregrinæ conditionis facti, parens. Quod tamen de relegatis in insulam, sive ad tempus, sive etiam in perpetuum non debet intelligi; *qui* nempe *liberos suos in potestate*, quod ait (*k*) Marcianus J. C. *retinent*; idque inde, quod iidem *relegati civitatem Romanam*, ut de his alibi (*l*) Ulpianus, *non amitterent*; sicut amittebant, ut ibidem traditur, ac in priori Exercitatione vidimus, (*m*) *in insulam deportati*. Unde exules illi *peregrinæ conditionis*, quod ait Gaius effecti, & qui inde amittebant jus patriæ potestatis, vel de *deportatis* debent intelligi, qui alioquin ab exilio multatis distinguuntur a (*n*) priscis Jurisconsultis, non tamen, in quodam Rescripto Hadriani, de quo supra, aut in altero Arcadii quod exstat in Codice Theodosiano, ubi de ambitus reo dicitur, (*o*) *deportationis mul-*

(*f*) Leg. III. ut supra.
(*g*) Inst. de Patria Potest. Sect. 2.
(*h*) Leg. I. Sect. 2. D. de Rei Vindic.
(*i*) Inst. Tit. VI. Sect. 2.
(*k*) Leg. IV. D. de Interd. & Releg.
(*l*) Eodem Leg. VII. Sect. 3.
(*m*) Ulp. Leg. VI. Eodem.
(*n*) Vid. Leg. V. VI. Eodem.
(*) Exerc. I. p. 33.
(*o*) Leg. I. C. Th. Ad Leg. Jul. de Ambitu.

tatur

tatur exilio, aut in alia constitutione Theodosii Junioris: ubi reperti fuerint Eunomianorum Clerici, *(p) qui auctores iterati baptismatis exstiterunt, comprehensi in perpetuum sub pœna DEPORTATIONIS ad EXILIUM deducantur.* Adde Ammianum Marcellinum, apud quem Valentiniani jussu, Claudius quidam Tribunus *in exilium* actus dicitur, hoc est *deportatus*; ut liquet e proximis ibidem verbis: *(*) nec Claudius, nisi post Valentiniani obitum DEPORTATIONIS mæstitia liberatus*: aut, quum apud eundem Ammianum legas, quod sub Juliano Imp. Evagrius Comes rei privatæ, Saturninus insuper ac Cyrinus *(†) portati sunt in exilium*: ubi pro *portati*; vel *deportati* legendum, vel pro *deportati* intelligitur. Aut vero de illo voluntarii exilii genere agere Gaius censendus est, commemoratis supra verbis, de exule patre, aut filio, & qui inde *peregrinæ conditionis effectus*, quo nempe *exilio* Romana civitas, ac inde *patria potestas* amittebatur. Nempe, ut ea de re dicentem pro Balbo *(q)* Tullium in eadem Exercitatione vidimus, qui Roma profugi cives Romani, se in aliam civitatem, cives ibidem continuo facti, receperant; amissa proinde seu rejecta Romana civitate: *quod ex jure nostro*, Romano utique, *duarum civitatum civis esse nemo potest.*

Idem vero *jus patrium*, post Antonini constitutionem, commune deinceps exstitisse provincialibus, seu qui antea *peregrini* dicebantur, vel inde licet continuo statuere; quod de *liberis*, qui in *(r) paternis*, seu *(s) parentum sacris*, vel solum *(t) in sacris*, ut id sæpe ex libris juris

(p) Leg. LVIII. C. Th. de Hæreticis.
(*) Lib. XXIX. c. 3.
(†) Lib. XXII. c. 3.
(q) Orat. pro Balbo c. 11.
(r) Leg. XXXI. Cod. de Fideicom.
(s) Leg. ult. S. 2. D. de Inoff. &c. L. XX. D. de Nuptiis L. VII. Cod. de Curat. Furiosi.
(t) Leg. XII. Cod. de Collat. L. XI. Cod. Commun. de Success.

Romanorum civilis obvium (nempe *nominis & sacrorum*, ficut de duobus P. Æmilii filius, ait (*u*) Livius: aut de arrogando Aureliano (*x*) Vopiscus) constituti dicebantur, haud infrequens fiat mentio in constitutionibus sequentium Imperatorum ad varios Provinciarum Præsides latis: ac inde speciales etiam tituli, occurrant *de Patria Potestate* in Codice & in Institutionibus Justinianeis. Ita ab Alexandro Severo, qui Antoninum legis, quam his Exercitationibus expendimus, latorem, (*y*) *parentem meum* haud semel in editis a se constitutionibus nuncupat, decerni videas; ut qui pietatem patri debitam non agnoscit, & in ea contumacia etiam a patre castigatus, remanserit, Præsidi provinciæ, qui in eum severius animadvertat, a patre offeratur; ut id in illius Principis (*z*) Rescripto legitur. Nempe post patriam illam vitæ & necis in liberos, quæ apud Romanos, uti id in alia Constantini Imp. lege dicitur, olim erat permissa, restrictam dudum & abolitam dein potestatem. Quod utique vel ex Imperatoris Hadriani, patrem, qui in venatione filium necaverat, quod novercam adulterasset; in insulam deportantis, & cujus (*a*) Marcianus J. C. meminit, facto liquet; idque inde quod juxta eundem Hadrianum, *patria potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere.* Cujusmodi alioquin potestatem, ut hoc addam, olim apud Athenienses, primos Romani juris auctores, & lata a Solone, quod vel e (*b*) Sexto Empirico, & Græcorum (*c*) ad Hermogenem Commentariis liquet, ἀκρίτων lege, &

(*u*) Lib. XLV. c. 40.
(*x*) Vopisc. in Aurelian. c. 45.
(*y*) Leg. VIII. Cod. de Edend. Leg. II. Cod. de Cornel. de Sicar.
(*z*) Leg. III. Cod. de Patria Potest.
(*a*) Leg. V. D. Ad Leg. Pomp. de Parricid.
(*b*) Hypoth. L. III. p. 24.
(*c*) Anonym. in Hermog. p. 355.

quæ

quæ apud Romanos etiam obtinuit, qua parenti licuit indemnatum filium occidere: & similiter olim Galli, apud quos, luculento teste (d) J. Cæsare, *viri in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisque habent potestatem.* Illa vero, quæ abolita atroci adeo & naturæ adversa immanitate, e veteri Quiritium jure, eoque civium Romanorum proprio, remansit patria in liberos potestas, una cum late ampliata civitate, ad omnes Romani imperii ingenuos est itidem propagata. Hinc utique de *emancipatis*, seu qui illa patria potestate soluti erant, liberis constat: quod quæ de iis, civilibus Quiritium, & ad cives proinde Romanos respicientibus, erant sancita, latius quoque extensa leguntur in illis Imperatorum, qui post Antoninum Caracallam Orbi Romano præfuerunt, Rescriptis vel Edictis.

Idem vero de TESTAMENTI FACTIONE ac heredis instituendi facultate censeri debet: quod olim ex jure Quiritium Romanis erat peculiare; unde a (e) Varrone pridem dictum, *jure Quiritium adquirebatur dominium hereditatis*; nec ad peregrinos proinde seu provinciales olim porrigebatur: qui & inde a Vicesimæ hereditatum vectigali, quod supra vidimus, ante Antoninianam constitutionem, de qua hic agitur, erant immunes. Unde quo vere civem Romanum Archiam, non vero peregrinum evinceret Cicero, (f) *& TESTAMENTUM inquit, sæpe FECIT NOSTRIS LEGIBUS, & adiit hereditates civium Romanorum.* Quomodo alioquin cum *deportati*, qui civitatem nempe amiserant; tum *dedititii*, qui cives Romani non erant, *tanquam peregrini*, nec testamentum facere, nec heredes institui, quod e (g) civilibus Romanorum legibus constat, a civibus Romanis poterant:

(d) Bell. Gall. L. VI. c. 18.
(e) Lib. II. de R. R. c. 10.
(f) Orat. pro Archia c. 5.
(g) Leg. VIII. Sect. 3. D. Qui Testam. &c. Leg. I. Cod. de Hered. Inst.

quum tamen, ut alibi ex *(h)* Ulpiano discimus, relegatus, sive ad tempus, sive in perpetuum, *qui civitatem Romanam retinet, testamenti factionem non amittit.* Qui vero ad ferrum, aut ad bestias, aut in metallum damnabantur, libertatem, adde & cum ea civitatem amittebant; ac inde, quod ait Gaius J. C. *(i) oportet amittere eos testamenti factionem.* Illud autem testamentum faciendi jus Romanis legibus, ac hereditatem adeundi, ad eosdem provinciales, post civitatem iis ab Antonino datam, similiter exporrectum liquere potest, e variis sequentium Imperatorum constitutionibus, & missis ad Provinciarum Præsides Edictis. Quo referri inter alia debet Imp. Diocletiani *(k)* constitutio, qua, ubi testes non in conspectu testatoris testimoniorum officio functi sunt, testamentum nullo jure valere dicitur; addita demum hoc exceptione, *si non speciali privilegio patriæ suæ observatio relaxata est.* Unde utique constat, *testamenti factionem*, legibus Romanis, seu juxta juris civilis solemnia passim tum recepta, nisi, ubi speciali aliquo privilegio iis esset derogatum, ut jure valeret, fuisse peragendam. Cujus autem rei pleniorem adhuc fidem facit Theodosii Junioris de Testamentis ordinandis & heredis institutione, *(l) ad populum urbis Constantinopolitanæ*, sed simul *ad omnes provinciales*, Edictum: unde certe id liquet provinciales promiscue tum habuisse condendi Testamenti, jure Romano, potestatem. Immo quam in rem expressa adhuc leguntur Imp. Justiniani verba; ubi quum de rusticis meminisset, qui in Testamentorum ordinatione sub certa definitione legum instituta, præ earum subtilitate custodire illam in suis ultimis voluntatibus non possent, addit: *(m) sancimus itaque IN OMNIBUS*

(h) Fragm. Tit. XXII. S.2.
(i) Leg. VII. D. de Interd. & Releg.
(k) Leg. IX. Cod. de Testam.
(l) Leg. XX. Cod. Eodem.
(m) Leg. XXXI. Cod. Eodem.

quidem

quidem CIVITATIBUS, & in castris ROMANI ORBIS, OMNIA, quae in libris Digestorum seu Institutionum & Imperialibus sanctionibus, in ordinandis Testamentis cauta sunt, observari: in iis vero locis, ubi raro inveniuntur homines litterati, rusticanis concedimus, antiquam eorum consuetudinem legis vim obtinere. Quibus autem prioribus illius Edicti Justinianei verbis, non inducta tum primum in Romani orbis civitates, ea, Quiritium legibus primum, & dein Imperatorum constitutionibus, definita Testamentorum ordinatio: sed id demum provisum, ut illa non fraudi esset rusticis ac illiteratis hominibus, qui eas legum formulas, & juris solemnia, quæ in condendis Testamentis ac instituendis heredibus erant recepta, aut lapsu etiam temporis, ac subinde Imperatorum Rescriptis vel sanctionibus invecta, capere non poterant vel observare. Quo referri proinde debuit, id quod a Scævola J. C. in *(n)* Digestis alicubi refertur; quod nempe Licius Titius Testamentum scripserit sine ullo Jurisperito, *rationem animi mei potius secutus, quam nimiam & miseram diligentiam; & si minus aliquid legitime minusque perite fecero, PRO JURE LEGITIMO haberi debet hominis sani voluntas.*

Istud autem de communi illo *testandi* jure, tum in Romano orbe agentibus ingenuis, tanquam totidem post Antonini constitutionem, Romanis civibus concesso, vel inde insuper liquet; quod in hæreticos, aut qui a fide Christiana ad Gentilium cultum desciverant, nihil gravius statui posse censerent Christiani Principes, quam si illam condendi Testamenti, aut aliquid ex eo capiendi, tanquam iis Romanæ civitatis jure multatis, & in *peregrinorum* seu Barbarorum, qui eodem loco ea ætate habebantur, sortem redactis, potestatem continuo adimerent. Quam in rem utique exstant plures in Codice Theodosiano, & potissimum Theodosii Magni, ac filiorum

(n) Leg. XXVIII. S. 2. D. de Legat. II.

Arca-

Arcadii & Honorii, nepotisque Theodosii Junioris, constitutiones, quæ id clarissime comprobant. Ita, ut e multis pauca, sed notabilia in primis ad eam rem huc adducam, exstat Theodosii M. inter alias, constitutio, qua (o) Manichæis, ut ibi dicitur, *sub perpetua justæ infamiæ nota, TESTANDI ac VIVENDI JURE ROMANO omnem protinus eripimus facultatem: neque eos aut relinquendi, aut capiendæ alicujus hereditatis habere sinimus potestatem.* Idem vero alibi: (p) *Christianis, aut Fidelibus, qui ad Paganos ritus cultusque migrarunt, omnem in quamcunque personam TESTAMENTI CONDENDI interdicimus potestatem, ut sint ABSQUE JURE ROMANO.* Neque aliter Honorius de Manichæis aliisque quibusdam hæreticis statuit: (q) huic *hominum generi nihil EX MORIBUS, nihil EX LEGIBUS commune sit cum cæteris*: dein: *Ergo* & *supremæ illius scriptura irrita sit, sive TESTAMENTO, sive codicillo, sive Epistola, sive quolibet genere reliquerit voluntatis, qui aut Manichæus, aut Frygu, aut Priscillianista convincitur.* Quibus consentanea sunt Valentiniani III. de Apostatis Edicta: *ut de loco suo STATUQUE DEJECTI, perpetua utantur infamia. Quid enim his CUM HOMINIBUS POTEST ESSE COMMUNE, qui infandis & feralibus mentibus gratiam communionis exosi, ab hominibus recesserunt?* Unde quæ ad aliam, huicque (r) similem Theodosii M. de Apostatis legem adnotavit accuratus ac doctissimus earundem interpres Jac. Gothofredus (s) verba, quod ad eam rem, de qua hic agimus, valde sint opportuna, haud pigebit adferre: *Nempe jus Romanum, seu jus civium Romanorum in TESTAMENTI JURE*

(o) Leg. VII. C. Th. de Hæreticis.

(p) Leg. II. C. Th. de Apostatis.

(q) Leg. XL. C. Th. de Hæreticis.

(r) L. IV. C. Th. de Apostatis.

(s) Com. ad d. l. p. 204. T. VI.

POTIS-

POTISSIMUM consistit, potissimoque loco habetur. Quare eos, qui Ecclesiam & civitatem Dei desererent, CIVIUM ROMANORUM jure potissimum MULTANDOS Christiani Principes, adque eatenus IN PEREGRINITATEM redigendos credidere. Certe quam inde *peregrinitatem* id genus hominum, qui illo testandi jure erant multati, manifeste indicant alterius constitutionis, ab Arcadio eam in rem de Hæreticis latæ, & quæ alia occasione in superiori capite jam adduximus, verba, quibus alioquin se Eunomianis (t) *pœnas ADIMENDÆ TESTAMENTI Factionis, PEREGRINORUMQUE MUTANDÆ CONDITIONIS*, remittere profitetur. Immo prout in simili Theodosii Junioris constitutione, ubi aliam itidem a se prius latam, qua Eunomianis capiendi aliquid vel relinquendi Testamento potestatem ademerat, pariter revocat, additque: *Vivant JURE COMMUNI* (non amplius proinde Quiritium, uti olim, proprio, sed ad *omnes qui sunt in orbe Romano*, dudum exporrecto) *scribant pariter, ac scribantur heredes.*

(t) Leg. XXXVI. C. Th. de Hæreticis.

(u) Leg. XXXXIII. C. Th. de Hæreticis.

CAPUT

CAPUT XXIV.

De diſcrimine POENARUM, *iiſque, a quibus immunes erant* cives Romani *ut* flagris, *aut* virgis cædi, *ex lege Porcia; item* vinculis, ſecuri, cruce *plecti. Exempla e Verrinis Ciceronis, de violato ab illo in Sicilia Prætore jure* civium Romanorum; *item ex ejus Epiſtolis. Sic nec* beſtiis objici; *quod ex Euſebio, & Digeſtorum libris illuſtratur; & quibus cæteroquin ſit hoc ſupplicium irrogatum. Veterum Juriſconſultorum de* diſcrimine *alioquin* pœnarum *apud Romanos*, pro qualitate aut dignitate perſonarum *teſtimonia: uti etiam* militum, *qui torqueri non poterant. Id ex priſcis Juriſconſultis, Diocletiani conſtitutione, & Actis Tarachi Martyris ac ſociorum illuſtratum.* Transfugæ *tamen &* torqueri *poterant, &* beſtiis objici. *Sicut* vite, *ita* fuſtibus cædi, *militare olim ſupplicium: Exempla e Flori Epitome, & Lampridio, apud quem* condemnatio *de* multa pecuniaria, *contra magnum Salmaſium, e libris juris civi-*

lis

lis, & constitutionibus Imperatorum adserta. Constantini M. eadem de re constitutio illustrata; & J. Gothofredus in ea explicanda notatus. Fustibus cædi, *pœna cæteroquin* liberorum *apud Romanos; sed* plebeiorum *tantum*, & tenuiorum. Id e *Digestorum locis, Ammiano Marcellino, & Capitolino illustratum. Post Antoninianam constitutionem unum* pœnarum *in orbe Romano* discrimen, *e* qualitate personarum *observatum. Aliquot loca Codicis Theodosiani eam in rem adducta & expensa: et de antiquioribus id genus legibus in Digestis, ad Provinciarum Præsides missis, ut ad earum normam pœnæ provincialibus irrogarentur.*

EA autem pœnarum, quæ subinde in hæreticos latæ, ac unde iis adimebatur jus commune civium Romanorum, id cæteroquin hic monendi locum præbet, quod provincialium concessis una cum Romana civitate juribus ac beneficiis, adnumeranda quoque est, ab iis POENIS, quæ Romanis civibus, latis etiam ea de re Quiritium legibus, non irrogabantur, immunitas. Etsi enim, ubi in veterum Jurisconsultorum libris, de *pœnarum* discrimine, & quidem ratione personarum agitur, illius inter *(a)* liberos ac servos; aut inter *(b)* humiles

(a) Leg. XXVI. S. 2. XXVIII. S. 16. D. de Pœnis. L. XXXVIII. S. 9. D. de Pœn. L. III. S. D. Ad Leg. Cornel. de Sicar. Paulus Sent. T. XXIII. S. 1.

(b) Leg. X. L. XXVIII. S. 2. 9. 11.

personas ac honestiores, seu in aliqua (c) dignitate positas, citra ullam specialem civis Romani aut peregrini vel provincialis ea in re notationem, mentio fieri soleat; id tamen aliunde constat, a quibusdam *pœnis*, quæ provincialibus irrogati poterant, cum latis ea de re legibus, tum Romani nominis reverentia, immunes ferme exstitisse Romanos cives. Ita de flagris seu virgis, quibus cædi iidem vi (d) legis Porciæ non poterant, res vulgo nota, & ex adducto jam antea D. Pauli ea de re exemplo ac verbis, abunde comprobata. Quam in rem autem multa exstant a Cicerone in Verrinis dicta, quibus, dum exercitam ab illo Prætore in cives Romanos, qui in Sicilia agebant, præter fas omne, immanitatem ac sævitiam exagitat, propria eorundem civium jura, & debitam ab indignissimis suppliciis, ut flagris, vinculis, securi, cruce, illorum immunitatem simul tangit. Hinc ut de multis pauca, quæ ea civium Romanorum jura plenissime venditant, huc adferam, ait de eodem Verre Cicero: *(e) Agunt enim præcipitem POENÆ CIVIUM ROMANORUM, quos partim SECURI percussit, partim in VINCULIS necavit, partim in CRUCEM sustulit*: alibi: *(f) Tu, qui CIVES ROMANOS esse dicuntur, qui a multis cognoscerentur, SECURI ferire potuisti?* dein: *(g) Virgis quam multos ceciderit, quid ego commemorem? Tantum brevissime dico, Judices, NULLUM fuit omnino isti Prætori IN HOC GENERE DISCRIMEN*: mox: *(h) PLAGIS confectum dico a lictoribus tuis CIVEM ROMANUM ante oculos tuos concidisse. Oh quam caussam, Dii immortales! tametsi injuriam facio communi caussæ & JURI CIVITATIS: quasi enim*

(c) Leg. XXXVIII. S.2. D. de Pœnis.
(d) Vid. Sallust. in Catilin. Cicer. pro Rabino c. III. IV. l. v. b. x. c. 9.
(e) In Verrem I. c. 3.
(f) In Verrem V. c. 52.
(g) Ibidem c. 53.
(h) Ibidem c. 54.

possit

possit esse ulla caussa, CUR HOC CUIQUAM CIVI ROMANO JURE ACCIDAT. Adde alia adhuc eam in rem: *(i) Ubicumque terrarum & gentium VIOLATUM JUS CIVIUM ROMANORUM sit, statuitis id pertinere ad communem caussam libertatis & dignitatis.* Hinc de illa, D. Pauli instar, voce & imploratione, *civis Romanus sum*; qua se a suppliciis, quæ non cadebant in cives Romanos, immunes præstari debere contendebant, testatur ibidem: *(k) Cervices in carcere frangebantur indignissime CIVIUM ROMANORUM, ut etiam illa vox, & illa imploratio, CIVIS ROMANUS SUM, quæ sæpe multis in ultimis terris opem inter barbaros & salutem tulit, ea mortem iis acerbiorem & supplicium maturius ferret.* Quibus gemina adhuc dein subdit: *(l) Cædebatur VIRGIS in medio foro Messanæ civis Romanus, Judices: cum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc, CIVIS ROMANUS SUM: hac se commemoratione CIVITATIS, omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur.* Quibus denique ob tantam rei indignitatem, hæc addit Tullius: *(m) O JUS eximium nostræ CIVITATIS! o lex Porcia, legesque Semproniæ!* dein: *Tolle hanc spem, tolle hoc præsidium civibus Romanis; constitue nihil opis esse in hac voce CIVIS ROM. SUM*: ac illud insuper *(n) Facinus est, vinciri CIVEM ROMANUM; scelus, verberari; prope parricidium, necari; quid dicam in crucem tollere?* denique: *(o) In EXTERNORUM HOMINUM & maleficorum sceleratorumque, in prædonum hostiumque custodias tu tantum numerum CIVIUM ROM. includere ausus es?* Neque istud adhuc hic prætereundum: *(p) Tolle hanc spem; tolle hoc præsidium CIVIBUS ROMANIS; constitue nihil esse opis in hac voce, CIVIS*

(i) Ibidem c. 55.
(k) Ibidem c. 57.
(l) Ibidem c. 62.
(m) Ibidem c. 63.
(n) Ibidem c. 66.
(o) Ibidem c. 55.
(p) Ibidem c. 65.

VIS ROMANUS SUM: posse impune Prætorem, aut alium quemlibet, supplicium, quod velit, in eum constituere, qui se CIVEM ROMANUM esse dicat: jam omnes provincias, jam omnia regna, jam omnes liberas civitates, jam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, CIVIBUS ROMANIS ista defensione præcluseris.

E quibus utique eximium aliquod jus civium Romanorum fuisse abunde intelligitur, ut illi non iisdem pœnis continuo aut suppliciis, quibus peregrini vel provinciales, subjacerent. Unde etiam *flagellorum castigatio, & vinculorum verberatio,* (q) quæ ab omni civium Romanorum corpore lege Porcia prohibebantur, inter pœnas, quæ a Provinciarum Præsidibus irrogari maleficis provincialibus poterant, *modo ne verberibus necetur vel virgis interimatur,* a (r) priscis Jurisperitis recensentur. Immo quam in rem exstat in Asinii Pollionis ad (s) Ciceronem Epistola luculentum adhuc testimonium; ubi inter reliqua, quæ a Balbo Quæstore suo in Hispania flagitiose commissa, illud, ut præcipuum, commemorat, quod militem quendam Pompeianum, curiatim *quiritantem CIVIS ROMANUS SUM,* vivum tamen combusserit. Adde, quod *bestiis CIVES ROMANOS etiam in his notissimum quendam, Hispali, quia deformis erat, objecit.* Cujus etiam pœnarum inter cives Romanos & provinciales discriminis, & quidem quod adtinet ad istud bestiis objici supplicium, in aurea illa ante memorata Viennensium & Lugdunensium apud (t) Eusebium Epistola, facta occurrit mentio; ubi de uno e Martyribus Attalo Pergameno dicitur, quod populo adversus illum vehementer excitato, Præses, postquam Romanum civem esse comperit, reduci eum in custodiam cum cæteris jusserit: ac (uti hæc ea de re verba supra, ubi de civibus Romanis, M. Antonini Imp. temporibus, agebatur, jam

(q) Leg. VII. D. de Pœnis.
(r) Leg. VIII. S. 3. Eodem.
(s) Lib. X. Epist. Famil. 32.
(t) Hist. Eccl. L. V. c. 1.

adduxi-

adduximus) dein ab eodem Præside, quum is denuo interrogasset vinctos illos Christianos, *καὶ ὅσοι μὲν ἐδόκουν* ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ ΡΩΜΑΙΩΝ *ἐσχηκέναι, τούτων ἀπέτεμνε τὰς κεφαλὰς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἔπεμπεν εἰς θηρία, quicunque CIVES ROMANI reperti sunt, capite truncati; reliqui traditi sunt bestiis.* Quod proinde ad bestias damnari supplicium, aliis vulgo quam civibus Romanis irrogari solitum, ac inter provinciales, humilioribus tantum, & quidem (*u*) sicariis, (*x*) latronibus, (*y*) veneficis, (*z*) sacrilegis, (*a*) parricidis, (*b*) seditionum concitoribus, (*c*) abigeis, adde, qui ad hostes confugerant, (*d*) militibus, e variis juris Justinianei legibus constat. Nempe, ut id jam supra vidimus, quod *servi pænæ* continuo efficerentur, qui erant ad bestias damnati; immo servile etiam supplicium foret; ut id jam (*e*) in priori Exercitatione e Modestini J. C. ea de re verbis notavimus. Unde etiam illud inter gravissima Pisonis, dum is Macedoniæ per triennium præfuerat, crimina recenset Tullius: (*f*) *populari illi sacerdoti sexcentos ad bestias amicos sociosque misisti*: ubi per *amicos*, fœderatos suisque utentes legibus intelligi, bene ibi in nupera ac eleganti Tullianarum Orationum editione adnotavit clarissimum hac ætate harum litterarum decus Grævius noster. Hinc vero immanem Maximini Imperatoris a militibus creati sævitiam expavisse dicitur apud Capitolinum Senatus: (*g*) *dum audiebat ab illo alios in crucem sublatos; alios animantibus nuper*

(*u*) Leg. III. S.5. D. Ad Leg. Corn. de Sicar.
(*x*) Leg. XXVIII. S.15. D. de Pœnis.
(*y*) Paulus Sent. Tit. XXIII. S. 1.
(*z*) Leg. VI. D. Ad Leg. Jul. Pecul.
(*a*) Leg. IX. D. Ad Leg. Pompei. & Parric.
(*b*) Leg. XXXVIII. D. de Pœnis.
(*c*) Leg. I. S. 3. D. de Abigeis.
(*d*) Leg. III. S. 10. D. de Re Militari.
(*e*) Exerc. I. p. 38. 39.
(*f*) Orat. in Pison. c. 36.
(*g*) In Maximino c. VIII.

occi-

occisis inclusos; alios feris objectos; alios fustibus elisos; atque omnia hæc SINE DELECTU DIGNITATIS, atque ita indiscriminatim, & contra recepta Romanorum legibus ea de re statuta, juxta illud Ulpiani: (*h*) *sed enim sciendum est, discrimina esse pœnarum; neque omnes eadem pœna adfici posse:* alibi autem: (*i*) *sacrilegii pœnam debebit Proconsul pro QUALITATE PERSONÆ, proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, vel severius, vel clementius statuere.* A qua proinde pœnarum acerbitate, quæque plebeis cæteroquin seu humilioribus irrogarentur, immunes erant, qui in castris Romanorum merebant aut meruerant, milites: uti id e Modestini J. C. ea de re verbis in (*k*) Digestis liquet; ubi post enumeratas aliquot militares pœnas, addit: *nam in metallum, aut in opus metalli, non dabuntur, nec torquentur.* Quod sequentium Imperatorum constitutionibus, & quidem Diocletiani, quæ (*l*) exstat etiamnum, militibus confirmatum legimus: *milites neque tormentis, neque plebeiorum pœnis in causis criminum subjungi concedimus.* Hinc in Actis Martyrum Tarachi, & sociorum Probi ac Andronici, quum ille (*m*) *se militaris esse conditionis, & Romanum,* (quod *Claudiopoli*, Romana in Isauria colonia, (*n*) eaque a Claudio Imp. unde ei nomen, deducta, esset natus) apud Ciliciæ Præsidem foret professus; ac dein ob suam in fide constantiam, haud uno supplicii genere, ejusdem Præsidis jussu, torqueretur, ad eum conversus ait Tarachus, se paratum ea omnia perpeti: *etsi maxime tibi non liceat, me, qui MILITARIS sum CONDITIONIS, sic contra leges excruciare*, εἰ καὶ μάλιστα οὐκ ἔξεστί σοι κατὰ τοῦ σώματός μου, ΣΤΡΑΤΙΩΤΙΚΟΝ ὄντα οὕτως παρανόμως βασανίζειν. Neque vero in-

(*h*) Leg. IX. S. D. de Pœnis.

(*i*) Idem Leg. VI. D. Ad Leg. Jul. Pecul.

(*k*) Leg. III. S. I. D. de Re Milit.

(*l*) Leg. IX. S. 11. Cod. de Pœnis.

(*m*) Acta Martyr. Tarach. &c. Sect. I.

(*n*) Vid. Ammian. Marcell. L. XIV. c. 8. & Valesium. ibid.

de

de demum, quod id Martyrium sub Diocletiano contigerit, se ab iis tormentis immunem, qui legem, ut ea de re, ut vidimus, tulerat, præstari debere, ut existimarunt ad hunc locum viri eruditi, contendit Tarachus. Ut enim mittam, quod de pœnarum, pro diversa hominum conditione & qualitate, discriminibus, quæ a Romanis servabantur, paullo ante ex Ulpiano & aliunde vidimus, id nominatim de militibus, quod torqueri iidem non possent, Romanorum legibus pridem constitutum, vel ex Modestini J. C. quæ modo adduximus, ea de re verbis, aliisque quæ proxime ibidem sequuntur licet abunde colligere : (*) *is qui ad hostes confugit, & rediit, TORQUEBITUR, ad bestiasque, vel in furcam damnabitur : QUAMVIS MILITES NIHIL EORUM PATIANTUR.* Cujus equidem rei ea fuit, & obvia quidem ratio, quod si captus ab hostibus civis seu miles Romanus, postliminii demum jure civitatem Romanam recuperabat; multo magis utique omni civitatis & militaris privilegii jure excidisse censendus erat, ac peregrini proinde & infimæ etiam conditionis hominum pœnis plectendus, qui fœdissimo voluntarii exilii genere, & sacramento militiæ abjurato, sponte ad hostem transfugerat. Immo prout in alia Digestorum de proditoribus & transfugis lege dicitur, (o) *exauctorati TORQUENTUR : nam pro hoste, non pro milite habentur.* Unde jam olim, liberæ Reipublicæ temporibus, Scipio Africanus *transfugas ac fugitivos bestiis objecisse,* dicitur in (p) Epitome Liviana : idem vero in Numantina obsidione, quod alibi in eadem Epitome legitur : (q) *quem militem extra ordinem deprehendit, si ROMANUS ESSET, vitibus ; si EXTRANEUS fustibus cecidit :* quorum illud inter militum Romanorum pœnas o-

(*) Leg. III. S. 10. D. de Re Militari.

(o) Leg. VII. D. Eodem.

(p) Epit. LI.

(q) Epit. LVII.

lim

lim receptum, e *(r)* Tacito, *(s)* Juvenale, *(t)* libris Digestorum, ac aliunde jam monuerunt viri docti: postremum autem, seu *fustibus cædi*, haud solum *extraneis*, ut hic a Scipione, inflictum, sed Romanis etiam simili in casu militibus, e Modestini J. C. ea de re verbis liquet: *(u) sed qui agmen excessit ex causa, vel FUSTIBUS cæditur, vel mutare militiam solet.* Quod ab Alexandro Severo itidem factum observat Lampridius: *(x) si quis (miles* nempe*) de via in alicujus possessione deflexisset; pro qualitate loci, aut FUSTIBUS subjiciebatur in conspectu ejus, aut virgis, aut condemnationis; aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, aut gravissimi contumeliis.* Magnus Casaubonus, ut obiter hoc tangam, *condemnationis* ibi vocem de *multa pecuniaria* interpretatur: alter vero *(y)* ὁ πάνυ, *condemnationem* de aliis quidem dici pœnarum generibus, nuspiam vero absolute positam, de *pecuniaria multa* ibi contendit. In qua notatione falsus est vir maximus: quum sæpe in constitutionibus Imperatorum, ac eadem illa, qua scripsit Capitolinus, ætate, una *condemnationis* voce, *multam pecuniariam* intelligi certum sit, ut vidit jam ad *(z)* Codicem Theodosianum doctissimus J. Gothofredus; ac vel una evincit Gratiani Imp. lex in utroque Codice obvia: in Theodosiano nempe, *(a) in CONDEMNATIONIBUS appellationes jubemus admitti*: quæ in Justinianeo a Triboniano redditur: *(b) Ut in MULTIS a Judicibus inferendis appellationes jubemus admitti.* Quomodo etiam *(c) pecuniaria damnatio* dicitur in libris veterum Jurisconsultorum: aut vero *multa pecuniaria* inter mi-

(r) Annal. I. c. 23.
(s) Satyr. VIII. v. 247.
(t) Leg. XIII. S. 4. D. de Re Milit.
(u) Leg. III. S. 16. D. Eodem.
(x) In Alexandr. Sev. c. LI.
(y) Salmasius ibidem.
(z) Com. ad Leg. XII. C. Th. de Re Militari.
(a) Leg. XXVIII. C. Th. de Appellation.
(b) Leg. XXV. C. Just. Eod.
(c) Leg. X. S. 2. D. de Pœnis.

lita-

litares etiam pœnas a Modestino J. C. *(c)* lege paullo ante memorata, adnumeratur; & quidem eo ordine: *castigatio, pecuniaria multa, munerum indictio &c.* ubi *castigationis* voce (quæ *multam* ibi similiter, ut *fustium* mentio *condemnationem* seu *multam*, adducto apud Lampridium loco, præcedit, ut id non debuerit viro summo negotium ibi facessere) vitis aut *fustium ictus*, recepta militum pœna, nec ibi proinde omittenda, designatur: prout etiam *(d) castigari verberibus* miles, qui tibiale vel humerale alienaverit, alibi a Paulo J. C. dicitur. Ita in alia lege militari, idem, de quo modo, Modestinus, de eo, qui stationem reliquit, *(e) pro modo delicti, aut castigatur* (nempe viti vel fustibus) *aut gradu militiæ dejicitur.* Immo opportune insuper ad illustrationem, cum hujus apud Lampridium loci, tum rei illius, de qua hic agitur, exstat in Codice Theodosiano, & de qua alioquin silet, indicatis modo locis, laudatus Gothofredus, Constantini M. constitutio, quæ id omnino comprobat. Nempe quæ in eos ab illo Principe lata est, qui Ecclesiasticos ad lustrorum sacrificia sua ætate compellebant, ac ubi id in eos decernit: *(f) si conditio patiatur, publice FUSTIBUS verberetur: si vero honoris ratio talem ab eo repellat injuriam, CONDEMNATIONEM sustineat gravissimi damni, quod Rebus publicis vindicabitur.* Ibi autem *condemnationem* de *multa pecuniaria* vere explicat Cl. Gothofredus: sed a quo, in explicatione sequentium verborum *Rebuspublicis vindicabitur* adnotatum nollem; nempe *(g)* an id intelligat civitates & vires cujusque Reipublicæ, ut conjunctim *Rebuspublicis* ibi legatur; an vero res fiscales. Neutrum enim ibi intelligitur; nec una voce *Rebuspublicis* ibi legendum: quum haud alius sit

(c) Leg. III. S. 1. D. de Pœnis.

(d) Leg. XIV. S. 1. D. Eodem.

(e) Leg. III. S. 5. D. Eodem.

(f) Leg. 5. C. Th. de Epinopis.

(g) In notis ad d. L. p. 27. T. VI.

 postre-

postremorum illius constitutionis verborum sensus, nisi quod ille, qui dignitatis vel honoris instituto fustibus subjici non potest, gravi pecuniæ multa sit plectendus: quæ non, ut alioquin in bonis damnatorum vel proscriptorum fieri consueverat, *rei* Principis *privatæ*, ut illo ævo dicebatur, seu (*h*) *fisci viribus*, aut (*i*) *fiscali dominio vindicaretur*, ut subinde in aliis constitutionibus legitur; sed *rebus* seu *utilitatibus publicis*. Quarum nempe alibi fit quoque mentio in eodem Codice, ut in Valentiniani senioris lege de (*k*) Decurionibus, ubi sacerdotibus provinciarum ac Principalibus, (nempe *civitatum*, uti a Callistrato J. C. dicuntur in (*l*) Digestis) honorem ex Comitibus addendum censet, quem hi consequi soleant, *qui fidem diligentiamque suam in administrandis REBUS PUBLICIS adprobarint*: & alibi a (*m*) Constantino M. *qui honorariis dignitatibus gaudent, publicis utilitatibus obedire.* Illud autem liquet ex Constantini constitutione, & adductis Lampridii de Alexandro Severo verbis, *si dignitas hominis*; aut *si conditio patiatur*: quod *fustibus cædi*, vel *subjici*, fuerit quidem inter pœnas Romanis legibus receptas, eaque etiam levior pœna, nec infamans, ut istud a (*n*) Macro J. C. notari videas, ac unde etiam *fustium admonitio* ab (*o*) alio vetere juris Antistite dici meruit; cui autem pœnæ liberi quidem, vel gregarii milites, aut cæteroquin *tenuiores homines*; *honestiores vero*, ut id ab eodem Callistrato J. C. (*p*) alibi dicitur, *fustibus non subjiciuntur*; *idque*, ut ab eo additur, *principalibus Rescriptis specialiter exprimitur*: & quod

(*h*) Leg. VII. C. Th. de Bonis proscript.
(*i*) Leg. IV. C. Th. Eodem.
(*k*) Leg. LXXV. C. Th. de Decurion.
(*l*) Leg. XXVII. S. 1. D. de Pœnis.
(*m*) Leg. XXIV. C. Th. de Decurion.
(*n*) Leg. X. S. 2. D. de Pœnis.
(*o*) Leg. VII. D. Eodem.
(*p*) Leg. XXIX. S. 3.

ab

ab eodem in lege, quæ hanc præcedit, similiter tangitur: (q) *Omnes, qui fustibus cædi prohibentur &c.* Hinc apud Ammianum Marcellinum, & qui inde illustratur, dicuntur (r) *Protectores fustibus PRÆTER SOLITUM cæsi*, jussu nempe Imp. Valentiniani, ultra modum & inusitato etiam more sævientis: ac ut supra jam de Maximino, sine *delectu dignitatis*, dicentem vidimus Capitolinum, (ſ) *alios feris objectos, alios FUSTIBUS elisos*; aut ab eodem in Gordiano, de Sabino Præfecto urbis & Consulari, qui nempe effaratæ Romanæ plebis in cæsum Maximinum, a cujus ille partibus steterat, odio, (t) *fuste percussus, occisus:* ac ab Ammiano rursus, de quodam e Pædagogianis, qui jubente eodem, de quo ante, Valentiniano, (u) *necatus ad exitium fustibus.* Mitto, jam quod non de *liberis* solum, sed de servili etiam conditione hominibus, a Theodosio M. alicubi statuitur: (x) *servili fece descendens &c. CÆSUS FUSTIBUS, deportatione damnabitur.*

Quæcunque vero fuerit *pœnarum* id genus ratio, id utique cum e legibus & constitutionibus sequentium, post datam omnibus in Orbe Romano ab Antonino Caracalla civitatem, Imperatorum, iisque passim ad Provinciarum Præsides datis; tum ex aliis eorundem temporum monumentis liquet, haud ullum amplius in irrogandis pœnis, *civis Romani*, aut *peregrini* vel *provincialis* discrimen prolatum. Adeo ut non amplius audiretur vox illa querentis eo nomine de indignitate supplicii, (prout e Cicerone paullo ante vidimus, ac e D. Paulo præterea constat) *CIVIS ROMANUS SUM*; ac inde ad legem Porciam, legesve Valenas aut Sempronias provocantis. Una conditionis tantum, & dignitatis habita est deinceps, in de-

(q) Leg. XXVIII. D. Eodem.
(r) Lib. XXIX. c. 3.
(ſ) Cap. VIII.
(t) Cap. XIII.
(u) Lib. XXIX. c. 3.
(x) Leg. XXI. C. Th. de Hæreticis.

cernendis pœnis in Orbe Romano, ratio: nempe si liber; aut servus; si miles, vel etiam emeritus: si e Magistratuum, aut in aliqua dignitate civili vel militari constitutorum, seu *honoratorum*, quomodo illo ævo dicebantur, honestiorumve hominum ordine: aut vero si e plebeiis ac tenuioribus, aut e vulgi fece demum forent. Unde etiam in adducta paullo ante Valentiniani senioris, de Sacerdotibus Provinciarum, eorumque honoribus, constitutione, id insuper additur: *(y) liberumque sit corpus eorum ab his injuriis, quas HONORATOS NON DECET SUSTINERE*, Nempe prout jam ante a Constantino M. decretum fuerat: ut (z) vel *pro discretione sexus, & CONDITIONIS diversitate: si decurio, si plebeius, si servus, POENAM SUSTINEAT*, adulteratæ scilicet monetæ reus: aut prout dein a Theodosio M. præcipitur, ut desertorem occultantis pœna, *(a) pro qualitate ordinis atque personæ* infligatur. Quomodo de immanitate Judicum, vel ipsorum quandoque Principum, ultra receptas illas in Orbe Romano, & Principalibus etiam Rescriptis, leges vel constitutiones sævientium, justa demum iis, qui dira ac atrocia pro fide in Christum passi, ansa nimis crebro equidem suppetebat. Quamquam, & quod postremo hic monendum est, jam ante datam ab Antonino Caracalla civitatem, eadem ferme pœnarum, quæ modo adtigimus, ut paullo ante ex Ulpiano, aliisque prisci Romanorum juris Antistitibus est adnotatum, discrimina, inter ipsos cives Romanos forent similiter recepta; eademque ad municipiorum etiam ac civitatum Decuriones ac Principales, ut ibidem vidimus, Imperatorum Rescriptis exporrecta. Quibus & addi illud hic debet, quod magna earum legum pars, quæ de illo pœnarum discrimine statuit, ad ip-

(y) Leg. LXXV. C. Th. de Decurion.
(z) Leg. I. C. Th. Fals. Monet. de.
(a) Leg. VIII. C. Th. de Decurion.

sos.

ſos Provinciarum Præſides ſit a Romanis Principibus miſſa, quo ea in irrogandis provincialium pœnis obſervarentur. Hinc illud, uti e multis unum vel alterum adducam, Calliſtrati J. C. (b) *Mandatis Principalibus, quæ PRÆSIDIBUS dantur, cavetur, ne quis perpetuis vinculis damnet*; & Marciani; (c) *Mandatis autem cavetur de ſacrilegis, ut PRÆSIDES ſacrilegos, latrones, plagiarios, conquirant*: Ulpiani denique: ut in ea conquieſcam; (d) *ſacrilegii pœnam debet PROCONSUL, pro qualitate perſonæ &c. vel ſeverius vel clementius ſtatuere.* Alterum adhuc obiter dicendum: quod de quibuſdam id genus legibus, quæ de illo pœnarum diſcrimine exſtant hodie in Digeſtis, certo ſtatui hodie non poſſit, an eædem ante, vel poſt Antoninianam conſtitutionem ſint latæ: quum ii, qui eas referunt, veteres Juriſconſulti, ſub Antonino Caracalla, ac ſequentibus adhuc Principibus, de jure reſponderint, ſicut Paulus, Ulpianus, Marcianus. Ut eos mittam qui poſt Caracallam demum inter juris adſeſſores claruerunt, ſicut Macer, Modeſtinus, & iis adhuc inferiores ſat longo intervallo, Hermogenianus, & Arcadius Chariſius.

(b) Leg. XXXV. D. de Pœnis.

(c) Leg. IV. S. 2. D. Ad Leg. Jul. Pecul.

(d) Leg. VII. D. Eodem.

CAPUT XXV.

De BONORUM CESSIONE *lege Julia*, civibus Romanis *conceſſa*, *ad* Provinciales *dein* porrecta, *juxta legem Diocletiani*, *& Cl.* *Salma-*

Salmasii ea de re observationem. Quæ in eadem Salmasii observatione animadvertenda. Nexus corporum *ob debita, proprius olim Quiritium juris, a quo immunes erant Provinciales. De loco Plutarchi in Lucullo. De* Bonorum Proscriptione *ante* Bonorum Cessionem *apud Romanos recepta. De alio* Nexus *genere, quo fiebant abalienationes, proprio itidem civium Romanorum.* Bonorum Cessio *a prioribus ante Diocletianum Imperatoribus, ad Provinciales exporrecta. De* Patris *ac* Divorum Parentum *nominibus, qui ab Imperatoribus, de decessoribus & quidem superiorum temporum,* Principibus *dicuntur in eorum Constitutionibus. Exempla ejus rei inde, & ex Eusebio adducta; & Dionys. Gothofredi ea de re adnotatio confutata. Inde ad aliorum discrimen,* Genitores *dicti quandoque in Constitutionibus Impp. de naturalibus eorum* Parentibus. PII *cognomen in Digestis & in Codice, uni Imp.* Tito Antonino *tributum.* Piæ memoriæ *dicti Gentiles etiam Imperatores ab Impp. a Christianis. Claudio Imp. nusquam in Digestis vel in Codice* PII *nomen additum; idque ex iisdem libris adsertum. Ulpiani locus in Digestis emen-*

emendatus. Parentis *appellatio ab Imperatoribus tributa etiam* Præfectis Prætorio, *aliisque Magistratibus, in Codice & in Novellis Theodosii Junioris, Valentiniani III. De* CESSIONE IN JURE, *propria itidem juris Quiritium, ad Provinciales dein quoque exporrecta; non vero ad* fisci debitores. *Apud Athenienses* fisci debitores & vectigalium redemptores, *nexui corporum obnoxii; & e privatis debitoribus, qui pecunia ab hostibus redempti, eam intra præstitutum tempus non restituebant. Id e Demosthene adsertum. De* USUCAPIONE, *quæ antea Decemvirali lege, inter privata itidem Quiritium jura, postea inter Provinciales quoque, ac Municipes recepta.* Municipes & Municipia *dicta promiscue de quibusvis & minoribus etiam urbibus: quod ex Ammiano Marcellino illustratum.*

AD privata insuper Romanorum civium jura vel privilegia referri itidem debet, quod quum cives Romani debitores, qui lege XII. Tabularum addici creditoribus, ac ab iis vinciri poterant, immo eorum corpora secari ac in partes dividi, fuissent ab ea immanitate lege Poetelia primum liberati, ac postea lege Julia, BONORUM CESSIO iisdem debitoribus esset concessa: utriusque illius beneficii compotes quoque factos

tos post Antoninianam constitutionem, qua ii cives Romani sunt effecti, provinciales observat in libris de *(a)* Modo Usurarum magnus Salmasius. Postremum equidem, seu *bonorum cessionis* beneficium iis datum, docet aperte lex a Diocletiano lata: *(b) Legis Juliæ de bonis cedendis beneficium, constitutionibus Divorum nostrorum parentum AD PROVINCIAS porrectum esse, ut CESSIO BONORUM admittatur, notum est.* Id autem de hoc beneficio, anteriorum Principum constitutionibus, ad *provincias porrecto*, intelligendum esse, postquam provinciis jus civitatis Romanæ datum est, monuit *(c)* ibidem ὁ πάνυ. Adeo etiam, ut illud beneficium cum legis Poeteliæ, de qua *(d)* Livius, ad annum U. C. CCCCXXVII, ne cives Romani amplius ob debita creditoribus addicerentur; tum legis Juliæ, ut iisdem debitoribus *bonorum cessio* permitteretur, *ne judicati*, ut ea de re in *(e)* Constitutione Alexandri Severi dicitur, *detrahantur in carcerem*; ad solos cives Romanos, non vero ad peregrinos & provinciales spectasse idem censeat, ante datam iis Antonini constitutione civitatem. Quo loco tamen nonnulla sunt observanda, quæ non satis ibi adtendisse videtur vir maximus; aut quæ ad porrectum illud ad provinciales, quod tangit Diocletianus, beneficium accuratius percipiendum faciunt. Ac primo quidem id constat, antiquam illam debitores nectendi, aut etiam secandi facultatem, veteris Quiritium juris fuisse propriam. Id quod vel ex indicato Boethii in priori *(f)* Exercitatione loco, & quem jam viderant viri præclari, constare potest: ubi *nexus*, seu jus illud, quod creditoribus olim in debitorum corpora competebat, intra privata refertur Quiritium jura, juxta alia, quæ ille ibidem tan-

(a) Pag. 853.
(b) Leg. IV. C. Just. Qui Bonis Ced.
(c) De modo Usur. p. 853.
(d) Lib. VIII. c. 28.
(e) Leg. I. C. Just. ut supra.
(f) Pag. 26.

git,

git, & de quibus adhuc mox dicetur. Adeo ut idem jus apud Romanorum ſocios, aut in provinciis, quæ civilibus, ut aliunde notum, Quiritium legibus, niſi quatenus ad ea eſſent Edicta Præſidum, uti de iis *(g)* ſupra vidimus, accommodata, non tenebantur, itidem obtinuiſſe, haud ſit omnino ſtatuendum: nec proinde eoſdem provinciales, quod exiſtimat ὁ πάνυ, ne juxta antiquam illam legem Poeteliam vinciri aut ſecari a creditoribus poſſent, poſt acceptam demum ab Antonino Caracalla civitatem, id fuiſſe conſequutos. Equidem apud Athenienſes debitorum corpora ſimiliter fuiſſe creditoribus antiquitus oppignorata; Solonis vero lege id ſublatum, qua *ἐπὶ τοῖς σώμασι μὴ δανείζεσθαι, pecuniam ſub corporis nexu mutuam ne dato*, præſcribitur, e Plutarcho obſervarunt jam viri *(h)* docti. Adeo ut nec provinciales, & quidem quingentis ferme annis, poſt latam legem Poeteliam, ad tempus datæ eis a Caracalla civitatis, ei Decemviralis legis, qua necti antea & venundari poterant a creditoribus debitores, ni forte quid tale patria quorundam locorum inſtituta ferrent, ſævitiæ vel immanitati fuiſſe obnoxios, ſatis utique liqueat. Neque adductum a viro incomparabili, vel e Plutarchi *(i)* Lucullo, aut quæ aliunde congeri eam in rem poſſent, ut Tarſenſium, poſt eos a Caſſio expugnatos, apud *(k)* Appianum exempla, id ullatenus comprobant: quum ibi non de privatis debitoribus, ſed de urbibus vel populis, qui ob non ſervatam populo Romano ſeu ducibus eorum fidem, vel qui in bello civili inferiores erant partes ſequuti, gravi ære, eoque intra præſcriptum tempus perſolvendo, erant multati; aut cæteroquin præſtatione vectigalium, ut ex eodem Plutarcho in adducto Aſiaticorum exemplo liquet, a Romanis fænerato-

(g) Pag. 272.

(h) Sam. Petitus Ad Leges Attiç. p. 412.

(i) Pag. 406. 504.

(k) Bell. Civ. L. IV. p. 626.

ribus & publicanis opprimebantur. Immo quo graviſſimi Auctoris *(l)* loco, illud aperte innuitur; ſublatum ab eodem Lucullo, omnem in illa Aſiæ provincia corporum, ob debita etiam publica, nexum; uſura inſuper omni ultra centeſimam vetita, & creditoribus quarta parte proventuum debitoris adſignata. Alterum hic notandum, quod ante *bonorum ceſſionem* lege Julia debitoribus conceſſam, alia bonorum proſcriptio ſeu venditio publica, ex edicto Prætoris, in favorem creditorum fuerat recepta. Cujus ritum pluribus tangit *(m)* Theophilus; & quam in locum priſcæ illius decemviralis legis fuiſſe inductam obſervat Tertullianus: *(n) Sed & judicatos in partes ſecari a creditoribus leges erant: conſenſu tamen publico crudelitas poſtea eraſa eſt, & in pudoris notam capitis pœna converſa eſt, BONORUM adhibita PROSCRIPTIONE: ſuffundere maluit hominis ſanguinem, quam effundere.* Unde ab eodem C. Poetelio, ſublatam ſimul Decemviralem legem de nexu vel ſectione debitorum, & hanc ejus loco de bonorum debitoris proſcriptione inductam licet omnino ſtatuere; quodque iis etiam verbis indicavit Livius, ubi juſſi Conſules, Q. Poetelius nempe & L. Papirius, ferre ad populum dicuntur: *(o) Ne quis, niſi qui noxam meruiſſet, donec pœnam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur; pecuniæ creditæ BONA debitoris, non CORPUS OBNOXIUM eſſe:* Tertio, inductam poſtea a Julio Cæſare *bonorum ceſſionem,* quæ nempe non eam, quam illa bonorum proſcriptio ſecum inferebat, infamiam; & a carcere publico debitores, jam ante a privato creditorum nexu & carcere lege Poetelia, ut jam vidimus, immunes, liberabat; ſeu, ut de ea bonorum ceſſione Alexander Severus, *(p) ne judicati de-*

(l) In Lucullo p. 504.
(m) Inſt. III. S. 12. de Succeſſ. Sublar.
(n) Apolog. c. IV.
(o) Lib. VIII. c. 28.
(p) Leg. V. C. Juſt. Qui Bon. Ced.

tra-

trahantur in carcerem: nempe, quod in Constantini, de qua mox, lege, dicitur, (*q*) *carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum est.* Quibus addi insuper hic debet, & quod itidem e veteri Quiritium jure constat, sublatum quidem apud Romanos illud, quo creditoribus debitorum corpora addicebantur, *nexi* vel *nexus* (prout utriumque a Cicerone dicitur) genus; alium vero, illumque itidem proprium civium Romanorum, *nexum* remansisse, quo abalienationes, seu traditio per æs & libram, adhibitis quinque testibus, civibus Romanis, fieri consueverant. Unde missis, quæ ex (*r*) Varrone, (*s*) Gaio J. C. aut Cicerone in (*t*) Topicis, vel de (*u*) Oratore, observarunt jam de hoc *nexu* viri (*x*) docti, opportuna hic eam in rem occurrunt ejusdem Tullii verba pro (*y*) Cæcina; ubi, quum adimi non potuisse cuiquam Romanam civitatem, frustraque id Sullam tentasse, monuisset, addit continuo: *Sulla ipse ita tulit de civitate, ut non sustulerit horum nexa atque hereditates*, quæ erant nempe propria civium Romanorum jura, & proinde ad Romanas etiam colonias, ut ibidem additur, spectarent.

An vero illud Legis Juliæ *de bonis cedendis* beneficium, quod pro civibus Romanis erat inductum, constitutione Antonini Caracallæ, qua omnes in Orbe Romano cives Romani sunt effecti, sit dein ad provinciales, quod statuit, ut vjdimus, Salmasius, exporrectum, idque e memoratis Diocletiani ea de re verbis colligatur, haud liquere equidem puto. Id enim jam supra, ubi de Edictis Præsidum provincialibus ad Urbana accommodari solitis, notavimus, id haud infrequenter contigisse, additis etiam hujus rei e

(*q*) Leg. II. C. Th. de Exaction.
(*r*) Lib. VI. de L. L.
(*s*) Instit. III.
(*t*) Cap. V.
(*u*) Lib. III. c. 40.
(*x*) Vid. Hotom. Not. ad Cicer. pro Cæcin. c. 35.
(*y*) Ibidem.

Romanarum legum penu, ut ex hac ipsa, & alia insuper Diocletiani constitutione exemplis: nempe ut leges urbanæ Senatusconsultis, vel Principum Rescriptis, jam ante Antonini, quam hic expendimus, constitutionem, sint quoque *ad provincias porrectæ*. Accedit, quod id in genere a Diocletiano, ubi ejus rei, seu beneficii legis hujus Juliæ provincialibus quoque concessi meminit, dicatur, *(r) illud constitutionibus Divorum Parentum nostrorum ad provincias porrectum esse:* quod juxta receptas nec infrequentes in iisdem Romanorum Principum constitutionibus formulas, de anterioribus Imperatoribus promiscue dici consuevit. Ita certe alibi idem Diocletianus: *(s) licet neque nostra, neque DIVORUM PARENTUM NOSTRORUM ULLA constitutione caveatur.* Haud aliter ac ab eodem Alexandro Severo dici aliquoties in iisdem Constitutionibus, de prioribus ante se Imperatoribus, videas, *(t) innumeris DIVORUM PARENTUM MEORUM ac meis Rescriptis continetur:* alibi ab eodem, *(u) a DIVIS PARENTIBUS NOSTRIS, & a me sæpe rescriptum est:* ac jam ante ab Antonino Caracalla: *(x) tam meis, quam DIVORUM PARENTUM constitutionibus declaratur:* & a Theodosio M. itidem in Codice Theodosiano: *(y) ob penuriam Aulesenorum municipum, DIVI PARENTES NOSTRI statuerunt:* & alibi similiter expressis nominibus: (z) *quod DIVORUM PARENTUM NOSTRORUM Valentiniani & Valentis decreta signarunt.* Quomodo etiam in Jovii Maximini Augusti Epistola apud Eusebium legitur: *(a)*

(r) Leg. IV. C. Just. Qui Bon. Ced.

(s) Leg. I. C. Just. de Divort.

(t) Leg. I. C. Just. I. Qu. Caus. I. Int. Rest.

(u) Leg. VII. C. Just. de Reis Postul.

(x) Leg. I. C. Just. de Debitor. Civit.

(y) Leg. IV. C. Th. de Decurion.

(z) Leg. XV. C. Th. Eodem.

(a) Hist. Eccl. L. X. c. 9.

τὶς

τοὺς δεσπότας ἡμῶν Διοκλητιανὸν καὶ Μαξιμιανὸν, τοὺς ἡμετέρους πατέρας, *Dominos nostros*, *Diocletianum & Maximianum*, *Parentes Nostros*: ac paullo post: *(b)* ὑπὸ τῶν θειοτάτων Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ τῶν γονέων τῶν ἡμετέρων, *sub Divis Diocletiani & Maximiani Parentibus Nostris*. Nempe qui priori loco, *Dominorum* appellatione, quod tum adhuc forent superstites, appellantur; uti in Licinii patris lege in Codice Theodosiano: *(c) sicut etiam sub Domino & Parente nostro Seniore A.* seu *Augusto*, eodem nempe Diocletiano: in altero vero *Divi*, quod fato jam essent iidem functi. Unde etiam, ut hoc addam, illustratur; id quod a Valentiniano III. dicitur in Novella, qua celebris lex, a Theodosii Imp. de triginta annorum præscriptione lata, confirmatur; *(d) Domini patris clementiæ meæ Theodosii perennis Augusti*, iis nempe verbis, ut viderunt jam *(e)* alii, non juxta magnum *(f)* Cujacium, ad Theodosium M. sed ad superstitem adhuc & hujus Valentiniani III. socerum auctoremque imperii, Theodosium Juniorem omnino respici. Quomodo etiam ejusdem Theodosii lex Novella II. inscribitur: *(g) Domino Valentiniano &c. semper Augusto FILIO Theodosius PP. Augustus PATER*. Immo prout in selectis nummis, ac de quibus nos alibi, vel Severus Imperator, DIVI MARCI FIL. aut ANTONINI NEP. seu *Nepos*, etsi etiam nihil ad eos adtineret, dicitur: aut vero Maxentius, Galerii Maximiani gener, IMP. MAXENTIUS DIVO MAXIMIANO PATRI SOCERO. Ita in utroque Codice, non naturales solum *patres* aut *parentes* dici constat; aut eos solum, qui proxime decesserant, Imperatores, vel quos illi agnatione adtingerent; & quo sensu

(b) Ibidem c. 10.
(c) Leg. II. C. Th. de Censu.
(d) Lib. II. Leg. Novell. Theodos. Tit. VIII.
(e) Juret. ad Symmach. L. V. Ep. 66. Jac. Gothof. Com. Ad Leg. C. Th. de Action. Cert. Temp. Fin.
(f) Observ. Lib. XVIII. c. 26.
(g) Leg. Novell. Theodos. A. Lib. I.

ab

ab Imp. Alexandro Severo Antoninus Caracalla *patris* nomine, quod paullo ante vidimus; alibi hujus Antonini parens; (*h*) *Divi Severi AVI MEI* designantur, (quorum hic illius Alexandri aviæ, Juliæ Mœsæ, adfinis tantum erat, ducta sorore ejus Julia Domna: alter, seu filius Antoninus, Mamææ matris Alexandri consobrinus) sed ab iis etiam plane alienos, & longioribus temporum intervallis remotos, eadem *Patrum* aut *Parentum* appellatione insigniri. Adeo ut non solum *parentes publici*, aut *parentes* etiam *generis humani*, uti apud (*i*) Ammianum Marcellinum, (etsi de *patricio*, istud dictum ab eo censeat alicubi ad (*k*) Codicem Theodosianum doctissimus ejus interpres) (*l*) Symmachum aliosque, sed sequentium etiam, & sat longo quidem intervallo, Principum, *Parentes* dicti fuerint iidem Imperatores. Ita, ut plura hic eam in rem non congeram, cum de (*m*) *Divo Trajano Parente Nostro*: tum (*n*) *Divus Marcus Pater Noster Imperator*: alibi: (*o*) *Divi Marci parentis nostri*, facta est ab eodem Diocletiano mentio: alio autem loco, (*p*) *Divo Antonino parenti nostro*: ac de illo, qui propius ad eorum tempora accessit, Claudio Gothico, (*q*) *divine admodum constituit D. Claudius, consultissimus princeps, PARENS NOSTER.* Quomodo a Constantino, (*r*) *D. Aurelianus pater noster*, in illius principis Edicto, dicitur: & quod unum ex adductis modo exemplis jam adtulit, ubi hanc rem tangit ad (*s*) Codicem Theodo-

(*h*) Leg. V. C. Just. Ad Leg. Falcid.
(*i*) Lib. XXIX. c. 2.
(*k*) J. Goth. Ad Leg. Unic. C. Th. de Consubal. Præfect.
(*l*) Lib. X. Epist. 22. 60.
(*m*) Leg. V. C. Just. de Magistr. Conven.
(*n*) Leg. I. C. Just. de Repudiis.
(*o*) Leg. III. C. Just. G. Adv. Fisci.
(*p*) Leg. IV. C. Just. Ad S. C. Trebell.
(*q*) Leg. I. C. Just. Ne Liceat Potent.
(*r*) Leg. I. C. Just. de Omn. Agr. Decret.
(*s*) Com. ad Leg. I. C. Th. de Action. Cert. Temp. Fin.

sia-

fianum, & post hæc a me animadversa observare mihi contigit, Cl. Jac. Gothofredus. Ut proinde mirari haud parum subeat, quod quum in quadam Constitutione Impp. Severi ac Antonini in Codice Justinianeo legatur: *(r) cum D. Claudius pater meus constituerit*, id ad ea verba adnotarit celebris Romanarum legum interpres, sed Jacobo filio inferior, Dionys. Gothofredus, legendum esse *D. Claudius pius*, ac, ut continuo addit, *alias Claudium centum annis seniorem, non fuisse horum Imperatorum (*Severi nempe ac Antonini*) patrem.* Ut mittam enim, quod fugere non debuerat virum, qui perpetuis notis jus Justinianeum illustravit, & erat utique ibi obvium, mos nempe ille, quo sunt usi, ubi de decessoribus Principibus loquuntur sequuti dein Imperatores: quasi, inquam, centum & ultra annis Diocletiano & Maximiano senior itidem non fuerit Divus Marcus, *pater noster* ab iisdem Imperatoribus, ut modo vidimus, appellatus? aut non iisdem, & Constantino sat longa Augustorum serie vetustiores, quemque illi nulla cognatione adtingerent, *parentis nostri* nomine dicti quoque ab iis, ut vidimus, Antoninus Caracalla, & Alexander Severus. Ut mittam cum absonum illud, ut pro *D. Claudius pater meus*, continuo in Diocletiani constitutione *D. Claudius pius* ad lubitum refingatur: tum, id alienum utique ac insolens omnino esse in eadem Romani juris aut *(s) Imperialium sanctionum*, penu, ut *Pius* in iis de alio, quam de primo Antonino Imp. dicatur. In Digestis etenim, ut supra vidimus, *Antoninus Augustus Pius*, vel, ut passim, *Divus Pius* dicitur: in Codice vero Justinianeo, (t) *Imp. Antoninus Pius; aut (u) Divus Antoninus Pius*, legum aliquot seu constitutio-

(r) Leg. I. C. Just. Q. N. R. Ad Liber. Nerv.

(s) Leg. VII. S. 3. Inst. de Libertin.

(t) Leg. I. C. Just. de Edendo & L. I. C. de Legatis.

(u) Leg. I. C. Just. Ut in Possess. Legat.

num,

num, quas tulerit hic princeps, titulis præfigitur: aut, ubi de eo fit in aliis mentio, *(x) ex Divi Antonini Pii litteris.* Quomodo idem *PII* cognomen, nulli alteri Imperatori tributum alibi in Codice videas: etsi aliis dein principibus, illud ex antiquis lapidum nummorumve monumentis, inter solemnos Imperatorum titulos relatum quoque constet. Et hæc dudum notaveram: quum una forte occurrit mihi in Codice, non Justinianeo quidem, sed Theodosiano, lex Theodosii M. in qua legitur: *(y) Universos, qui in Consulatu Divi Pii Constantii decimi & Juliani Tertii:* ad quæ verba exstat hæc Cl. J. Gothofredi adnotatio: *PII cognomen h. l. tribuitur Constantio: Quod alibi, quod sciam, non occurrit:* ut vel inde a magno hac ætate juris Antistite, quæ modo de illa *PII* appellatione in constitutionibus Imperatorum notaveram, firmari continuo lubens viderim. De Hadriano illud quidem ab Imperatore, & Christiano quamquam, dictum alicubi in Justinianeo Codice: *(z) D.Hadrianus piæ memoriæ:* ac similiter ab eodem Justiniano alicubi in Novellis: *(a) Divæ memoriæ Vespasianus, celebratissimus ille Imperator, qui piæ memoriæ Titi pater, fuit:* sicuti dein ab aliis Christianis Principibus, uti in Arcadii constitutione Codicis Theodosiani, *(b) Divæ memoriæ Julianus,* etsi Gentilis itidem & Apostata, dicitur; aut aliorum, *(c) Divæ recordationis Patris ac Patrui mei,* de eodem Arcadio & Honorio, a Theodosio Jun. filio: vel *Augustæ memoriæ Valentinianus,* in eadem Arcadii dicta modo constitutione. Adde insuper, quod uti in Digestis vel in Codice memoratur idem pri-

(x) Leg. IV. C. Just. de Legat. Cond.
(y) Leg. XC. C. Th. de Decurion.
(z) Const. III. S. 18. C. Just. de Jur. Enucl.
(a) Præf. Nov. c. III.
(b) Leg. VII. C. Th. de Proximis. Leg. II. L. Th. de Actionib.
(c) Leg. V. C. Th. de Collat. Donat.

or,

or, de quo hic agebatur, Claudius Imperator, ſolis ille *Divi Claudii* nominibus deſignetur: ut a Paulo J. C. (*d*) *Et patronum incidere in pœnam D. Claudii dicendum eſt*: a Calliſtrato: (*e*) *Divus Claudius Edicto præcepit*: item alibi: (*f*) *Divus Claudius Claudiano reſcripſit*: & ſic a (*g*) Marciano quoque & (*h*) Modeſtino in aliis Digeſtorum locis; ac ſimiliter in Conſtitutione Alexandri Severi, in Codice Juſtinianeo: (*i*) *Senatusconſulto & Edicto Divi Claudii prohibitum eſt.* Exſtat quidem in Digeſtis, & quod hic utique non erat prætereundum, Ulpiani lex (*k*) ad Carbonianum Edictum, in qua omnino *Divi Pii Claudii*, prout hactenus ibi legitur, fit mentio: nempe ubi cum de fideicommiſſis vel legatis quæritur, differri poſſe cauſſam in tempus pubertatis dicitur: *id enim*, ut continuo additur, *Divus Pius Claudius Hadriano reſcripſit.* Verum cum inſolens illa in eadem legum penu *Pii*, *Divo Claudio*, aut alteri cuipiam Imperatori, quam primo Antonino tributi, appellatio; tum ſuſpecta una ibidem *Hadriani*, ad quem reſcriptum foret a *Divo Claudio*, citra aliud additum nomen, commemoratio, facile me induxit, ut in mendo locum illum, etſi de eo ſileant interpretes, cubare omnino, ubi in eum incidi, cenſuerim. Nempe ut pro *Claudius*, aliud utique nomen quod ad *Hadrianum* quendam ibi memoratum ſpectaret, ſit reponendum; unde *Divo Pio*, hoc eſt primo Antonino, lex illa, non autem *Claudio* vindicaretur. Neque in eo falſus fui; quum ex alia Marciani lege, veram illius loci apud Ulpianum lectionem continuo eruere liceat. Adducitur il-

(*d*) Leg. XIV. S.2. D. Ad Leg. Com. de Falſ.
(*e*) Leg. XV. D. Eodem.
(*f*) Leg. IV. D. Ne de Statu Defunct. & L. XV. D. Ad L. Corn. de Falſ.
(*g*) Leg. VI. D. de Jure Patron.
(*h*) Leg. II. D. Q. S. Manum.
(*i*) Leg. III. C Juſt. D. H. Q. S. Adſ. I. Teſtam.
(*k*) Leg. III. S. I. D. de Edict. Carbon.

la (*l*) ad S. C. Trebellianum, de eo cui in diem libertas relicta est, hereditas autem per fideicommissum, & quam suspectam eam interim non posse adire, *Divus Pius Cassio Hadriano rescripsit*: quomodo itidem in Ulpiani verbis, (nempe *Cassio* ibi pro *Claudius*,) legendum liquet. Ut mittam in alia Digestornm lege exstare: (*m*) *Cassio Proconsuli D. Pius in hæc verba rescripsit*; seu idem ille fuerit cum *Cassio Hadriano*, de quo in duabus dictis legibus facta mentio, seu alius ab eo diversus. Ut id postremo hoc addam, ex obvio & recepto illo more, quo *patres* & *parentes* dicti in Constitutionibus Imperatorum, de defunctis pridem & a se alioquin alienis principibus, factum, ut subinde ad eorum discrimen, sicut a Constantino filio de patre Constantino in iisdem dicatur: (*n*) *Divi Principis, Genitoris mei*; & ab eodem in Codice Theodosiano (*o*): *Cum Genitoris mei scitis evidenter expressum sit*: & similiter ab Arcadio in eodem Codice: (*p*) *quæ sanctionibus Divæ recordationis Genitoris nostri*, nempe Theodosii M. non *patris* vel *parentis*, ne forte de alio Imperatore loqui eosdem quispiam crederet: prout alioquin vel addito *patris* ipsius vel *genitoris* nomine: (*q*) *Divo Severo patri meo*, legitur in Constitutione filii Antonini: aut in alia Theodosii Junioris: (*r*) *Divæ recordationis Arcadii Genitoris mei*: Adde prout *parentis* etiam titulo decoratus legitur ab Alexandro Severo in quadam ejus constitutione Præfectus prætorio sub eodem ac intimæ admissionis Ulpianus: (*s*) *ad*

(*l*) Leg. XXXI. S. I. D. Ad S. C. Trebell.

(*m*) Leg. XXXI. D. de Re Judicat.

(*n*) Leg. II. C. Just. de Episcop.

(*o*) Leg. VII. C. Th. de Donation.

(*p*) Leg. XXV. C. Th. de Hæreticis.

(*q*) Leg. I. C. Just. Ad L. Com. de Fals.

(*r*) Leg. VI. C. Th. de Condit. Donat.

(*s*) Leg. IV C. Just. de Locat. & Cond.

Domi-

Domitium Ulpianum Præfectum Prætorio & PARENTEM MEUM nos remittere curabit. Unde etiam a ſequentibus dein Imperatoribus, id factum ſimiliter videas, ſicut a Valentiniano ſeniore, Voluſianus Præfectus urbis compellatur in quadam conſtitutione, quæ exſtat in Codice Theodoſiano: *(t) Voluſiane PATER Cariſſime atque amantiſſime:* & in Theodoſii Junioris ac Valentiniani III. Novellis Legibus, quæ dicto Codici adnectuntur, vel Florentius, vel Aetius, vel Albinus, vel Maximus, vel Firminus, vel Aetius, Præfecti Prætorio, ſinguli itidem, *(u) Parens Cariſſime & Amantiſſime:* vel etiam: *(x) Parens Cariſſime Auguſtorum* ab iis appellantur.

Sed ut ad eam, de qua hic agitur, & cujus occaſione hæc modo notavimus, conſtitutionem redeam; inde legis Juliæ *de bonis cedendis beneficium*, Principum ante ſe conſtitutionibus, *in provincias porrectum*, a *(y)* Diocletiano dicitur; quod antea, ut licet equidem ſtatuere, non eodem jure, quo cives Romani, in exigendis vel ſolvendis debitis agerent, Provinciales; ſed pro varia locorum conditione, receptiſque ibidem juribus, & juxta provincialia Præſidum, de quibus jam ante, Edicta, ea debitorum inter privatos exactio vel ſolutio perageretur. De qua autem *bonorum ceſſione*, quæ ex lege Julia eſt inducta, ac dein ad Provinciales quoque *porrecta*, agitur inſuper duabus Gratiani & Theodoſii Magni in Codice Theodoſiano conſtitutionibus, ſub lemmate: *(z) Qui Bonis Ex Lege Julia Cedere Poſſunt.* E quibus autem liquet illud *bonorum ceſſionis beneficium*, lege Julia, ut a Diocletiano in Codice Juſtinianeo dicitur, conceſſum, non ad fiſci debitores, aut alioquin ad ma-

(t) Leg. II. C.Th. de Pactis.
(u) Leg. Novell. Theodoſ. A. Lib.I. Tit.I. XXIV. Lib.II. T.I. VIII. IX. XI. XII.
(x) Lib. II. Eodem Tit. III. IV.
(y) Leg. IV. C.Juſt. Qui Bon. Cedere.
(z) Lib. IV. Tit. XX. C. Th.

litiosos decoctores, qui privatis deberent, spectasse: quales, nempe, juxta Gratiani legem in eodem Codice (a) *ad redhibitionem debitæ quantitatis, congrua atque dignissima suppliciorum acerbitate cogantur*: sed ad eos tantum ibi a Gratiano restringi, qui infortunio quopiam, non vero sua culpa, bona amiserint. Quamquam fisci etiam seu tributorum debitores, a verberibus & carcere, quod ibi observat Cl. Jac. Gothofredus, immunes tradidissent duabus, quarum prior in utroque (b) Codice legitur, Constitutionibus, Constantinus & Constantius, a quo postremo dicitur: (c) *Provinciales pro debitis plumbi verbera, vel custodiam carceris, minime sustinere oportet; cum hos cruciatus, non insontibus, sed noxiis esse constitutos noscatur: satis vero sit, debitorem ad solvendi necessitatem captione pignorum convenire.* Quam tamen adversus fisci debitores sævitiam, ut sæpe ab aliis Principibus, ita a Gratiani parente Valentiniano exercitam, ex (d) Ammiano & (e) Zosimo constat, & monuit ibidem doctissimus Gothofredus. Quomodo etiam, ut hoc addam, apud Athenienses, etsi Solonis, ut diximus, lege, necti a creditoribus non possent debitores; aut pecunia iis ea conditione a fœneratoribus dari mutua; excepti tamen ab hac lege fuerint, cum fisci debitores seu ærarii, & quidem qui publicam pecuniam ultra annum debent; tum redemptores vectigalium, h. e. Atheniensium publicani, uti ex Andocide (f) ac Demosthene (g) monuerunt jam eruditi Legum Atticarum (h) collectores. Eos autem inde vinctos ἐγκαλκοχιλεῖς ab Atticis dictos, ex Hesychio monuit Cl.

(a) Leg. I. C. Th. Qui Bon. Ex Leg. Jul.
(b) C. Th. & C. Just. de Exactionib.
(c) Leg. III. C. Th. de Exaction.
(d) Lib. XXVII. c. 7.
(e) Lib. IV. c. 3.
(f) Orat. I. p. 218.
(g) Adv. Timocrat. p. 481.
(h) Petit. Leg. Att. p. 379. & Meurs. Them. Att. L. II. c. 3.

(i) Meur-

(*i*) Meursius, & jam ante ad (*k*) Athenæum ὁ πάνυ. Adde e privatis etiam debitoribus, seu qui privatis deberent, fuisse, qui corporis nexu apud Athenienses tenerentur: nempe, & quod a diligentibus illis Juris Attici enarratoribus est præteritum, ii, qui pecunia ab hostibus redempti, eam redemptoribus intra præstitutum tempus non restituebant. Docet id Demosthenes adversus (*l*) Nicostratum: ubi hic redemptus e captivitate ac de restituenda pecunia conventus, petit ab amico, quo ea sibi suppeditetur, ne quod addit, datæ jam mille drachmæ pereant, καὶ αὐτὸς ἀγώγιμος γίνωμαι, *& ipse in servitutem & vincula addicar*: ea enim vis illius vocis ἀγώγιμος, *seu addictus*: mox: Οἶσθα δὲ, ἔφη, ὅτι καὶ οἱ νόμοι κελεύουσι, τοῦ λυσαμένου ἐκ τῶν πολεμίων, εἶναι τὸν λυθέντα, ἐὰν μὴ ἀποδιδῷ λύτρα. *Scis autem leges etiam jubere, ut captus ei, per quem ab hostibus redemptus est, nisi pretium restituerit, ADDICATUR.*

Sicut vero *bonorum cessionis* beneficium, loco corporis nexus aut carceris, lege Julia pro civibus Romanis inductum, post civitatem, (ut id τοῦ πάνυ concedamus) Antonini constitutione omnibus in Orbe Romano ingenuis datam, ad provinciales quoque transiit; idem statuendum est de alio Quiritium jure legitimi dominii, nempe *IN JURE CESSIONE*, adde & *USUCAPIONE*. Unde, priorem quod adtinet, a Cicerone tam hac *in jure cessione*, quam eo, (*m*) de quo paullo ante, *nexu* abalienationes fieri dicitur: *Abalienatio est ejus rei, quæ mancipi est, aut alteri traditio NEXU*, aut *IN JURE CESSIO*, *in quos ea jure fieri possunt*; nempe inter cives Romanos. Quamquam quum eadem hæc *in jure cessio*, alienatio esset, quæ

(*i*) Ibidem.
(*k*) Casaubon. Animadv. pag. 612.
(*l*) Pag. 685.
(*m*) In Topic. Cap. V.

man-

mancipi rerum, uti de ea in *(n)* Fragmentis Ulpianus, & nec mancipi fieret; id de mancipatione, quæ rerum mancipi erat, nominatim dixerat jam *(o)* ante eodem titulo, quod ea non solum locum habeat inter Romanos cives & Latinos, vel colonarios & Junianos; sed inter *eos peregrinos quoque, quibus commercium datum est.* Cujus rei obvia est equidem ratio, quod commercium hoc est, ut ibi ab eodem Ulpiano dicitur, *vendendi emendique invicem jus*, esset juris gentium, ut id ab initio ferme *(p)* Digestorum traditur; ac proinde apud alios quoque, quam apud cives Romanos, uti etiam apud deportatos, qui civitatem alioquin amiserant, fuerit receptum. Quod de deportatis utiq; cavetur Marciani lege, quæ juxta quasdam alias, e Basilicis est in Pandectas eodem de Interdictis & Relegatis titulo, relata: *(q) Deportatus civitatem amittit:* dein: *jure tamen gentium utitur; emit enim & vendit, locata conducit, permutat &c.* Quod jus tamen commerciorum cum Latinis inter se, tum Macedonibus in plures regiones divisis, a Romanis olim prohibitum supra vidimus. Verum apud provinciales promiscue, sublato tum omni illo *peregrinorum* discrimine, eam in *jure cessionem* receptam deinceps fuisse, vel ex iis *(r)* constitutionibus Imperatorum constare potest, quæ ad Præsides provinciarum de hereditate vendita, vel hereditariis actionibus, quæ ad hanc in *jure cessionem* respiciunt, sunt missa.

Ad USUCAPIONEM vero quod adtinet, seu adeptionem possessionis, ut de ea idem *(s)* Ulpianus, per continuationem possessionis, anni nempe rerum mobilium, biennii vero immobilium, & quidem, ut aliunde constat,

(n) Tit. XIX. S. 9.
(o) Eodem Sect. 2.
(p) Leg. V. D. de Justit. & Jur.
(q) Leg. XV. D. de Inter. & Rel.
(r) Vid. C. Just. L. VII. Tit. XXXIX.
(s) Fragm. Tit. XIX. S. 8.

in

in Italico ſolo, erat ea ſimiliter inter privata Quiritium ſeu Romanorum civium jura; a qua proinde ut id de (t) Decemvirali lege obſervarunt jam præclari legum antiſtites, excludebantur peregrini. Factum tamen, etſi de tempore, quod id contigerit, an ante, vel poſt civitatem Antonini Conſtitutione datam, non ſit ab Ulpiano adnotatum, ut promiſcue idem jus ſit a Romanarum in orbe urbium incolis uſurpatum. Ita enim alibi ea de re loquitur idem Ulpianus: (u) *ſed hoc jure utimur, ut & poſſidere, & USUCAPERE MUNICIPES poſſint*: & alio adhuc loco: (x) *MUNICIPES ad exhibendum conveniri poſſunt, & USUCAPERE eos POSSE conſtat.* Ubi autem per *municipes* intelligi, non, qui olim munerum Romæ capeſſendorum, ad diſcrimen *peregrinorum* ſeu provincialium, quibus id jus non competebat, eſſent participes; ſed in genere *ſuæ cujuſque civitatis cives*, docet alibi, & quod (y) ſupra jam vidimus, idem (z) Ulpianus. Quomodo, ut alia nunc mittam eam in rem obvia in libris civilis Romanorum juris, & quæ ibi quoque adtigimus, ac in conſtitutione Imp. Gordiani de ſervis Reip. cauſſa manumiſſis, (a) *leges municipales*, uti etiam in Digeſtis, de iis dicuntur, quæ Præſidum in provinciis auctoritate ſeu conceſſu obſervabantur. Unde apud Ammianum Marcellinum *municipia* de minoribus etiam minuſve claris urbibus dici videas, ut de Hyrcanis: (b) *habent etiam civitates, inter MINORA MUNICIPIA, validas*: alibi, de una e ſex Thraciæ ſua ætate provinciis: (c) *Europa omnium ultima, PRÆTER municipia, urbibus NITET duabus, Apris & Pe-*

(t) XII. Tab. Leg. de Reb. Credit.
(u) Leg. II. D. de Adquir. Poſſeſſ.
(x) Leg. 7. S. 3. D. Ad Exhibend.
(y) Pag. 106.
(z) Leg. I. D. Ad Municipal.
(a) Leg. I. C. Juſt. de Serv. Reip. Manum.
(b) Lib. XXIII. c. 6.
(c) Lib. XXVII. c. 4.

rintho.

rintho, quam posteritas Heracleam dixit. Adde insuper eundem de Insula Cypro dicentem: quod pene omiseram, *(d) inter MUNICIPIA CREBRA, urbes duæ faciunt CLARAM, Salamis & Paphus.* Ut proinde dubitari non possit, post civitatem Antonini Imp. constitutione provincialibus seu municipibus, uti tum dicebantur, in genere datam, illos deinceps, juxta Quiritium leges, possidere & usucapere potuisse. Etsi postea Justiniani Imp. *(e)* Edicto, sublata demum fuerit inter Italicas soli res & provinciales definita olim, certo & exiguo quidem tempore biennii, rerum immobilium *usucapio*: antiquata etiam, quod paullo ante diximus, *rerum mancipi & nec mancipi*, quæ in jure cessione antea obtinuit, differentia; & quidem, quod in eadem constitutione additur, *ut sit in locis ac rebus omnibus similis ordo.* Hic autem in iis, quæ de hac memorabili adeo constitutione, qua omnibus in Orbe Romano ingenuis civitas Romana est impertita; ejusdemque legis auctore, caussa, natura amplitudine, variisque, quæ inde profluxerunt, juribus, vel effectibus: aut quæ de iis cæteroquin Romani orbis urbibus vel populis, quibus, post eam constitutionem, suarum legum libertas fuit relicta, sunt hactenus a me observata, liceat nunc mihi cum bona lectoris gratia conquiescere.

(d) Lib. XIV. cap. 18.
(e) Leg. VII. C. Just. de Usucap. Transf.

F I N I S.

ADDENDA.

PAG. 20. *lin.* 2. *a fine:* Dicuntur in Pandectis. *Adde* & ab Ulpiano in Fragmentis, *servi publici*, Tit. xx. 11, 16.

Pag. 53. *lin.* 5. *a fine:* Consulatum peteret. *Adde*, Quo referri etiam debet lex 1. C. Th. de Legatis: *Nullus obstat cœtibus Dictator:* quo loco nempe de magistratibus municipalibus agitur.

Pag. 210. *lin.* 23. *a fine: Antoninus* vertitur. *Adde*, Quam in rem quoque Victor Schotti de eodem hoc Antonino ait: *Hic corpore Alexandri Macedonis conspecto, MAGNUM atque Alexandrum se jussit appellari;* Ubi autem unum Pauli J. C. e veterum Pandectarum fragmentis a Pithœo editis, locum eam in rem adnotarunt viri docti. Unde lectori haud ingratum, &c.

Pag. 211. *lin.* 5. coævis huic Principi Jurisconsultis. *Adde*, aut idem tradenti, ut modo vidimus, Aurelio Victori.

Pag. 216. *lin.* 12. De Interdictis & Relegatis. *Adde*, ut id ab eruditissimo Jureto ad Symmachum, Lib. iv. Epist. 92. jam observatum video.

Pag. 221. *lin.* 4. Ante Consulem manumittantur. *Adde* immo alibi adhuc: *Nam qui voluerit, aut IN ECCLESIA, aut ante Consulem, aut inter amicos, aut per Epistolam manumittere* Tit. iv. S. 1. Ad quæ loca mirantur præclari juris Antistites,

Pag. 222. *lin.* 14. Ac duobus quidem locis: *Lege* ac tribus quidem locis, &c.

Ibid. lin. 4. *a fine :* Populi cœtu ſeu concione factum liquet. *Adde* ſeu concione vel comitiis factum liquet. Ut hoc mittam quod manumiſſiones illas in templis Gentilium, ſubinde etiam factas e Livio, Plutarcho, ac Servio notarunt jam eruditi ; aut quod opportune ad latam a Conſtantino M. legem de manumiſſionibus in Eccleſia a doctiſſimo Codicis Theodoſiani interprete adnotatum video : *Denique & in populi comitiis (quæ Græci* ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ *vocabant) ſervos olim manumiſſos conſtat. Inde igitur, uti dixi, mos in Eccleſiam Chriſtianam traductus a Conſtantino M. & religioſa mente, ut hac lege dicitur, & in conſpectu religioſi populi, vice ſcilicet Templi, Comitiive, Eccleſia ſubſtituta.* Ubi cæteroquin de adductis Gaii J. C. locis, ubi facta aliquoties *in Eccleſia* manumiſſionis, mentio nihil moneri miror ab eodem clariſſimo juris Antiſtite ; a viro docto autem Oiſelio, qui eaſdem Gaii Inſtitutiones cum notis aliquot ſelectis divulgavit, & qui liber, cum hæc ſupra commentarer, non erat tum ad manus, remitti ibi ſolummodo lectorem ad dictam in Codice Juſtinianeo Conſtantini legem, *de iis qui in Eccleſia manumittuntur :* quaſi nempe eadem plane vocis *Eccleſiæ*, a Gaio J. C. & Gentili, Pii aut Marci Antonini temporibus uſurpatæ foret ratio.

Pag. 237. *lin.* 1. De eadem urbe ſit dictum. *Adde*, uti ſubinde a Symmacho, ſicut Lib. v. Epiſt. 44. *Venturum te ad COMMUNEM PATRIAM fama promiſerat:* alibi in eodem libro Epiſt. 92. *PATRIAE COMMUNI largas rei annonariæ copias polliceris :* & ſic aliis adhuc locis : aut ubi de eadem Roma ait : *nunc vere civitas noſtra POPULORUM OMNIUM PARENS facta eſt*, Lib. iii. Epiſt. 2. vel quum ſimiliter, eadem *cunctarum provinciarum PARENS* ab eo dicitur, Lib. iv. Epiſt. 62.

Pag. 242. *lin.* 10. *habere vulgo poteſt.* *Adde*, Quum forte autem, ut hoc addam, de hoc Recognitionum Clementinarum loco paullo ante a me adducto, deque ætate earundem, quæ poſt Antoninianam conſtitutionem, ac proinde tertii demum, non ſecundi ſeculi, ſtatuenda demum foret,

cum

cum eruditiſſimo & Eccleſiaſticarum antiquitatum egregie perito Grabio noſtro nuper hic in urbe agerem, monuit ille hunc ipſum dictarum Recognitionum locum, e Bardeſanis Syri, qui M. Antonini temporibus vixit, de fato dialogo, juxta plura alia, eſſe deſumpta, ſed varie interpolata; indicavitque ſimul locum Spicilegii Patrum Seculi, a ſe hic nuper editi, ubi ex Euſebii de Præparatione codice Oxonienſi, illud ipſum Bardeſanis, quod ibi legitur, Fragmentum Græcum, cum textu Recognitionum, qui fidem ejus rei faceret, collatum, ac e regione poſitum, protulerat. Cujus autem Fragmenti, & Recognitionum loci ejuſdem Spicilegii, *pag.* 298. conſpectus, id omnino clariſſime a me monitum arguit; atque ita ad tempora demum, quibus in leges Romanas, poſt Antonini conſtitutionem, orbis Romanus tranſiit, reſpicere adductis ſupra verbis, & quæ ibi quoque referuntur, harum Recognitionum Auctorem: ad ea vero anteriorem illa conſtitutione Bardeſanem nullomodo ſpectare, a quo id demum eam in rem dicitur, ὅσοι βασιλεῖς κρατήσαντες ἐθνῶν, παρήγαγον τοὺς πρὸ αὐτῶν νόμους, καὶ ἔθηντο τοὺς ἰδίους. *Quicunque Reges aut Imperatores ſubactis gentibus, mutarunt poſitas ante ſe leges, & proprias induxerunt.* Unde etiam, quod dixi, de ætate harum Recognitionum, quæ tertii demum ſeculi, non primi, aut ſecundi, juxta viros eruditos, cenſeri omnino poſſent, liquidius adhuc evincitur; ac illud inſuper, Bardeſanem, qui vixit ætate Marci Antonini, non poſſe, quod viro doctiſſimo & de antiquiſitate Eccleſiaſtica bene merito Cave placuerat, harum Recognitionum auctorem, præter alia quæ id refellunt, ſtatui.

Pag. 321. *lin.* 13. αὐτονομία γλώσσης, *linguæ libertas* dicitur. *Adde*, Adde Syneſium de ſervis militantibus, quos ait exinde, ἔργοις ἀνοσιωτέροις τῆς αὐτονομίας ἐμφορηνομένους, *qui ſe ſcæleſtiſſimis factis libertate ſatiabunt*, de Regno, *pag.* 24. Procopium denique, &c.

Pag. 354. *lin.* 16. Achaiæ caput deinceps evaſerit. *Adde*, Id vero ſingulare, ut eidem Patrenſium urbi libertas ſeu αὐτόνομια, & coloniæ jura ſimul conceſſa fuerint; quum Coloniæ privato Quiritium jure (qua de re jam ante, & infra adhuc videbitur) regerentur; nec αὐτόνομοι proinde eædem vel *liberæ* vulgo cenſerentur.

Pag. 361. *lin.* 1. *Quæ conferrent ad tranquillitatem publicam. Adde*, Ita tamen, ut in iis demum, quæ ad eorum ſuperſtionem ſeu religioſum cultum ſpectarent, illa ſuarum legum libertate fruerentur ſub Romanis Imperatoribus Judæi; in aliis autem, quod docent non Chriſtianorum ſolum Principum conſtitutiones, ſed antiquorum etiam Juriſconſultorum, & quod ſupra jam adtigimus, leges, Romano ſeu communi jure ii viverent; ac Romanis proinde legibus, etſi inviti illi ferme, quod vel ex Juvenale, & aliunde notum, iidem ſubjacerent.

Pag. 392. *lin.* 3. *a fine*: Sive Regibus verius fuerunt redditæ. *Adde*, Quod de Arabia tamen non ab Hadriano ſimiliter factum, cum aliunde, tum e Bardeſanis Syri adducti ſupra Dialogi, imperante M. Antonino ſcripti, verbis apud Euſebium Præparat. l. iv. c. 10. liquet, χθὲς οἱ Ῥωμαῖοι τῆς Ἀραβίας κρατήσαντες, τοὺς τῶν Βαρβάρων νόμους ἤλλαξαν, *Recens Romani Arabia potiti, Barbarorum leges mutarunt*: Arabia nempe in Provinciæ formam, quod modo vidimus, redacta, ac proinde legibus, quas imponerent Romani Præſides, ſubjecta.

Pag. 458. *lin.* 13. avita Reipublicæ forma fruerentur. *Adde*, Quod utrumque tamen Patris, Achaiæ urbi, ab Auguſto indultum refert, ut id ſupra vidimus, Pauſanias; nempe ut & Romana fieret colonia, & libera ſimul foret.

Pag. 525. *lin.* 1. Illorum temporum abunde conſtat. *Adde*, Quomodo ſubinde *cives Romani*, nempe qui agebant in urbe æterna, non qui in genere Romana erant civitate donati, dicuntur in aliis Imperatorum conſtitutionibus, ut ejuſdem Valentiniani in Codice Theodoſiano, ac uti de

Annona

Annona *Civica* proprie dicta, quæ in urbe Roma erogabatur, Leg. v. traditur: *CIVES ROMANI, qui in viginti panibus sordidis &c.* nempe inopes urbis Romæ cives, quibus vili pretio, quod ibi dicitur, *panes* illi *sordidi* venundari consueverant. Sic in Novella Theodosii Junioris xl. *Nullum de ROMANIS CIVIBUS, nullum de corporatis ad militiam esse cogendum.* Ita etiam Symmachus, l. 11. Ep. 9. *Agnoscis enim de septem montibus virum,* mox: *Huic vero ad conditionem gratiæ tuæ sufficit, quod & ROMANUS, & amicus est.* Qua ratione *civem Lycium* dixit in quadem constitutione ejusdem Codicis Arcadius: *Ne quis posthac CIVEM LYCIUM contumelioso nomine injuriæ audeat vulnerare.* Leg. ix. C. Th. de Indulgentiis Criminum.

Pag. 491. *lin.* 13. *Ut domina suspicitur & regina. Adde,* Quamquam, ut id paullo ante monui, Senatui, non Consulum quidem, sed aliorum quorundam Magistratuum, & Prætorum in primis, designationem, ab Imperatoribus, eadem adhuc Ammiani ætate, relictam, liceat insuper ex quadam Symmachi ad Valentinianum Jun. & Theodosium M. epistola colligere: *Devotione & MORE commonitus, MAGISTRATUUM NOMINA, quibus varias functiones, DESIGNATIONUM tempore, AMPLISSIMUS ORDO mandavit, ad æternitatis vestræ persero notionem, ut muneribus exhibendis, aut subeundis FASCIBUS DESTINATOS, cognitio Imperialis acciperet lib.* x. *Ep.* 59. Designatio proinde id genus Magistratuum penes Senatum, eaque statuto eam in rem tempore, fieri ab eodem solita; designatorum vero nomina inde ad Principem, quo ea de re illi constaret, ubi is procul ab urbe positus, a Præfecto Urbis continuo missa. Per eas autem voces, *subeundis fascibus destinatos,* non Consules quidem, quorum designatio & ordinatio erat penes unum Principem, sed Prætores debent intelligi; quorum designationem ad Senatum, illo etiam ævo spectasse, jam ante vidimus; ac prout alioquin *Prætorii fasces,* aut *urbanæ Præturæ fasces,* haud semel alibi dicuntur ab eodem Symmacho, ut l. viii. Ep. 14.

Ego

Ego autem vos Prætoriis meis fascibus primos interesse voluissem, & l. viii. c. 70. *Urbanæ Præturæ fasces filius meus Symmachus Kalendis Januariis sortietur,* & sic aliis adhuc locis.

Pag. 256. *lin.* 5. *a fine:* Observat ibi doctissimus Gothofredus. *Adde,* Qua ratione etiam *peregrini* dicuntur apud Ammianum Marcellinum, lib. xxv. c. 4. ubi is nempe Julianum Imp. redarguit, quod municipalium ordinum *cœtibus patiebatur injuste quosdam adnecti, vel PEREGRINOS, vel ab iis consortiis, privilegiis, aut origine longe discretos:* ubi *peregrinos* dici liquet, qui non oriundi erant ex iis urbibus aut municipiis, in quibus tamen eos inter Curiales seu Decuriones recipi patiebatur Julianus. Quod jam ante in eodem Principe, summus alioquin ejus admirator Ammianus haud obscure perstrinxerat; nempe, lib. xxii. c. 9. & merebatur utique ad majorem utriusque loci lucem, ibi ab eruditissimis viris Lindenbrogio ac Valesio adnotari; ac simul quod jure id huic Principi ab Ammiano objici omnino comprobat, non ea quidem, quæ de Clericis ad Curiam revocandis a doctissimo Valesio ibi adducitur, sed alia ejusdem Juliani constitutio in Codice Theodosiano: *Non obstat Curialium petitioni, quod hi quos incolas dixerunt, (ADVENAS* proinde seu *PEREGRINOS) alibi Decuriones esse dicuntur. Potuerant enim & apud eos detineri, si eorum patitur substantia.* Leg. iii. C. Th. de Decurion.

Pag. 527. *lin.* 16. generali *Barbarorum* nomine censebantur. *Adde,* Adde Sidonium Apollinarem, loco supra jam adducto, de Roma dicentem: *In qua unica totius orbis civitate SOLI BARBARI & servi PEREGRINANTUR.*

INDEX.

INDEX.

AUCTORUM ANTIQUORUM

Qui in his

EXERCITATIONIBUS

Explicantur, Illuſtrantur, Emendantur.

Ariſtides:

INDEX.

Institu-

Sallustius

Ulpiani

INDEX AUCTORUM.

INDEX.

INDEX.

RERUM ET VERBORUM.

Ambitus.

Item

Com-

211

F.

G.

H.

I.

rum,

M.

pus

N.

Smyrnæi

FINIS.

